



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
3 H
5

PERILLVSTRIS, ET MAGNIFICI DOM.

D. GABRIELIS
DE BELLIS,
DOMINI ROASSII,

Legum Comitis, & in Academiâ Auenionensi quondam Antecessoris celeberrimi,

OPERA POSTHVMA,

Vbi continentur

Tractatus
- I. *De Feudis.*
- II. *De Iure sacro.*
- III. *De delictis in genere, & in specie de crimine lesæ Majestatis, sicariis item, atque veneficiis.*
- IV. *De vsufructu.*

Nunc primùm in lucem prodeunt.

Cum SVMMARIIS, *& triplici* INDICE, *vno Capitum, altero Iurium quæ explicantur, tertio Rerum & verborum copioso.*

Operâ D. HECTORIS DE BELLIS, Domini Roassij, Nobilis Auenionensis, ipsius Auctoris F.










LVGDVNI,

Sumpt. Hæred. PETRI PROST, PHILIP. BORDE, & LAVRENTII ARNAVD.

M. DC. XLV.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.



Perillustris, longéque præstantissimi IC.

D.GABRIELIS DE BELLIS,

DOMINI ROASSII, LEGVM COMITIS, ET IN ACADEMIA AVENIONENSI Protoregentis celeberrimi,

ELOGIVM.

Authore LVDOVICO CROSETO, *eiusdem Academiæ Antecessore primario.*

GABRIEL DE BELLIS, Toparcha Roassij, filius natu minimus Nobilis Theodori de Bellis, patriâ Auillianensis, natione Pedemontani, vir,

 perillustris

perilluſtris matronæ Margaritæ de Reuillaſco d'Albaroux : pater Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi HECTORIS DE BELLIS, Roaſſij Domini, & clariſſimæ D.Sibyllæ coniugis, perilluſtris Ioannis Franciſci de Peruſſiis, Domini d'Albaron, cuius nonnulla hîc habes opera poſthuma, Auenione V. Calend. Octobr. M.D.LIX. natus eſt in ſtuporem ſeculi, & poſteritatis exemplum: corporis namque & animi dotibus adeò præſtitit, vt in eo concinnando, natura viſa ſit oſtendiſſe quid poſſet, ac velut cuiuſdam gloriæ quæſiuiſſe materiam. Corpore quidem fuit peræquè ad maieſtatem, & humanitatem compoſito; ſic enim vtramque miſcuerat, vt cùm neſcias, vtrùm grauior fuerit, an vrbanior: illud ſcias tamen, in vrbanitate grauem, in grauitate perurbanum fuiſſe. Eximia in ore eius dignitas, cœleſtis ardor oculorum, caſtigatiſſimum, faberrimúmque exemplar hominis vſquequaque perfecti. Eius ſermo plenus erat ſalibus, argutis ſententiis, quaſi ſyderibus intermicans ſeueritatem, pari iucunditate condiebat. Ipſi loquenti, illa Homerici ſenis mella fluebant, & quæ ſcribebat, complebant apes ſuauiſſimis floribus. Vix vnquam os aperuit, quin eum, qui cum ageret, vel erudiret, vel delectaret. Ingenium illi fuit acutum, & intelligens diſciplinarum omnium, quas diſpenſabat vbertate & facilitate mirâ, iudicium directum, ac præſens, domicilium ciuilis ſapientiæ & prudentiæ regia ſedes. Animus fortis, & magnarum rerum

rum

rùm capax, quem nulla difficultas terreret, nulla retardaret. Consilium in arduis suscipiendis haudquaquam defuit, diligentia in vrgendis, solertia in gerendis, felicitas in perficiendis, & quemadmodum in herbescenti viriditate segetum, certa propemodum spes futuræ messis apparet: sic ipse in adulescentiâ primâ, horum charismatum tam certas, támque frequentes significationes dedit toto studiorum, præsertim legalium, decursu, sub optimis quibusque didascalis, quibus se recoquendum, ac velut repumicandum tradidit, nominatim sub auunculo meo Ludouico Bello non tam quòd ei esset agnatus, quàm quòd Europa præstantiorem nomodidactem non haberet, vt statim, post adeptam doctoralem, in hâc patriâ Vniuersitate, lauream, optimo Patrum nostrorum consilio, Regens & publicus iuris ciuilis Professor electus sit, quo in munere exercendo vix capit fides, quàm magnificè se gesserit, seu scribendo, seu loquendo: vtramque enim laudem, quam paucis adsequuti sunt, excellenter obtinuit totâ vitâ. Atque in hac quidem antecessoriâ dignitate durauit tres supra quinquaginta annos, eodem vigore animi & corporis: nec enim, vel in extremâ senectâ, vis illa capitalis ingenij, quæ apud eum semper viguerat, vnquam consenuit. Audiuimus, paulò antequam migraret è vitâ, de rebus difficillimis expeditè, de obscuris dilucidè, de confusis ordinatè, de dubiis enucleatè, publico ex suggestu differentem, eodem

animi robore, quo exultare aſſolent illi, qui in flo-
rida & valenti adhuc ætate verſantur, implentém-
que horas integras alacritate mirabili, facundiâ ve-
rò tantâ, vt nemo vnquam iura expoſuerit elegan-
tiùs, vel vberiùs: etenim floribus atticis conſper-
ſa, illi vernabat oratio, quæ ſuum doceret ac oble-
ctaret, non etiam ſatiaret auditorem. Nec tantùm
legendi, atque interpretandi iuris, peritiſſimus fuit,
verùm etiam, quod excellentibus, qualis erat ipſe,
theoricis rarò contigit, poſtulandi. Ferè fit, vt
qui ſunt fori principes, non ita dominentur in ſcho-
lis, quòd nimirum theorica & praxis, longè alium
genium, ingeniúmque deſiderent, adeò vt, quan-
tum adiicitur vni, tantum detrahatur alteri. Ipſe,
præcipuo Dei munere, hoc aſſequutus eſt, vt in
Gymnaſiis, inque foro, primas ſemper tenuerit, &
quem ſemel occupaſſet vir locum, eundem planè
ſeruauerit ſenex, nec vnquam vel deſierit, vel de-
fecerit, contra quàm Domitio Afro olim conti-
git, qui deficere, quàm deſinere maluit. Quo fa-
ctum eſt, vt arduis quibuſque negotiis, quà pu-
blicis, quà priuatis, vel deliberandis, vel etiam exe-
quendis adhiberetur, & ſecùs ſperaretur de illis,
quæ eo non authore, vel geſtore ſuſcepta fuiſſent.
Donec vixit, huius vrbis, quinetiam orbis, oracu-
lum habitus eſt, maximè verò quotiens magiſtra-
tum geſſit, geſſit autem ſæpiſſimè: nam & tertiùm
Aſſeſſor

Aſſeſſor; ſecundùm Iudex primarius, & Vniuerſitatis Primicerius atque Rector electus eſt, & ad Clementem, illo nomine, octauum, vnà cum Illuſtriſſimo ac Generoſiſſimo Domino Georgio de Galiens, Domino des Eſſars, Legatus miſſus. Illi quoque, qui apud nos principatum ipſo viuente tenuerunt, eius ſemper ſolertiâ & iudicio, quo plurimùm valebat, vſi ſunt. Inter alios, Eminentiſſimi Cardinales, Georgius de Armeniaco, Octauius de Aquauiua, Carolus de Comitibus, Philippus Philonardus, & Ioannes Franciſcus de Balneo, à quo in controuerſiâ illâ perlecebri Auenionem inter, & locum Nouarum, diu multùmque agitata, Aduocatus generalis, pro S. Sede Apoſt. conſtitutus, oſtendit Auenionenſe hoc ſolum, ingenia, nihilo Gallicis ſeciora, proferre, prout & in nobili illo conſeſſu, qui, anno huius ſeculi tertio decimo, in ſacello D. Nicolai ad Rhodanum, habitus eſt, Philippo Cardinale Philonardo, & Mareſcharcho d'Eſdiguieres, præſentibus, in quo cauſam Eccleſiaſtici fiſci, contra hæreticos, tanto apparatu, copiaque verborum, illis rationum momentis, ponderibuſque ſententiarum perorauit, idem vt d'Eſdiguieres, ingeniorum exiſtimator perſpicaciſſimus & acerrimus, nec inſulsè quæſiuerit, vtrùm tam ſapiens tamque eruditum caput, pretio numario comparari poſſet? Adiiciens, ſi poſſet, facilè ſe illius licitatorem futurum.

Sciebat

Sciebat nimirum, quod rei esset, Crœsi thesauris, & Regum Asiæ immensâ gazâ pretiosius esse. Nec minus Illustrissimo Cosmo Bardo, apud nos Legati vicem agente, singularis eius industria, sapientia, fides, in hæreticis Sancti Falesij, qui locus in Cauallicensi Diœcesi est, pellendis emicuit; cùm enim esset ei ab eodem Illustrissimo mandata prouincia, februandi expiandíque ab huiusmodi fæce Comitatus, illos, sine vllo ictu, vel haustu sanguinis, paucos intra dies, loco pepulit, ac solū vertere & aliò lares transferre coëgit, conditionibus optimis, vt omnes intelligerent, res magnas, consilio, & prudentiâ potius, quàm corporis viribus geri, eúmque, ob incruentam, quam reportarat, victoriam, ouatione dignum putarent. Quid multa? eius vita tota, in publicis grauissimísque muneribus obeundis, atque administrandis transacta est, dum illi vni, magistratus certatim deferrentur, quòd ita superesset illis, vt ipsis dignitatibus adderet dignitatem, & delatas sic gereret, vt semper ampliore dignus videretur. Illud constat, duas simul, alteram Iudicis ordinarij, ab Eminentissimo Octauio de Aquauiuâ, Cardinale Legato, illi Romæ agēti, alteram Assessoris, publico Ciuitatis consilio eodem anno fuisse delatas: sed cùm, moribus patriæ, vtrique simul superesse non posset Legatus, ei potestatem fecit, loco sui eligendi alium, ipse virum clarissimum, doctrinâ & integritate insignem

delegit,

delegit, qui eo anno Iudicis munere fungeretu
Præter ſuperiora, quæ commemorauimus, munera, ſancti Officij, & ſacri Quæſitoris Conſiliarium, ac Vniuerſitatis, & Vaſſallorum Comitatus, de quibus erat ipſe, actorem egit, donec in humanis egit. Erat quippe diuini & humani, publici & priuati iuris callentiſſimus, & in concreditis ſibi negotiis procurandis, ab omni ſorde alienus; vno verbo, talis, qui, aut non debuerit naſci, aut nunquam debuerit mori: ſed fallor, naſci debuit, vt verbo coæuos, exemplo poſteros erudiret, ſimúlque doceret vtroſque, ad quod ſapientiæ, virtutíſque faſtigium, natura humana poſſet aſcendere. Debuit mori, vt morte immortalitatem, quâ dignus erat, conſequeretur. Quid enim hâc in ærumnoſâ vitâ tam excellenti, tamque exquiſitâ virtute dignum reperiri potuiſſet? Ne igitur excelſa, ſydereaque mens, cœlo nata, cuſtodiâ corporis coërceretur, & diutiùs eſſet in vinculis, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo tentari cœpit, non diuturno quidem, ſed tamen exitiali morbo, & quinquediali febre conſumptus, mortem obiit, anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quinti die vltimâ, vt inde æternitatem, cui nulla dies vltima eſt, auſpicaretur, & omnibus incredibile ſui deſiderium relinquens, in æde Diuo Symphoriano ſacrâ, ad gradus principis aræ ſepultus eſt.

ẽ Hæc

Hæc habui, quæ de tanto viro traderem posteris, neque vereor, ne quis me adulationis insimulet. Quæ protuli, meritis eius longè inferiora sunt. Vnum doleo, me hoc breuiculo, inumbrasse eius, & obscurasse magis, quàm illustrasse memoriam.



In



In opus posthumum Illustris quondam

D. GABRIELIS DE BELLIS,

DOMINI DE ROAYS, COMITIS

Legum, in lucem editum per Illustrem Dominum HECTOREM DE BELLIS, Dominum de Roays, Nobilem Auenionensem, eius filium.

POsthumus iste liber, forsan tibi, Belle, videtur;
Falleris, haud siquidem est posthumus iste liber.
Hunc peperit GABRIEL *animo, cui vita perennis:*
Non ergo, BELLE, *est posthumus iste liber.*

D. HONORATI, L.V.D.
Iudex loci de Roays.

Approbationes Theologorum.

NOs infrà Doctores Theologi Almæ Facultatis Parisiensis subscripti, *Tractatus de Feudis, de Iure Sacro, de Delictis, & de Vsufructu*, compositos à Dom. GABRIELE DE BELLIS, Causidico Auenionensi vidimus, nihílque in eis reperimus quod orthodoxum Legistam non sapiat, in cuius veritatis testimonium manuale nostrum signum apposuimus, die 16. Octobris Lugduni 1645.

FR. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.

FR. MICHAEL MICARD, Franciscanus.

PERMISSIO

PERMISSIO.

EGo Procurator Regius in Præfectura Lugdunensi consentio, vt Liber inscriptus in Approbatione præmissa, ab Hæred. Prost, Philippo Borde, & Laurentio Arnaud, Bibliopolis Lugdunensibus excudatur, peculiari licentia id ipsis concessa. Datum Lugduni die vigesima prima Octobris, anno Domini quadragesimoquinto, supra millesimum sexcentesimum.

LORIN.

VIso Procuratoris Regij consensu, Ego non impedio supradictum priuilegium. Actum Lugduni eodem anno & die quo suprà.

LANGLOIS.



TABELLA OPERIS.

Tractatus Primus.

DE FEVDIS.

Prolegomena.

PARS PRIMA.

De feudo in esse deducto.

FEVDI
- Creatio. cap.1.
- Materia. cap.2.
- Forma, seu formalis causa. cap.3.
- Præscriptio. cap.4.

PARS SECVNDA.

De effectibus feudi in esse deducti.

Feudorum diuisio à causâ
- Efficienti. cap.1.
- Materiali. cap.2.
- Formali. cap.3.
- Accidentali. cap.4.

PARS TERTIA.

Quibus modis feudum amittatur, & esse desinat.

Modi
- Quibus feudum semel in esse deducitur, extinguitur, & finem accipit. cap.1.
- Quibus feudum non tam extinguitur, quàm amittitur. cap.2.

Causæ quæ fluunt ex culpâ in omittendo commissa. cap.3.

Si vasallus ob aliquam ex prædictis causis feudo priuetur, ad quem illud deuolui debeat. cap.4.

Tractatus

Tractatus secundus.

DE IVRE SACRO.

Tractatus tertius.

DE DELICTIS, seu CRIMIMIBVS.

Prolegomena.

DE CRIMINE LÆSÆ MAIESTATIS.


DE SICARIIS, ET VENEFICIIS.

Prolegomena.

Tractatus quartus.

DE VSVFRVCTV.

DE



DE FEVDIS.

PROLEGOMENA.

SVMMARIVM.

1 *Feudum nascitur, crescit, decrescit, moritur.*

2 *Tractatûs triplex diuisio.*

3 *Prolegomena quæ contineant.*

4 *Feuda inuenerunt Germani, & apud eos primum in vsu fuerunt, & inde primò inuecta in Gallias è Franconia Orientali.*

5 *Pharamundus I. Francorum Rex suo Marte Gallias occupauit anno* 420. *& Proceribus suis feuda concessit sub fidelitatis lege.*

6 *Feuda in eam Italiæ partem, quæ hodie Lombardia dicitur, inuecta sunt anno salutis* 572. *à populis prope Franconiam inhabitantibus.*

7 *Lombardia vnde dicta.*

8 *Feudorum vsus varij, nec vniformes fuere, cùm ab initiò scripti non fuerint, sed moribus vtentium tacito populorum consensu introducti.*

9 *Quo faciliùs eorum teneretur memoria, descripti fuere.*

10 *Iuris ciuilis compilatio initium habuit anno* 527. *sub Iustiniano Imperatore; finem verò anno* 564. *quo idem Iustinianus mortem obiit.*

11 *Feudorum semina quæ à iure ciuili processerunt, sunt clientelæ,*

militiæ, aſsignatio agrorum, quæ veteranis Ducibus & militibus limitaneis fiebat, & adminiſtrationes ciuitatum, & prouinciarum.

12 *Adminiſtrationes ciuitatum & prouinciarum cum iuriſdictione primùm ad certum tempus, deinde ad incertum concedi ſolitæ erant, & qui eas obtinebant, Duces, Comites, & aliis nominibus nuncupabantur.*

13 *Clientes & patroni nomine tenus conueniunt feudi domino, re tamen ipſa omnino differunt.*

14 *Feudi conceſsio præſupponit quid immobile, ſeu immobili accedens, datum ad fruendum.*

15 *Clientes olim erant perſonæ humiles, quæ ſe potentiorum patrocinio ſubmittebant, ne ab aliis opprimerentur; feudatarij verò ſunt vtplurimum Proceres, aut ſaltem viri nobiles, qui ob acceptum beneficium fidem domino concedenti, & plerumque ſeruitium, præſertim militare, pollicentur.*

16 *Militiæ officia ſunt, qualia erant olim Fabricenſium, agentium in rebus, &c. hodie verò actuariorum, quos vulgus* graphariosappellat, & ſimilia, quæ nihil omnino habent commune cum feudis.*

17 *Aſsignatio agrorum, quæ fiebat olim veteranis Ducibus & militibus limitaneis, ſub onere militiæ, quæ ſemper fidem iuratam ſecum habebat annexam.*

18 *Milites nonniſi iurati deligebantur.*

19 *Adminiſtrationes cum iuriſdictione temporariæ factæ fuerunt perpetuæ ſub fidelitatis iuramento.*

20 *Nomina Comitum, Ducum, Marchionum, quæ olim dictis adminiſtratoribus dabantur, appropriata ſunt feudatariis maioribus.*

21 *Prædia ſtipendiaria & tributaria longè abſunt à feudis, quippe quæ ſunt ignobilia, & pro plebeiis deſtinata, & hodie ſubiacent talearum, præſertim regiarum, ſolutioni.*

22 *Bona libertorum circa eorum amiſsionem ex cauſa ingratitudinis contra patronos commiſſæ, cum feudis quandam habent conuenientiam, in cæteris verò differunt.*

TOTVS


OTVS iste tractatus in tria capita distribuendus, † feudum namque instar hominis, vt etiam peculium, nascitur, crescit, decrescit, moritur. *l.peculium 40.ff.de pecul.* *Primò* 1.
itaque † de feudo disserendum dum in esse deducitur, & ibi causa illius efficiens examinanda, nimirum qui feuda dare possint, & qui recipere. Causa item materialis, videlicet quibus in rebus feudum constituatur, denique causa formalis, nempe quónam modo in esse deducatur. *Secundò*, inquirendum erit de feudo iam in esse deducto, & ibi de illius effectibus, tam in iudicio, quàm extrà, & tam ratione domini feudum concedentis, quàm feudatarij illud recipientis, vbi variæ feudorum diuisiones examinabuntur. *Tertiò*, & postremò agendum erit de modis, quibus feudum amittitur, & esse desinit; priusquam verò ea suscipiatur disputatio, Prolegomenon nomine † tria erunt discutienda. *Primò*, vnde feuda originem habuerint. *Secundò*, an libri feudales sint authentici. *Tertiò*, & postremò feudi definitio proponenda, & examinanda erit. Feuda † itaque Germanorum inuentum, & apud eos primùm in vsu fuere, deinde inuecta primò in Gallias è Franconia Orientali, anno salutis 420. quo † primus Francorũ Rex Pharamundus Gallias suo Marte occupauit, & feuda suis Proceribus concessit sub fidelitatis lege, † postea anno salutis 572. à populis prope Franconiam inhabitantibus in eam Italiæ partem, quæ hodie Lombardia denominatur, sic dicta † quòd Germani eam occupantes longas barbas deferrent, quo maiorem incuterent horrorem. † Nec lege scripta, sed moribus vtentium tacito populorum consensu introducti fuere feudorũ vsus, qui propterea varij, nec vniformes. *c.1.de feud.cognit.lib.2.* Vnde quo faciliùs † eorundem vsuum teneretur memoria, descripti fuere à Gerardo Nigro, & Oberto de Orto, Consulibus Mediolanensibus, nimirum primus feudorum liber à Gerardo, secundus & tertius ab Oberto, quartus à diuersis, quintus verò, & postremus posteriorum Imperatorum constitutiones super feudis editas in se continet, videlicet Lotharij I. & II. Conradi, Henrici II. V. VI. & VII.

Margin numbers: 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Item Friderici I. & II. Verùm non defuere quidam feudorum semina in iure ciuili Romanorum, † cuius compilatio
10. initium habuit anno salutis 527. quo Iustinianus Imperator cœpit; finem verò anno salutis 564. quo moritur
11. idem Iustinianus. Semina † autem quatuor potissimum eliciuntur, scilicet clientelæ, quarum vsus ferè ab Vrbe condita cœpit; militiæ, de quibus *in l. omnimodò. §. imputari. C. de inoffic. testam.* Assignatio agrorum, quæ veteranis fiebat, quo illis fruerentur remunerationis gratia. *l. Lucius. ff. de euict.* Ducibus & militibus limitaneis, quo rura sua defendendo alacriùs, & cum maiori fide limites Imperij, quibus præsidio erant, tutarentur. *l. final. C. de agr. limitroph. lib.* 11.
12. Et denique † administrationes ciuitatum & prouinciarum, quæ cum iurisdictione primò ad certum tempus, postea ad incertum concedi solitæ erant, qui plerumque Duces, Comites, & aliis diuersis nominibus nuncupabantur, vt ex tribus libris posterioribus Cod. deprehenditur. Sed duo illa priora reiicio, tanquam minus, aut nihil omnino feudis
13. conuenientia, siquidem clientes, & patroni † nomine tenus conueniunt, reipsa omnino differunt; licèt enim feudatarij plerumque clientes & domini superiores patroni denominentur, tamen rei natura longè absunt, neque enim clientibus Patroni quid immobile, seu immobili accedens
14. fruendum concedebant, † quod in feudo omnino necessa-
15. rium est. *§. fin. sub tit. 1. lib. 2.* Præterea † clientes vtplurimum personæ erant humiles, quæ se potentiorum patrocinio committebant, ne ab aliis opprimerentur feudatarij, vtplurimum Proceres, aut saltem viri nobiles erant, & sunt, qui ob acceptum beneficium fidem semper domino concedenti, & plerumque seruitium, præsertim militare,
16. cum iuramento pollicentur, & præstant. Militiæ † verò sunt officia, qualia erant olim Fabricensium, agentium in rebus; hodie verò actuariorum, quos vulgus *graphàrios* appellat, & his similia, quibus nil omnino cum feudis commune. Duo itaque posteriora semina mihi placent, nempe
17. † assignatio agrorum, veteranis, seu etiam Ducibus & militibus limitaneis facta, postquam illis res soli fruenda assignabantur sub onere militiæ, quæ secum semper fidem

iuratam

iuratam habebat annexam; neque † enim nisi iurati milites 18.
deligebantur, & administrationis concessio cum † iurisdi- 19.
ctione; è temporariis namque factæ fuere perpetuæ, sub fidelitatis iuramento, instar feudorum. §. *& quia, de his qui feud. dar. poss.* Et nomina Ducum, † Comitum, Marchio- 20.
num, Baronum feudatariis maioribus inde appropriata, qui olim Administratores prædicti denominabantur. Addunt alij duo alia semina, nimirum prædia stipendiaria, † & tri- 21.
butaria, de quibus *in §. per traditionem, Instit. de rer. diuis.* Sed quàm longè absint à feudis, nemo est, licèt parum in antiquitate versatus, qui ignoret, quinimò ex diametro pugnant, cùm sint prædia ignobilia, & pro plebeiis destinata, quæ hodie talearum, præsertim regiarum solutioni subiacent. Et præterea † bona libertorum, quæ circa amis- 22.
sionem dictorum bonorum ex causa ingratitudinis, conuenientiam cum feudis habere possunt, in cæteris omnino differunt, vnde ad eum locum, in quo de feudo amittendo agetur, reiicienda erit disputatio.

---

§. *Vnic.*

SVMMARIVM.

1 *Feudalium librorum authoritas ea est, quæ iuris non scripti, cuius eadem & par est authoritas cum iure scripto.*

2 *In causis feudalibus consuetudo feudalis præualet iuri ciuili Romanorum.*

3 *Iura, seu vsus feudorum ligant nedum personas sæculares, verùm etiam Ecclesiasticas, quæ feudum obtinent.*

4 *Ius feudorum, quia diuersum est, nec vniforme, iuris habet authoritatem apud eos tantùm, per quos vsu receptum est instar legis Rhodiæ.*

5 *Feuda in triplici sunt differentia, alia quæ reguntur more Francorum, in quorũ successione masculi fœminis anteponuntur, illis omnino exclusis, & inter masculos solus primogenitus; alia quæ iure Longobardorum, de quibus in libris feudalibus, qualia in dubio esse præsumuntur; alia verò, quæ iure*

Siculorum informata, nimirum per consuetudines, seu constitutiones regni Siciliæ.

6 *Feudorum ius non definit esse non scriptum, ex eo quòd fuerit redactum in scripturam, facilioris probationis gratiâ.*

7 *Feudum à fide deducitur, quæ est qualitas essentialis feudi, & inde quod Germani* feodes *&* leodes *dicunt, Gallicè vertitur* feaux, *&* leaux.

8 *Definitur ex Annæo Seneca, & sic ex præscripto Philosophorum, vt sit beneuola actio, seu beneficium, quod ex beneuolentia ita datur, &c.*

9 *Definitur ius vtendi, fruendi prædio alieno, etiam in perpetuum, quod pro beneficio dominus dat ea lege, vt qui accipit fidem, domino semper, militia verò munus aliudve seruitium plerumque exhibeat.*

10 *Proprietas rei in feudum concessæ non transfertur in accipientem, sed dominus concedens eam sibi reseruat, & solum vsumfructum transfert in accipientem.*

11 *Vsusfructus simplex morte fructuarij extinguitur, nec nisi ex speciali conuentione porrigi potest vltra primum hæredem, cùm tamen secus sit in feudo.*

12 *Feudum transit ad omnes hæredes sanguinis, imò etiam ad extraneos, si ita conuentum sit.*

13 *Feudi concessio transfert ius in re concessionario, quod interpretes vocant vtile dominium, & inde habet vtile rei vindicationem; secus tamen est in simplici fructuario.*

14 *Feudum in rebus tantùm immobilibus, seu quæ vice illarum funguntur, constitui potest, quamuis secus sit in simplici vsufructu, qui in rebus etiam mobilibus constituitur, iuris interpretatione.*

15 *Feudum constitutum in annua præstatione, quæ ex frumento, vino, oleo, & his similibus exhibetur, nominatur feudum de canena, quasi de cella domini; sin verò exhibeatur in pecunia, dicitur de camera, quasi de camera domini prodiens, in qua pecuniæ seruantur.*

16 *Feuda de canena, de camera, guardia, guastaldia, cum vita recipientis finiuntur.*

17 *Principalis intentio feudum concedentis est beneficium conferre.*

18 *Substantia feudi, & fructus illius essentialis in hoc consistit, vt feudum*

feudum recipiens fidem ſemper, & omni tempore, ſiue pacis, ſiue belli, ſit domino concedenti fidelis, qua deficiente, corruit & corrumpitur feudum.

19 *Feudum recipiens plerumque tenetur militiæ munus, vel aliud quodcunque domino concedenti ſignanter ad bellum proficiſcenti præſtare, puta ſeipſum hominem exhibendo, ſubſiſtente feudo ſine ſeruitio, non tamen ſine fide.*

20 *Feudum differt ab vſufructu, cuius proprietas manet infructuoſa domino ab emphyteuſi, quæ legem habet eſſentialem commiſſi, non fidei, à cenſuali, ſeu libellario contractu, qui legem canonis habet, non fidei, non commiſſi.*

Librorum verò feudalium † ea eſt authoritas, quæ iuris non ſcripti, cuius eadem & par eſt authoritas, cum iure ſcripto. *l.6.§.fin.ff.de inſtit.& iur.§.conſtat autem.§.& non ineleganter, Inſtitut.de iur. natur.gent. & ciuil.* Imò & in cauſis † feudalibus præualebit iuri ciuili Romanorum. *c.1.in princ. verſ. in iudicio etenim, de feud. cognitio. lib.2.* & ligat † nedum perſonas ſæculares, verùm etiam Eccleſiaſticas, quæ feudum obtinent. *cap. verùm. de for. competen. in antiq.* cum *ibi* notatis, *& in cap. ex tranſmiſſa, eod. tit. & in cap. cæterùm, de iudic.* & quia † eiuſmodi conſuetudines feudales non ſunt vniformes, ſed variæ, iuxta curiarum diuerſitatem, *d.cap.1.de feud. cognit.* Ideo iuris habebunt authoritatem apud eos tantùm, per quos vſu receptæ, & quatenus approbatæ fuerint, & de hoc iure dici poterit quod de lege Rhodia dicitur *in l.deprecatio.ff.ad leg.Rhod.* vbi ex præſcripto legis Rhodiæ, quæ Rhodienſium olim, non Romanorum, fuit inuentum, quatenus nil contra eam ex iure Romanorum conſtitutum reperiatur, & inde videmus † feuda eſſe quæ reguntur more Francorum, in quorum ſucceſſione maſculi fœminis anteponuntur, & inter maſculos ſoli primogeniti admittuntur, inſtar ſucceſſionis, quæ vſu recipitur in Regno Franciæ, quæ ſic inſtituta fuere ab illis Francis Orientalibus, & in Gallias primùm inuecta. Alia verò quæ iure Longobardorum, de quibus in libris noſtris feudalibus, qualia in dubio eſſe præſumuntur, niſi contrarius adſit vſus: alia quæ iure Siculorum nimirum informata per conſuetudines

1. 2. 3. 4. 5.

consuetudines, seu constitutiones Regni Siciliæ. Nec ius
6. † istud feudale definit esse non scriptum, eo quòd facilioris probationis gratia in scripturam redactum fuerit, *d. cap. 1. de feud. cognitio.* quia ab initio quod attenditur, non ex præscripto, seu scripto expressè sancitum fuerit, sed tacito populi consensu & moribus vtentium sine scripto inductum sit.

7. Feudum † autem à fide deducitur, quæ est qualitas feudi essentialis, vnde quod Germani *feodes*, & *leodes* dicunt, nos Gallicè vertimus *feaux*, & *leaux*: definitur autem, seu po-
8. tiùs describitur feudum † ex præscripto Philosophorum, ab Oberto de Orto, *in §. huius autem generis, in quibus caus. feudum amittat. lib. 2.* præmissa definitione beneficij in genere, ex L. Annæo Seneca, videlicet *in §. in primis, eod. tit.* Et non sine causa Philosophum sequutus definiuit feudum etiam beneuolam actionem, seu beneficium quod ex beneuolentia ita datur, &c. postquam sub eo titulo de causis amittendi feudi agere intendebat, quæ super ingratitudine beneficij priùs accepti præcipuè fundantur. Nos autem neque vt Philosophi feudum definiemus esse beneficium, quia causa efficiens feudi non feudum, prout etiam concessio priuilegium, seu quælibet alia dispositio, qua feudum in esse deducitur, neque, vt imperitum vulgus rem ipsam, in qua feudum constituitur, quia causa illius materialis; sed ex Cuiac. *in præfat. super feud.* & sub eo tit. *In quibus caus. feud. amitt.* more istorum, qui omnia ad iuris intellectum referunt, paucis quibusdam additis, sic definiemus,
9. vt sit ius † prædio alieno, seu quod vice prædij sit, vtendi, fruendi, etiam in perpetuum, quod pro beneficio dominus dat ea lege, vt qui accipit, ipsi domino fidem semper, militiæ verò munus, aliudve seruitium, plerumque exhibeat. Dixi *Ius*, vt sit loco generis; dixi *vtendi, fruendi*, ad diffe-
10. rentiam illius iuris, † quod dominium accipienti tribuit, cùm feudum non proprietatem, quam sibi dominus concedens retinet; sed vsumfructum transferat, *d. §. huius autem generis.* Dixi etiam *in perpetuum*, ad differentiam sim-
11. plicis vsusfructus, † qui vita fructuarij finitur. *§. finitur. Institut. de vsufruct.* nec nisi ex speciali conuentione porrigi potest

potest vltra primum hæredem. *l.cùm antiquitas. C. de vsufr.* ne perpetuò infructuosa domino maneret proprietas; feudum † verò transit plerumque ad omnes hæredes sanguinis, id est, descendentes primi acquisitoris. *§.& quia, de his qui feudum dar.poss.* Imò quandoque ad extraneos, si ita sit 12.
conuentum. Et ideo transfert † ius in re, quod vocant Interpretes *vtile dominium*, & propterea rei vtilem vindicationem habet pro vindicando feudo à quolibet possessore ius defendendi aduersùs vindicantes ius vindicandarum seruitutum rei immobilis, *tit.*8.*& tit.*43.*lib.*2. secus tamen est in simplici fructuario. *l.*1.*ff.si vsusfruct.petat.* Dixi *prædio* 13.
alieno, seu *quod vice prædij sit*, quia † in rebus tantùm immobilibus, seu quæ vice illarum fungantur, constitui possit. *§.fin.de feud.cognit.* licèt simplex vsusfructus in rebus etiam mobilibus constituatur. *§.constituitur.Instit.de vsufr.* Immobilium autem loco sunt præstationes annuæ. *l.iubemus.C.de sacrosanct.Eccles.* Siquidem quæ in frumento, vino, oleo, & his similibus, exhibentur, annonæ ciuiles denominantur. 14.
Et in his feudum constitutum † nominatur de caneua, quasi de cella domini; sin verò in pecunia, de camera, quasi de camera domini, in qua pecuniæ asseruantur, prodiens, quæ 15.
feuda † vitam recipientis non egrediuntur, qualia sunt etiam feuda guardiæ, guastaldiæ, de quibus postea; dixi 16.
quod dominus pro beneficio dat. quia principalis intentio † concedentis sit beneficium conferre, ad differentiam aliorum negotiorum, in quibus tenditur ad commodum. Dixi *ea* 17.
lege, vt fidem semper. In hoc namque consistit † fructus ipsius proprietatis, vt eius domino feudum recipiens semper, & omni tempore, siue pacis, siue belli, sit fidelis, qua fide 18.
deficiente corruit feudum plerumque.† *militia verò munus,* vel *aliud quodcunque*, &c. quia vtplurimum eam soleat domino concedenti afferre commoditatem, vt illi præsertim ad bellum persistenti seipsum hominem exhibeat, quamuis & sine seruitio possit esse feudum, non tamen sine fide. Et 19.
differt in eo † ab vsufructu, cuius proprietas est infructuosa: differt ab emphyteusi, quæ legem essentialem habet commissi, non fidei: differt à censuali, seu libellario contractu, qui legem canonis, seu pensionis annuæ habet, non fidei, non commissi. 20.



PARS I.

De feudo in esse deducto.

CAPVT I.

De feudi creatione, seu erectione.

SVMMARIVM.

1 *Imperatores, Reges & alij Principes Superiorem non recognoscentes, feuda dare possunt, quippe quæ ab illis primum fuerint instituta.*

2 *Feuda dignitatum, aliàs titulata, à solo Principe supremo etiam hodie conceduntur.*

3 *Principes occupatis proprio Marte regnis, seu prouinciis, possunt de quibuscunque sic occupatis infeudare, prout fecit Pharamundus I. Francorum Rex.*

4 *Imperio semel stabilito sunt duo patrimoniorum genera, quorum vnum sacrum, publicum, regium, seu imperiale denominatur, tanquam regno, & pro illius dote & honore consecratum, aliud ipsius Regis proprium.*

5 *Imperator non potest concedere in feudum ea, quæ sunt de patrimonio Imperij, quatenus authoritas Imperij & honor status diminueretur, secus si quid minimum esset.*

6 *Patrimonij, quod vocant Domaniale, alienatio in Gallia Regibus hodie interdicta est, ex ordinationibus regiis, nisi quatenus filiis Regum secundogenitis iure paragij concedatur fruendum per eos & eorum masculos, per lineam masculinam descendentes, itavt primogenitus semper aliis anteponatur.*

7 *Deficientibus masculis filiorum Regis secundo, vel tertiogenitorum bona iure paragij concessa, ad coronam reuertuntur, quorum nempe filiabus fiat assignatio in mobilibus & pecunia, non in bonis prædictis.*

8 *Priuati patrimonij, quod Cæsaris appellatur, libera est dispositio, & dicitur quòd priuatorum iure veluti successione, donatione,*

donatione, vel alio simili titulo Regi tanquam priuato obuenerit.

9 *Princeps potest infeudare bona sua propria & priuata, & quæ sibi iure publico obuenerunt, puta per confiscationem, caducitatem & commissum, priusquam edicto, vel ordinationibus inter bona Domanialia censeantur.*

10 *Princeps nedum supremus, aut qui suprema iura obtinet, superiorem licèt agnoscat, verùm etiam inferiores, nimirum Duces, Marchiones, Comites, qui dum à solo Rege creari possunt, regalem dignitatem habere dicuntur, quamuis suprema iura non habeant.*

11 *Inuestitus à Rege de Ducatu Dux, de Marchia Marchio, de Comitatu Comes denominatur, & potestatem habet subinfeudandi ciuitates, castra & oppida infra eorum Ducatum, Marchiam, Comitatum existentia, vnde capitanei Regis, seu Regni esse dicuntur.*

12 *Subinfeudati à dictis Ducibus, Marchionibus, Comitibus, suprema iura non obtinentibus, maiores valuasores nominantur, hodie verò Barones, vel capitanei Regis, quippe qui potestatem habeant aliis subinfeudandi.*

13 *Subinfeudati à maioribus, seu Regis valuasoribus, appellantur minores valuasores, qui nimirum non possunt alios sub se feudatarios habere, & qui ab illis creantur, valuasini dicuntur, & antiquo vsu consuetudinem feudi nullam habent.*

14 *Hodie qui à simplicibus feudatariis, licèt à Rege creatis, quibus ex qualitate feudi non competit authoritas alios sub se feudatarios habendi, ita demum inter feudatarios reputantur, quatenus ea feuda reperiuntur descripta in quaternis curiæ regiæ, vnde Quaternata appellantur, & nobilitatem suo tribuunt possessori.*

15 *Ex differentia quæ inter feudatarios & eorum subfeudatarios attenditur, fluxere vulgaria illa vocabula* bans & arriere-bans, *priora respiciunt Duces, Marchiones, &c. posteriora subinfeudatos, dum monentur omnes quòd Regem, seu Princicipem comitentur ad bellum proficiscentem.*

16 *Dictio* Heribannum *apud Germanos, quæ Gallicè vertitur* Arriereban, *significat citationẽ ad comparendũ in exercitu.*


Xordiendum à causa feudi efficiente, vnde primò inquirendum, qui feuda dare, & qui recipere possint. Et primò de secularibus, deinde de Ecclesiasticis tractandum, temporis ordinem in-
1. sequendo. Et quoad seculares, certum † est, Imperatores, Reges aliósve Principes Superiorem non recognoscentes, feuda dare posse, quippe quæ ab illis primùm fuerint ere-
2. cta, ita vt hodie sint etiam quædam feuda, † puta dignitatum, aliàs titulata, quæ à solo Principe concedi possunt. §.1.*in princ. quis dicatur Dux*, &c. quæ, ea de causa, regales dignitates appellantur. §.1.*de feud. march.* & ex notat. *in cap. Imperialem. § præterea ducatus, de prohib. feu. alienat. per Frideric.*
3. Sed occupatis proprio † Marte regnis, seu prouinciis, solebant Reges aliíve Principes, & indistinctè poterant, de quibuscunque sic occupatis infeudare, prout dicitur Pharamundus I. Francorum Rex fecisse, sed semel Imperio sta-
4. bilito, † distincta fuere patrimonia, quorum vnum sacrum, publicum, Regium, seu Imperiale denominatur, tanquam Regno, & pro illius dote & honore consecratum. Aliud ipsius Regis priuatum illius alienatio, & propterea infeu-
5. datio sibi interdicta, quatenus † authoritas Imperij & honor status diminueretur. *cap. intellecto, de iureiuran.* secus si minimum quid esset. *c. Abbate sanè. § sed ad hæc pars, de sentent. & re iudic. lib.6.* arg. ducto ex *cap. terrulas 12. q. 2.* Licèt ho-
6. die † in Gallia ex ordinationibus regiis illius patrimonij, quod Domaniale vocant, omnino sit Regibus interdicta alienatio, nisi quatenus filiis Regum secundogenitis iure paragij concedantur fruenda per eos & eorum descendentes masculos per lineam masculinam, ita vt primogenitus
7. semper aliis anteponatur, quibus deficientibus † ad coronam reuertātur, filiabus namque fit assignatio in mobilibus & pecunia, non in bonis prædictis; huius verò patrimonij
8. priuati, † quod Cæsaris appellatur, libera est dispositio, ex *l. in re mandata. C. mandat.* & dicitur quod priuatorū iure veluti successione, donatione, vel alio simili titulo Regi tanquam priuato obuenit, quæ patrimoniorum distinctio probatur ex rubr. Cod. *de quæstor. & mag. officio.* &c. *lib.12. & l. bene à Zenone. C. de quadr. præscriptio. & l. cùm seruus*, aliàs *l. apud*

Julianum.

Iuliannum. §. *constat. ff. de legat.* 1. Poterit † ergo Princeps su- 9.
premus bona sua priuata pro libito infeudare. Item & quæ
iure publico ipsi obuenerint, puta per confiscationem, ca-
ducitatem & commissum prius quàm edicto, vel vsu inter
bona Domanialia censeantur.

Sed nedum Princeps supremus, aut qui suprema iura
obtinet, superiorem licèt agnoscat, qualis est Dux Sabau-
diæ, Dux Mantuæ, qui Imperatorem agnoscunt; verùm
† etiam inferiores, nimirum Duces, Marchiones, Comi- 10.
tes, & his similes, qui licèt suprema iura non habeant, non
propterea minus regalem dignitatem habere dicuntur,
quippe qui à solo Rege creari possint. §. 1. *de feud. March. &*
§. 1. *quis dicatur Dux*, &c. Inuestitus † namque de Ducatu à 11.
Rege Dux, de Marchia Marchio, de Comitatu Comes ap-
pellantur, cum potestate subinfeudandi ciuitates, castra &
oppida infra eorum Ducatum, Marchiam, Comitatum exi-
stentia, vnde Capitanei Regis, seu Regni dicuntur, §. 1.
vers. Dux, &c. *de his qui feud. dar. poss.* & ab his subinfeudati
† maiores valuasores nominantur. *d.* §. 1. *quis dicatur Dux*; 12.
hodie verò Barones, vel Capitanei Regis, *d.* §. 1. *vers. Dux*,
&c. quia potestatem habent alios subinfeudandi, qui non
maiores, † seu Regis valuasores, sed minores dicuntur, qui- 13.
bus nimirum non sit authoritas alios sub se feudatarios ha-
bendi, imò ab illis creati valuasini sunt, qui antiquo vsu
cõsuetudinem feudi nullã habebant. Et pari iure censendi
erũt † qui à simplicibus feudatariis, licèt à Rege creatis, sub- 14.
infeudati fuerint, cùm illis non competat authoritas ex
qualitate feudi alios sub se feudatarios habendi, hodie inter
feudatarios reputantur, quatenus reperiantur descripta in
quaternis curiæ regiæ, & inde Quaternata appellãtur, inde
nobilitatem suo tribuunt possessori. Et ex præmissis vsu
recepta fuerunt † quæ vulgò dicuntur *bans*, & *arrierebans*, 15.
illa namque diriguntur Ducibus, Marchionibus, hæc sub-
infeudatis, dum monentur omnes quòd Regem comiten-
tur ad bellum proficiscentem, licèt dictio † *Heribannum* 16.
apud Germanos, quod Gallicè vertimus *Arrierebam*, signi-
ficet citationem ad comparendum in exercitu.

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiastici licèt ab initio tanquam feudorum incapaces feuda non concederent, progressu temporis feuda sibi concessa Regum liberalitate dare cœperunt.*

2 *Ecclesiastici feuda retinentes non per seipsos, sed per substitutum idoneum, militiæ munus domino qui feudum concessit, exhibent.*

3 *Summus Pontifex supremam in spiritualibus habitu & actu, in temporalibus verò licèt actu non semper & vbique, habitu tamen potestatem obtinet.*

4 *Potest in feudum concedere bona omnium Ecclesiarum, nedum immediatè, verùm etiam mediatè sibi subiectarum, quia sit omnium Ecclesiarum absolutè dominus.*

5 *Prælati inferiores bona suarum Ecclesiarum infeudare, seu aliàs alienare nequeunt inconsulto Romano Pontifice, & sine solemnitatibus requisitis.*

6 *Pontifex infeudans de potestate ordinaria solemnitates adhibet, quas adhibere non tenetur, dum infeudat de absoluta.*

7 *Infeudatio rerum ad Ecclesiam pertinentium, etiam ratione supremæ iurisdictionis Summis Pontificibus interdicitur ex constitutione Pij Papæ V. ad cuius obseruationem Pontifices iuramento se adstringunt statim atque promoti sunt.*

8 *Feuda ad Ecclesiam reuersa Pontifex de nouo infeudare non potest, quod in Ducatu Ferrariæ ad Romanam Ecclesiam reuerso obseruatum fuit.*

9 *Prælati inferiores, puta Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Præpositus, & his similes, feuda dare possunt, distinctione tamen patrimoniorum priùs facta.*

10 *Clericus res suas priuati & laicalis patrimonij infeudare potest sine solemnitatibus, ex communi sententia.*

11 *Ita demum res suas infeudare potest, dummodo sit de personis enumeratis, & patrimonium sit eius qualitatis quod in feudum dari consueuit, cuius liberam habeat administrationem.*

12 *Prælati*

12 *Prælati inferiores Ecclesiæ patrimonium infeudare non possunt, nisi in casibus à iure permissis.*

13 *Prælatus potest infeudare sine solemnitatibus rem Ecclesiæ, si sit remota, infructuosa & modici valoris, vel si sit solita infeudari, licèt non sit modici valoris.*

14 *Res Ecclesiæ dicitur solita infeudari, si constet de prima concessione legitimè facta, vel non consito de ea, si per lapsum triginta annorum iure feudi possessa fuerit.*

15 *Res Ecclesiæ dum est possessa iure feudi per 30. annos, omnia solemniter acta fuisse præsumuntur, licèt ad præscriptionem inducendam 40. anni de iure Canonico requirantur.*

16 *Iure feudi possessa per decem tantùm annos, tunc ad inducendam consuetudinem infeudandi binus actus infeudationis; sententiæ in contradictorio, & alia requisita interuenire debent.*

17 *Possunt etiam Prælati res Ecclesiæ infeudare, puta si constet concessionem cedere in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, & confirmatam fuisse auctoritate Apostolica.*

18 *Summus Pontifex concurrere debet in alienationibus, seu infeudationibus factis rerum Ecclesiæ per inferiores Prælatos, nedum confirmando, verùm etiam dispensando, si res Ecclesiæ fuerit ea lege quæsita, ne alienetur, vel quòd certis deseruiret vsibus.*

19 *Prælati res Ecclesiæ infeudare possunt, nedum extraneis, verùm etiam eorum propinquis, dummodo palàm fiat, & bona fide.*

HActenus de secularibus; Ecclesiasticæ † verò personæ, 1.
licèt ab initio tanquam feudorum incapaces repellerentur, deinde progressu temporis ex quadam benignitate admissæ fuerunt, & inde feuda sibi concessa liberalitate Regum, seu Procerum dare cœperunt, eo maximè, quia
† feuda retinentes non per seipsos, sed per substitutum 2.
idoneum militiæ munus domino exhiberent. Et primò,
quando † Summus Pontifex, caput totius Ecclesiæ, supre- 3.
mam in spiritualibus habitu & actu, & in temporabilibus, licèt non semper, & vbique actu, habitu tamen potestatem
obtinens, ex *c. nouit*, cum *ibi* notat. *de iudic.* possit † in feu- 4.
dum

dum concedere bona Ecclesiarum, nedum sibi immediatè, verùm etiam mediatè subiectarum, extra controuersiam positum est, quia sit omnium Ecclesiarum absolutè dominus, ex notatis per Bald. Ias. & alios *in cap.1. de his, qui feud.*
5. *dar.poss.* adeò † vt inferiores Prælati bona suarum Ecclesiarum infeudare, seu aliàs alienare non valeant, nisi solemnitatibus adhibitis, & consulto Rom. Pontifice, *cap. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienan. in Extrauag. comm.* Easque
6. † solemnitates solet Pontifex adhibere dum infeudat procedens de potestate ordinaria, arg. *l. humanum. C. de leg.* licèt dum absoluta vtitur, non teneatur. *l. Princeps. ff. de leg.*
7. *§. sed quod Principi, Instit. de iur. natur. gent. & ciuil.* Hodie † tamen ex constitutione Pij Papæ V. interdicitur quælibet infeudatio rerum ad Ecclesiam Romanam, etiam ratione supremæ iurisdictionis, quam in plerisque Italiæ partibus, & hîc Auenioni obtinet, pertinentium, ad cuius obseruantiam statim atque ad Pontificatum promoti sunt, se iura-
8. mento adstringunt, ita vt neque feuda † ad Ecclesiam reuersa de nouo concedere possint, vt annis superioribus visum fuit in Ducatu Ferrariæ. Prælati etiam inferiores,
9. † puta Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Præpositus, & his similes, feuda dare possunt; sed
10. distinctione patrimoniorum priùs facta, quia quoad † priuatum & laicale patrimonium, ex communi sententia poterunt indistinctè & quàm voluerint rem, infeudare, ex notat. *in cap.1. per quos fiat inuestit.* ex sententia Andreæ de Isern. *in d. cap.1. de his, qui feud. dar. poss.* dummodo sint de personis
11. † enumeratis *in d. c.1.* & patrimonium eius qualitatis possideant, quam vti veriorem, & vsu receptam, admitto, dummodo qui feudum dat, liberam suorum bonorum administrationem habeat, *d. cap.1. per quos fiat inuestit.* Quoad Ec-
12. clesiasticum verò patrimonium, † non poterunt infeudare, nisi in casibus à iure permissis, *d. cap. ambitiosæ*, quorum tres
13. sunt præcipui, primus si † agatur de re modici valoris, remota & infructuosa, poterunt namque eo casu infeudare sine solemnitate aliqua. *d. cap. terrulas 12. q. 2.* Secundus si res sit solita infeudari. *c.2. de feud. in antiq.* quo casu & licebit Prælatis sine solemnitate reinfeudare, ex notat. per Feudistas

stas *in d.cap.1.de his qui feud.dar.poss.* signanter per de Isern. *in cap.1.de cler. qui inuestit.fac.* Dicitur verò solita infeudari † si constet de prima concessione legitimè facta; sed si 14.
non constet, tunc dicitur solita, si per 30. annos res Ecclesiæ feudi iure possessa fuerit; tunc enim † per lapsum 15.
longissimi temporis præsumuntur omnia solemniter acta, ex notat. per Felin. Dec. & alios, *in d.cap. sicut, de re iudic.* Et nouissimè Stiatic. *in d.cap. ambitiosæ, num.20. vers. eandem opinionem*, &c. licèt ad præscriptionem inducendam 40. anni de iure Canon. requirerentur, *Auth. Quas actiones. C.de sacros.Eccl.* s. *cap.illud, de præscriptio.* Quòd si per decem † annos res tantùm possessa fuisset iure feudi, tunc binus 16.
actus infeudationis sententiæ in contradictorio, & alia requisita ad inducendam consuetudinem, ex notat. *in l.de quibus, ff.de leg.* desiderarentur. Tertius casus † si solemnita- 17.
tes in ea facienda interuenirent, de quibus *in d. cap. ambitiosæ*, nimirum quòd constaret legitimè concessionem cedere in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, & confirmata fuisset authoritate Apostolica, vnde sequitur † Summum Pon- 18.
tificem concurrere debere in alienationibus factis per inferiores, nedum confirmando, verùm etiam dispensando, si res Ecclesiæ quæsita fuerit ea lege, ne alienetur. §. *sanctissima, Auth. de alien. & emphyt.* vel quòd certis deseruiret vsibus, *Clem. quia contingit, de religios.domib.* ibi, *cùm tamen ea quæ ad certum vsum*, &c. Quod adeò verum, † vt in feu- 19.
dum dare possit nedum extraneis, verùm etiam eorum propinquis, dummodo palàm fiat bona fide, & sine Ecclesiæ læsione, ex notatis per gloss. *fin. in cap.1. si de inuestit. inter dom. & vasall.* & Capyc. *in sua inuestit. verb. Prælati Ecclesiarum, conclus.9.*

---

§. II.

SVMMARIVM.

1 *Feudum quilibet recipere potest, etiam seruus.*

2 *Seruus per feudum sibi à domino concessum liber, ingenuus &*

C *feudatarius*

feudatarius efficitur, imò plerumque nobilis, si dominus concedens habeat nobilitandi authoritatem.

3 *Feudum seruo alieno contemplatione serui, non domini, datum, dominus non consequitur, nec etiam seruus, quia est illius incapax.*

4 *Feudum seruo alieno ignoranter datum non subsistit.*

5 *Feudum Monacho scienter rectè dari potest, & si datum sit contemplatione Monachi, durat tantùm, quandiu viuit; si verò contemplatione Monasterij, perpetuò penes Monasterium manere debet.*

6 *Feudum recipere possunt ij, qui à feudi successione repelluntur, qualis est fœmina, mutus, surdus & naturalis, modò concedens eorum qualitates sciuerit.*

7 *Fœmina, Clericus & alij, qui regulariter feudorum sunt incapaces, nominatim in inuestitura à domino sciente eorum defectus concessa efficaciter comprehenduntur.*

8 *Dominus feudum concedens, similes personas non censetur in sua inuestitura comprehendere noluisse, quæ de iure sint inhabiles ad seruitia militaria, vel ad secretum & fidele consilium, propter quas causas feuda vtplurimum conceduntur, si earum conditionem ignorauerit.*

9 *Rusticus scienter à domino feudum concedente inuestiri potest.*

10 *Feudum dari potest furioso, mente capto, multo magis infanti & pupillo scienter à domino feudum concedente.*

11 *Concessio feudi facta pupillo sine tutore valet, modò ei sit vtilis.*

12 *Scientia concedentis supplet defectum recipientis, eumque habilitando admittit ad exhibenda debita munia per substitutum.*

13 *Feudum dari potest per minorem maiori, modò concedens in minori dignitate cõstitutus non dependeat à maiori, veluti dum Imperator à Rege Francorum, qui ab Imperatore nullatenus dependet, Comitatum Flandriæ in feudum tenebat.*

14 *Feudũ si concedatur à vasallo eius Principi supremo, non subsistit concessio, quòd inconueniens sit superiorem inferiori subesse.*

15 *Feudum iure successionis, vel aliàs iure priuato Principi supremo obueniens quòd ab eius vasallo dependeat, tenetur Princeps à se dimittere, & in priuatam personam transferre.*

Feudum

FEudum autem quilibet † recipere potest, adeò vt etiam serui sint feudi capaces. *§. personam, per quos fiat inuestit.* 1.
Nam aut dominus † proprio seruo feudum concessit, & ex eo liber, ingenuus, & feudatarius, imò plerumque nobilis efficitur, si concedens nobilitandi authoritatem habeat, arg. *l. super seruis. C. qui milit. poss. lib. 12.* Aut quis scienter † seruo alieno feudum dat serui contemplatione, non domini, & tunc dominus feudum non consequitur, quia non sit ea concedentis voluntas, arg. *Auth. Excipitur. C. de bon. mater.* nec seruus, quia incapax, & iure ciuili pro mortuo sit *l. quod attinet. ff. de regul. iur.* Aut ignoranter † seruo alieno datur, & non subsistit, arg. *l. fideicommissa. §. si seruo. ff. de legat.* 3. Et inde infertur † rectè Monacho scienter dari posse, ita vt si illius contemplatione, durante eius vita tantùm, si monasterij, perpetuò penes monasterium manere debeat, ex notat per Bald. *in cap. 1. num. 1. circa med. de milit. vasall. qui arm. bell. depos.* & per Andr. *in d. §. personam*; inde etiam sequitur † feudi recipiendi capaces esse, qui à feudi successione regulariter repelluntur, modò concedens recipientis qualitates sciuerit. Quamuis itaque fœminæ à feudi successionem repellantur, item muti, & surdi, vel aliàs imperfecti. *§. mutus, sub tit. Episcopum, vel Abbat. c. 1. An mutus, vel aliàs imperfect.* Item naturales. *§. naturales, si de feud. defunct.* Item Clerici. *§ ex hoc, de feud. fœm.* non tamen feudalis inuestituræ sunt incapaces, si dominus concedens eos defectus nouerit. Et propterea † fœmina nominatim in inuestitura efficaciter comprehenditur. *cap. 1. §. hoc autem notandum. de his qui feud. dar. poss.* Idem de Clerico. *cap. verum, cap. ex transmissa, de for. competen.* Idem de aliis seruis, † si eorum conditionem ignorauerit, qui argumento ducto à seruis ignoranter inuestitis, quia in dubio censeatur voluisse feudum dare personis capacibus, ad illius successionem repelluntur, non à successione, quia non sint habiles ad seruitia militaria, vel ad secretum & fidele consilium, quibus de causis vt plurimum feuda conceduntur. Inde etiam infertur, † rusticum scienter inuestiri posse. *§. ex eadem lege, de leg. Corrad.* cum *ibi* notat.

(margin numbers, in order: 2. at "Nam aut dominus"; 3. at "scienter † seruo"; 4. at "ignoranter † seruo alieno"; 5. at "inde infertur"; 6. at "tur † feudi recipiendi"; 7. at "rit. Et propterea"; 8. at "for. competen."; 9. at "Inde etiam infertur")

Infertur denique † furiosum, mente captum, multo ma- 10.

gis infantem & pupillum scienter à domino inuestiri posse,
11. quod adeò verum, † vt pupillo sine tutore concessio facta valeat, modò ei sit vtilis. §. 1. *Instit. de author. tutor. l. 1. C. eod.*
12. Scientia † namque concedentis defectum recipientis supplet, eumque habilitando admittit ad exhibenda debita
13. munia per idoneum substitutum. Potest etiam † dari feudum per minorem maiori, modò concedens, licèt in minori dignitate constitutus, non dependeat à maiori, velut dum Imperator, qui maiorem obtinet dignitatem præ cæteris Principibus supremis, in feudum tenebat à Rege Francorum, qui tamen ab Imperatore nullatenus dependet,
14. Comitatum Flandriæ; secus verò † dicendum esset, si Regi Francorum feudum concederetur ab eius vasallo: intercideret namque eo casu ius vasalli, quòd inconueniens esset superiorem inferiori subesse. arg. *l. interdum. ff. de oper. libert.*
15. At si † iure successionis, vel aliàs iure priuato simile quid Regi obueniret, teneretur rem à se dimittere.



CAPVT II.

De materia feudi.

SVMMARIVM.

1 *Feudum constitui non potest in rebus mobilibus, seu per se mouentibus, etiam mediante cautione.*
2 *Feudum concedens retinet dominium directum, & recipiens vtile consequitur, quæ locum habere non possunt in re mobili saltem cum fructu conuenienti.*
3 *Feudi concessio perpetuò vtplurimum fieri consueuit, ne possit perpetua cautio admitti.*
4 *Feuda quandoque conceduntur ad vitam recipientis tantùm.*
5 *Vera ratio, cur feudum in immobilibus constitui debeat, ea est, quia sic vsus inualuerit.*
6 *Res immobiles tantùm iure à lege feudi dabantur, quo ditiones bello occupata tutiores essent, dum feudatarij sic propria bona tutando*

tutando, fideliùs Regis, seu Principis supremi ditionem tutarentur.

7 *Non omnium, quæ à maioribus tradita sunt, certa ratio potest afferri.*

8 *In re mobili feudum constitui potest, si de per se non consideretur, sed veluti appendix.*

9 *Feudum potest tantùm constitui in rebus soli, seu quæ pro immobilibus reputantur, modò sint in commercio, secus si extra.*

10 *Dux, Marchio, Comes, vel etiam Baro, habita ratione vniuersitatis consequitur tantùm dominium vtile eiusmodi feudorum, directo penes concedentem remanente.*

11 *Dux, Marchio, Comes, Baro, ciuitatum & locorum, ex quibus vniuersitas constituitur, directum dominium assequuntur.*

12 *Dux, Marchio, Comes potest de rebus singularibus, quæ suo subsunt directo dominio, subinfeudando Baroniam erigere.*

13 *Baro qui habet tantùm vtile dominium vniuersitatis Baroniæ, directum verò locorum particularium, ex quibus vniuersitas Baroniæ constituitur, ea loca subinfeudando potest minores valuasores constituere.*

14 *Valuasor minor, seu feudatarius simplex obtinet dominium directum rerum particularium in suo territorio existentium, ex quibus vniuersitas feudi constituitur, quas propterea in emphyteusim passim concedere potest, & ita vsu receptum est.*

15 *Feudatarij licèt de iure non habeant intentionem fundatam in dominio directo vniuersali rerum particularium, ex quibus vniuersitas feudi constituitur, sed tantùm in dominio iurisdictionali, nihilominus ex consuetudine plerique feudatariorum fundatam habent intentionem in dominio directo vniuersali dictarum rerum particularium.*

16 *Dominium directum infeudantis & subinfeudantis, prout vice versa dominium vtile subinfeudantium subordinatur vnum ad aliud; ita vt vnum dicatur dominium vtile superius, aliud inferius.*

DVPLEX regula constituenda, vna negatiua, altera affirmatiua. Prior nimirum † quòd in rebus mobilibus, seu per se mouentibus, feudum constitui non possit, 1.



etiam mediante cautione, de qua *in l.1. ff. de vsufruct. ear. rer. quae vsu consum.* Duplex ratio solet afferri, videli-
2. cet quòd in constituendo † feudo concedens dominium directum retineat, recipiens vtile consequatur. §. *huius autem generis, in quibus caus. feud. amitt.* quæ vix locum habere possint in re mobili, saltem cum fructu conuenien-
3. ti. Secundò, quòd concessio † in feudum sit perpetua. *d. §. huius autem.* nec possit cautio perpetua admitti, licèt ad tempus, nempe ad mortem vsufructuarij. *dict.l.1.* Sed vtraque displicet, prima quidem, quia non esset inconueniens, vt rei mobilis vnus directum, alter vtile haberet dominium. Secunda, quòd non sit semper vera, quia quando-
4. que † feuda ad vitam recipientis tantùm conceduntur. §. *&
5. quia, de his qui feud. dar. poss.* Vnde verior † ratio potest afferri, quia sic vsus inualuerit, ea potissimum de causa, quia
6. † res immobiles iure & lege feudi dabantur, quo ditiones bello occupatæ tutiores essent, dum feudatarij sic propria bona tutando fideliùs Regis ditionem tutarentur, quæ ra-
7. tio colligitur ex Lampridio *in vita Alexandri.* Quamuis † &
8. ratio posset afferri ex *l. non omnium. ff. de legib.* Fallit † autem prædicta regula, si non de per se considerentur, sed veluti appendix rei immobilis, veluti quia perpetui vsus causa ibi sunt. *l. fundi. §. Labeo. ff. de actio. empt.* vel quia pro instrumento fundi. *l. si quando. C de bon. vacant. lib.* 10. vel sint pars fundi, quales sunt fructus pendentes. *l. fructus. ff. de rei vend.*
9. Vnde succedit secunda regula affirmatiua, † quòd scilicet in rebus soli tantùm, seu quæ pro immobilibus reputantur, feudum constitui possit, ex tex. *in §. sciendum, de feud. cognit.* Quod tamen ita demum erit verum, modò sint in commercio, secus si extra. §. *nullius, cum tribus seqq. Inst. de rer. diuis. l. apud Iulianum,* aliàs *l. cùm seruus. §. constat. ff. de legat. 1.* Sed suboritur difficultas, quomodo possit Dux, Comes, Marchio, vel etiam Baro subinfeudare, cùm penes ipsos sit tantùm vtile dominium, nec possint subinfeudando directum, quod non habent, retinere. Cui respondendum
10. erit directum † dominium Ducatus, Marchiæ, Comitatus, habita ratione vniuersitatis, Ducatus, &c. penes conceden-
11. tem manere, sed ciuitatum, † locorum & castrorum parti- cularium,

cularium, ex quibus simul collectis vniuersitas constituitur, directum dominium in ipsos Duces, Marchiones, Comites transire. Vnde non mirum, si de rebus illis singularibus possint subinfeudando Baroniam exigere. Non mirum etiam † Baro, qui vtile dominium obtinet vniuersitatis, 12.13.
Baroniæ, possit loca particularia ipsius Baroniæ subinfeudando minores valuasores constituere. Non mirum denique, si † minor valuasor, seu simplex feudatarius possit di- 14.
rectum dominium rerũ particularum in suo territorio existentium habere, & eas in emphyteusim concedere, quod hodie passim vsu receptum est.

Ita vt plerique feudatariorum † hodie ex consuetudine 15.
fundatam habeant intentionem in dominio directo vniuersali dictarum rerum particularium, licèt de iure non sit in eo fundata eorum intentio, sed tantùm in dominio iurisdictionali, ex notat. *in l. bene à Zenone. C. de quadrien. præscriptio.*

Verùm maior suboritur difficultas, quonam modo possit minor valuasor, seu simplex feudatarius subinfeudando valuasinum constituere, cùm in eum transferre nil possit, propter vtile dominium, quod habet. Sed respondendum † dominium vtile subinfeudantis, & valuasini subin- 16.
feudati, subordinari vnum ad aliud, ita vt vnum dicatur dominium vtile superius, aliud verò inferius.

---

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictionum omnium fons perpetuus & indefinens est penes Imperatorem, seu Principem, à quo tanquam mari iurisdictiones omnes tanquam riuuli, siue mediatè, siue immediatè fluunt & manant.*

2 *Suprema potestas est à Principe supremo inseparabilis.*

3 *Iurisdictio quandoque conceditur in officium & administrationem, & tunc cumulatiuè dicitur concedi, & eam Princeps tollere potest, nimirum auocando ad se, vel manum apponendo*

nendo, dum eam actu exercet.

4 *Iurisdictio dum in titulum conceditur, seu proprietatem, seu dominium, puta eam in feudum concedendo, nimirum accessoriè ad castrum, vel de per se considerata, priuatiuè concessa censetur à Principe, ita vt neque possit eam auocare.*

5 *Lex* pacta seruabo, *processit ab ore Dei, & Princeps eâ ligatur.*

6 *Princeps licèt sit supra leges, non tamen est supra pacta & conuentiones à se cum aliis factas.*

7 *Iurisdictio inhaeret territorio instar nebulae super paludem, & quidem passiuè semper.*

8 *Territorium à terrendo dictum, quòd subsit alterius iurisdictioni.*

9 *Iurisdictio actiuè dicitur inhaerere territorio, si per officiales actu residentes intra locum, eiúsve districtum exerceatur.*

10 *Iurisdictio dicitur tantùm passiuè inhaerere territorio, si extra locum eiúsve territorium, puta intra ciuitatem, à qua locus ille dependet, vel ei vicinam, exerceatur.*

11 *Iurisdictio actiuè inhaerens territorio, seu castro in feudum concesso, censetur etiàm accessoriè in feudum concessa fuisse.*

12 *Iurisdictio territorio passiuè tantùm inhaerens, non includitur accessoriè sub illius concessione, nisi aequè principaliter concedatur.*

SEd non solùm immobilia, verùm etiam quae immobilibus adiacent, seu ab illis dependent, siue sint mobilia, seu per se mouentia, vt supradictum est, siue iura, veluti iurisdictio, & his similia, in feudum dari possunt. Et qui-
1. dem † iurisdictionum omnium fons indesinens & perpetuus est penes Imperatorem, seu aliàs Principem supremum, à quo tanquam mari iurisdictiones omnes instar riuulorum, siue mediatè, siue immediatè fluunt & manant. *§. iudices verò, de pac. tenen. & iuram firman.* vbi Iacob. de Bel-
2. uiso, Bald. Aluarot. Afflict. & alij, quod adeò † verum, vt suprema illa potestas sit à Principe inseparabilis. *cap.* 1. *de*
3. *allod.* cum *ibi* notatis: solet autem † Princeps aliis iurisdictionem concedere quandoque in officium, seu administrationem,

tionem, quo casu cumulatiuè conceditur. *l. 1. C. de offic. praefect. vrb.* puta dum creat officiales, illosque deputat pro administratione iustitiae, seu alij de eius voluntate creant, *d. §. iudices verò.* Et potest eo casu pro libito voluntatis iurisdictionem concessam tollere, nimirum auocando ad se, vel se intromittendo dum eam actu exercet; quod nostri dicunt *manus apponere*, ex notat. *in l. omnes populi. ff. de iust. & iur.* per Bald. *in l. qui se patris. C. vnde liberi*, & Afflict. *in cap. 1. 3. not. quibus mod. feud. amittat.* per text. *in l. iudicium soluitur. ff. de iudic. cap. vt nostrum, de appell.* cum similib.
Quandoque † in titulum, siue proprietatem, siue dominium, veluti dum in feudum conceditur, vel accessoriè, puta ad castrum, vel de per se considerata, quo casu priuatiuè conceditur à Principe, ita vt non possit auocari, nec de ea sic concessa se intromittere debeat, ex notat. per Bald. *in l. 1. q. 43. ff. de rer. diuis.* Panorm. *in cap. caeterùm, de iudic. cap. ex transmissa, & cap. ex tenore, de for. competen.* quia lex, † *pacta seruabo*, processit ab ore Dei, ex notat. *in l. iurisgentium. §. ait praetor. ff. de pact.* & eâ Princeps ligetur, ex notat. per Bald. *in cap. rubri, de constitut. extr. dec. in l. nemo potest. §. 1. ff. de reg. iur. & in cap. 1. de probat.* Et quamuis † sit supra leges, non tamen sit supra pacta & conuentiones à se cum aliis factas, ex notat. *in l. digna vox. C. de leg.* Iurisdictio † autem inhaeret territorio instar nebulae super paludem, ex Bald. *in cap. 1. de allod.* Et quidem passiuè semper, quia territorium † à terrendo ex eo dictum, quòd subsit alterius iurisdictioni. *l. pupillus. §. territorium. ff. de verb. signific.* quandoque † etiam actiuè, si per officiales actu residentes intra locum eiúsve territorium exerceatur passiuè tantùm, † si extra locum, eiúsve territorium, puta intra ciuitatem, à quo locus ille dependet, vel ei vicinam, exerceatur.

4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Poterit itaque iurisdictio † quandoque in feudum concedi, veluti accessoria territorij, cui actiuè inhaeret, ipso nimirum territorio concesso in feudum. *l. 1. §. cùm vrbem. ff. de offic. praefect. vrb. d. l. si quando. C. de bon. vac. lib. 10.* Et inde concesso castro, vt plurimum censetur concessa iurisdictio, si actiuè inhaereat, quandoque de per se considerata, 11.

D territorio

12. territorio namque concesso, † cui passiuè tantùm inhæret, non venit iurisdictio, veluti accessoria, nisi æquè principaliter concedatur.

§. II.

SVMMARIVM.

1 *Feudum potest constitui in rebus nedum corporeis, verùm etiam incorporeis, & iuribus, vt dum iurisdictio sola & de per se considerata conceditur in feudum, & non tanquam castri, seu territorij accessoria.*

2 *Regalia siue minora, siue maiora, de per se considerata in feudum dari consueuerunt, quippe quæ non veniunt accessoriè ad concessionem castri, seu territorij in feudum tanquam reseruata Principi supremo, seu ei qui vice eius fungitur.*

3 *Regalia non continentur sub concessione in feudum, nisi de illis nominatim fiat mentio, saltem in genere quoad minora.*

4 *Regalia maiora non includuntur sub generali concessione in feudum, puta alicuius castri, nisi de illis in specie, seu in indiuiduo distinctè & expressè mentio habeatur.*

5 *Regalia maiora recensentur ius indicendi bellum, dignitates regales, seu titulata feuda erigendi, ius cognoscendi de crimine læsæ Maiestatis, ius cudendi monetam, leges condendi, & alia his similia.*

6 *Regalia maiora specialiter affecta sunt supremæ potestatis authoritati.*

7 *Potestatis supremæ iura Principes quandoque solent in feudum concedere, retenta sibi superioritate, & in illius signum recognitione.*

8 *Duces Sabaudiæ, Etruriæ, Mantuæ, Imperatorem pro superiori agnoscunt; Duces verò Vrbini, Parmæ, & olim Ferrariæ, Summum Pontificem, licèt supremæ potestatis iura obtineant.*

9 *Regalia maiora in Gallia concedi non possunt in feudum, vti de domanio existentia, & à dominatu coronæ Franciæ inseparabilia.*

1. ET ex præmissis infertur, † vt possit feudum nedum in rebus soli, & corporeis, verùm etiam in iuribus, & rebus

rebus soli & corporeis, constitui. §. *sciendum, de feud. cognit.* puta dum iurisdictio sola & de per se considerata, non autem tanquam castri, seu territorij accessoria in feudum cōceditur, vel etiam dum regalia infeudantur, † siue sint minora, 2.
siue maiora, quorum bona pars recensetur in tit. *Quæ sint regal.* neque enim vnquam veniunt accessoriè, ex notat. *in cap. 1. de capitan. qui curi. vendid.* Sunt namque reseruata Principi supremo, seu ei, qui vice eius fungitur; & idcirco † sub concessione in feudum non continentur, nisi de il- 3.
lis nominatim fiat mentio in genere quoad minora, quales sunt viæ publicæ de loco ad locum, cum similibus. Et in specie, seu † in indiuiduo, quoad maiora, qualia sunt † ius 4.
indicendi bellum, armanniarum appellatione designatum 5.
in d. tit. quæ sint regal. dignitates regales, seu titulata feuda erigendi, ius cognoscendi de crimine læsæ Maiestatis, ius cudendi monetam, leges condendi, & alia his similia, specialiter namque, distinctè & expressè concedi debent, tanquam ea, † quæ specialiter affecta sint supremæ illi po- 6.
testati, authoritate, cuius supremæ potestatis iura † quan- 7.
doque Principes solent in feudum concedere, retenta sibi tantùm superioritate, & in illius signum recognitione, quales videmus esse hodie vtplurimum Duces Italiæ, nimirum Ducem † Sabaudiæ, Etruriæ, Mantuæ, qui Im- 8.
peratorem, Ducem Vrbini, Parmæ, & olim Ferrariæ, qui Pontificem supremum respectiuè agnoscunt, sed † in Gal- 9.
lia regalia illa maiorum non possunt in feudum concedi, tanquam de domanio existentia, & propterea à dominatu coronæ Franciæ inseparabilia.

---

§. III.

SVMMARIVM.

1 *Feudum constitui potest in redditibus annuis perpetuis, & non redimibilibus, qui* fundiarij *vulgò appellantur, nimirum creati mediante fundi alicuius traditione.*

2 *Feudum item constitui potest in redditibus perpetuis, redimibilibus tamen, qui pretio interueniente creantur ad rationem tot pro centenario.*

3 *Redditus annui & redimibiles diuersimodè creantur, iuxta diuersas regionum consuetudines, modò tamen non excedant decem pro centenario, ex quadam iuris tolerantia.*

4 *Auenioni & in statu Ecclesiastico ex Bullis Summorum Pontificum, signanter Pij Papæ V. tales redditus non possunt excedere metam septem pro centenario.*

5 *Hodie in Gallia similes redditus non possunt excedere metam sex & vnius quartæ partis pro centenario.*

6 *Similes redditus redimuntur restituto pretio accepto, dum & quando venditori libuerit.*

7 *Redditcuum mediante pecunia creatorum solutio continuari debet, licèt res, super quibus impositi fuerant, perierint, quamuis contrarium constitutum fuerit per dictam Bullam Pij Papæ V.*

8 *Tenor dictæ Bullæ non vbique seruatur, & eius rigor plerumque temperatur, etiam in Rota Romana.*

9 *Redditus perpetui, licèt redimibiles, super immobilibus assignati, vice immobilium funguntur.*

10 *Tales redditus respectu emptoris, qui venditorem ad redimendum nunquam cogere potest, sunt omnino perpetui.*

11 *Perpetuitas dictorum redditcuum quodammodo inducitur, si conuentio fiat de conuertendo pretio redemptionis nomine liberando ad libitum emptoris in emptionem aliorum redditcuum, vel bonorum immobilium.*

12 *Feudum in dictis redditibus ea lege, seu conuentione creatis consistens erit in effectu perpetuum.*

13 *Feudum constitui non potest in illis redditibus annuis & perpetuis, qui sola actione personali sustinentur, quia vice immobilium non fungantur, quod ex dicta Bulla indubitatum est, qua ordinatur eos imponi debere super re immobili & fructum afferente.*

QVod de iurisdictioni & Regalibus dictum, idem de cæteris iuribus dicendum, quæ, illorum instar, re-
1. bus immobilibus hærent, & propterea † rectè feudum constitui

ſtitui poterit in redditibus annuis, ſiue ſint perpetui, & non redimibiles, quales ſunt reditus conſtituti & creati mediante fundi alicuius traditione, qui vulgò *reditus fundiarij* appellantur de quibus *in Clem. Exiui de paradiſo. §. cumque annui reditus, de verb. ſignific.* & *in § ſi verò habeat reditus, vt hi qui obligatas perhib. res minor.* ſiue ſint perpetui, redimibiles † tamen, quales ſunt qui certo pretio interueniente 2.
creantur, ſeu venduntur, ad rationem nimirum tot pro centenario, quæ ratio diuerſa admittitur, † iuxta diuerſas 3.
Regionum conſuetudines, modò tamen non excedat decem pro centenario. *cap. 1. de empt. & vend. in Extrauag. commun.* quod de iure quodammodo toleratur, ex notat. per Bald. *in l. fin §. præterea. C. de iur. dot.* licèt hîc Auenioni,
† & ex Bullis nouiſſimorum Pontificum, præſertim Pij V. 4.
non poſſit excedere ſeptem pro centenario, & hodie † in 5.
Gallia ſex & vnam quartam partem, qui reditus † redi- 6.
muntur reſtituto pretio accepto dum & quando venditori libuerit, nec ceſſare debet venditor † à ſolutione redi- 7.
tus ſic creati, quantumuis res peierint, ſuper quibus impoſitus eſſe reperitur. *d. cap. 1. & cap. 2. de emptio. in Extrauag.* quamuis ex conſtitutione, ſeu Bulla Pij V. ſecus ſit, qui multum eiuſmodi reditus reſtrinxit, quamuis tenor † di- 8.
ctæ Bullæ non vbique ſeruetur, & eius rigor plerumque temperetur, etiam in Rota Romæ. In iſtis itaque reditibus, licèt ſint redimibiles, feudum conſtitui poteſt, qui ſuper immobilibus aſſignetur, & propterea † loco ſint immobi- 9.
lium, & perpetui omnino † ſint reſpectu emptoris, qui 10.
venditorem ad redimendum nunquam cogit, imò & cautio adhiberi poteſt pro perpetuitate † quodammodo indu- 11.
cenda, ſi conuentio fiat de conuertendo pretio redemptionis nomine numerando, dum & quando venditor redimere voluerit, in emptionem aliorum redituum, vel bonorum immobilium. Et ſic eo modo feudum † in illis con- 12.
ſtitutum erit perpetuum in effectu, non poterit tamen feudum † conſtitui in illis reditibus, qui ſola perſonali actione 13.
ſuſtinentur, quia vicem immobilium non ſuſtineant, ſed ſint in tertio genere ipſorum iurium. *l. à Diuo Pio. §. ſi ſuper rebus. ff. de re iudic.* quod hodie in dicta Bulla Pij V. indubi-

tatum est, cùm nulli sint tales reditus, nisi quatenus super re certa immobili & fructum afferente fuerint impositi & assignati.

---

§. IV.

SVMMARIVM.

1 *Feudum etiam constitui potest in redditibus annuis à fisco recipiendis, licèt non sint assignati super immobilibus.*

2 *Fiscus semper censetur instar possessoris rerum immobilium, & ex eo releuatur à satisdatione.*

3 *Vectigalia, gabella, dohanna hærent immobilibus, & ideo feudum constitui potest super redditibus percipiendis iure feudi super gabellis, dohannis, &c. assignatis.*

4 *Redditus assignati iure feudi à fisco in pecunia recipiendi, prodeunt de Camera Principis, in qua pecunia asseruantur.*

5 *Redditus assignati iure feudi in grano, vino, oleo, carne & similibus, à fisco recipiendi constituunt feudum de cauena, sic à barbaris dicta, cella, seu penus Principis.*

6 *Feuda de cauena dicuntur intra curtem, quia tales redditus præstantur iis, qui in curte morantur, non extrà.*

7 *Qui pro custodia domini, vel domus dominicæ tales redditus iure feudi assignatos à fisco recipiunt, dicuntur obtinere feudum guardiæ; qui verò pro cura domus tanquam Actores, vulgò guastaldi, feudum guastaldiæ habere dicuntur.*

8 *Feuda de camera & cauena signanter guardiæ, guastaldiæ, morte concedentis, seu recipientis extinguuntur, imò ad libitum reuocantur.*

9 *Qui distulerit vno anno exigere annonam, non poterit sequenti anno petere, vel si non suppetant redditus stationis, seu iuris, super quo fuit assigatio facta, eo anno non præstabitur.*

1. SEd si feudum constituatur in redditibus annuis † à fisco recipiendis, licèt assignati non sint super immobilibus, tamen non propterea minus valebit feudi constitutio, quia
2. fiscus semper † instar possessoris rerum immobilium censea-

tur

tur, & ex eo à satisdatione releuetur, ex notat. per Alexan. *in l. sciendum*, 10. *ff. qui satisdar. cogan.* Et multo magis obtinebit, † si super certis iuribus, puta gabellis, dohannis, 3.
vectigalibus, vel etiam super certis stationibus fisci tales reditus percipiendi iure feudi assignentur, cùm talia iura rebus hæreant immobilibus. Et si quidem † in pecunia 4.
consistant, quia de Camera Principis prodeunt, in qua pecuniæ asseruantur, dicitur feudum de Camera; sin verò in annonis, † puta grano, vino, oleo, carne, & his simili- 5.
bus, quæ quandoque ciuiles. *l. iubemus. C. de sacros. Eccles.* quandoque militares, tit. *C. de erogat. militar. anno. lib.* 12. appellatur feudum de Cabiena, seu vt alij legunt, de Cauena, quasi camera auenæ; sed verius, quia hoc barbaro vocabulo cella, seu penus Principis designetur, vnde similes annonæ extrahuntur, de quibus feudis mentio fit *in §. sciendum, de feud. cognit. §. si vasallus, quid sit inuestitur. & §. 1. de not. feudorum*, quæ dicuntur † etiam feuda intra curtem, quia 6.
tales redditus præstantur his qui in curte morantur, non extrà. Et quidem, si pro custodia † domini, vel do- 7.
mus dominicæ adsint, feudum guardiæ, si pro cura domus tanquam actores, qui vulgò Castaldi, feudum Castaldiæ denominatur, quæ morte † concedentis, seu recipientis ex- 8.
tinguuntur, imò ad libitum reuocantur, *tit. de feud. guard. & castald.* & si distulerit † vno anno exigere annonam, 9.
non poterit sequenti petere. *l. nulli. C. de erogat. milit. annon. lib.* 12. aut si non suppetant redditus stationis, seu iuris, super quo fuit assignatio facta, non fit præstatio eo anno, *d. §. 1. de not. feud.*



CAPVT III.

De causa formali, seu forma feudi.

SVMMARIVM.

1 *Feudum in esse deducitur traditione vera, seu ficta, qua dici-*
tur

tur inuestitura vera, vel abusina, praecedente titulo habili ad transferendum ius illud in accipientem.

2 *Concessio feudalis, quae est titulus habilis ad transferendum ius feudi, fit per viam contractus, & quandoque priuilegij signanter à Principe supremo, quod deinde transit in contractum, acceptato tenore priuilegij per eum cui conceditur.*

3 *Concessio feudalis continet synallagma, quod vltro citróque producit obligationem, vt nimirum concedens teneatur facere, habere, tenere; recipiens autem tenetur ad fidelitatem tam in pace, quàm in bello.*

4 *Concessio in feudum est contractus nominatus moribus & consuetudine introductus, à qua nomen accepit.*

5 *Duplex actio oritur ex isto contractu aequè principalis in fauorem vtriusque contrahentis, quae conditio ex moribus appellatur, tanquam à moribus, seu lege non scripta inducta.*

6 *Actio quae à lege scripta introducta est, dicitur Condictio ex lege, & ad illius exemplum haec denominatur Condictio ex moribus.*

7 *Contractus feudalis substantialia tria sunt, primum quòd concedens directum dominium rei infeudandae, seu illius dominium vtile superius, quod directò aequipollet, sibi retineat, & vtile saltem inferius in recipientem transferat.*

8 *Secundum est quòd eo mediante recipiens adstrictus sit ad fidelitatem erga concedentem.*

9 *Tertium substantiale est quòd res immobilis, vel quae eius vice fungatur, detur in feudum.*

10 *Contractus feudalis naturalia sunt tria, primò quòd concessio fiat gratis: secundò quòd vasallus teneatur ad seruitium & plerumque militare, quòd concessio sit perpetua, & ad haeredes sanguinis transitoria.*

11 *Substantialia contractus feudalis omnino interuenire debent, quibus deficientibus destruitur concessio feudi.*

12 *Naturalia contractus pro libito partium possunt alterari, & ab illis recedi, quod multo magis obtinet in accidentalibus.*

13 *Accidentalia non insunt concessioni, nisi quatenus partes de illis expressè conuenerint.*

14 *Naturalia ineunt, etiamsi super illis nihil conuentum sit.*

15 *Pacta*

15 *Pacta quæ contra substantialia contractus concipiuntur, sunt transformatiua de vno contractu in alium, si alteri contractui conueniant, aut si non conueniunt, pro non factis habentur, vel ipsius contractus, qui celebratur, sunt annullatiua.*

16 *Fidelitas si remissa sit dum res in feudum conceditur sub præstatione annui canonis adiecta lege commissi, quæ propria est emphyteuseos, transformabitur contractus in emphyteusim, aut si non adsit lex commissi, in contractum censualem.*

17 *Forma conuenta si non conueniat alteri contractui, vitiabitur forma adiecta, firmo manente feudo, si omnino partes feudum constituere voluerunt, aut feudi constitutio omnino vitiabitur.*

18 *Pacta quæ contra naturalia feudi concipiuntur, dicuntur informatiua, quòd informent contractum & actionem ex eo descendentem.*

19 *Actio empti de sui natura competit pro euictione, licèt de ea nihil dictum sit quod assiduè eo nomine caueri soleat.*

20 *Si pacto conuentum sit ne venditor teneatur de euictione; ea tamen sequuta, tantùm competet actio empti à tali pacto informata ad pretium repetendum, non autem ad id quod interest.*

21 *Vasallus ex natura feudi tenetur domino ad seruitium, quod attenta generali consuetudine plerumque in militia exhibetur.*

22 *Seruitium intrinsecum & essentiale, quod est de essentia feudi, consistit in sex requisitis fidelitatis.*

23 *Seruitium extrinsecum, quod inducitur ab assuetis, & à quibus natura feudi determinatur, consistere dicitur dum militare seruitium domino præstatur, etiam citra conuentionem, quod propterea denominari consueuit seruitium indeterminatum.*

24 *Seruitium extrinsecum certum & determinatum dicitur quod ex conuentione partium expressa debetur, puta si promiserit domino subministrare, vel vxorem diebus festiuis associare, ad quod exigendum datur condictio ex moribus.*

25 *Concessio feudi ea lege facta, ne ad aliquod seruitium extrinsecum teneatur feudatarius, valet, & à tali pacto sic infor-*

mata denominabitur feudum francum, videlicet à seruitio, non tamen à fidelitate.

26 *Fidelitas nunquam remittitur, licèt præstatio sacramenti fidelitatis remitti posſit.*



1\. Ormatur, † & in esse deducitur quod definiuimus esse ius, &c. traditione vera, seu ficta, quæ inuestitura dicitur vera, vel abusiua rei in feudum concessæ, præcedente titulo habili ad ius illud in accipientem transferendum, argumento §. *per traditionem,*
2\. *Inst. de rer. diuisio.* nimirum † concessione feudali, quæ fit per viam contractus, & quandoque priuilegij, præsertim à Principe supremo, quod deinde transit in contractum, acceptato scilicet tenore priuilegij, per eum cui conceditur.
3\. † Continet autem ista concessio in se negotium, seu synallagma, quod vltro citróque producit obligationem, nimirum ex parte concedentis, vt teneatur facere, habere, & tenere. §. 1. *de inuestit de re alien. fact.* Ex parte verò recipientis, vt teneatur ad fidelitatem domino concedenti, tam in pace, quàm in bello, *in tit. de form. fidelit. & tit. seq.*
4\. Et ex ea concessione quæ à nostris † dicitur contractus nominatus moribus & consuetudine introductus, & ab ea nomen habens, per Andream de Isern. & alios *in §. præterea,*
5\. *quibus mod. feud. amitt.* duplex oritur actio † æquè principalis in fauorem vtriusque contrahentis, quæ condictio ex moribus appellatur, quia moribus, & sic lege non scripta, inducta ita denominatur, ad exemplum actionis, quæ de
6\. nouo † à lege scripta inducta vocatur Condictio ex lege. *l. 1. ff. de condict. ex leg.* Iste autem contractus sua habet substantialia, naturalia, & accidentalia, instar cæterorum, ad notata per gloss. & DD. *in l pacta conuenta. ff. de contrah.*
7\. *emptio.* Substantialia tria † sunt potissimum, primò quòd concedens directum dominium rei infeudandæ, seu dominium vtile superius, quod directo æquipollet, sibi retineat, & vtile saltem inferius in recipientem transferat. Secun-
8\. dò, quòd eo mediante recipiens † ad fidelitatem adstrictus sit erga concedentem. Tertiò quòd res immobilis,
9\. † vel quæ illius vice fungatur, in feudum detur. Naturalia

lia itidem † tria sunt, præcipuè primò quòd gratis concessio fiat. Secundò, quòd ad seruitium & plerumque militare teneatur domino vasallus, & quòd concessio sit perpetua, & ad hæredes, nimirum sanguinis transitoria. §. *huius autem generis, in quib. caus. feud. amitt.* §. *& quia, de his qui feud. dar. poss.* Sic itaque facienda † concessio, vt substantialia non deficiant, imò subsistant, cùm naturalia pro libito † contrahentium possint alterari, & ab illis recedi, quod multo magis in accidentalibus obtinet, quæ † non adsunt concessioni, nisi quatenus de illis conuenerint partes, licèt naturalia † insint, etiamsi nil super illis conuentum sit, ex notat. *in d. l. pacta conuenta.* Vnde pacta † quæ contra substantialia concipiuntur, sunt transformatiua de vno contractu in alium, si alteri conueniant contractui. *l. 2. ff. de reb. credit. l. 1.* §. *si vestimenta. ff. de poss.* aut pro non factis habentur, *l. cùm precario. ff de precar.* aut ipsius contractus, qui celebratur, annullatiua, & idcirco res in feudum concessa, † remissa omnino fidelitate, sub præstatione annui canonis, adiecta lege commissi, quæ propria emphyteuseos, *l. 2. & 3. C. de iur. emphyt.* transformabitur in emphyteusim, aut, si non adsit lex commissi, in contractum censualem; quòd si non conueniat † forma conuenta alteri contractui, aut vitiabitur, firmo manente feudo, si omnino partes feudum constituere voluerint, aut ipsius feudi constitutionem vitiabit, & nullam reddet; pacta verò, † quæ contra naturalia feudi concipiuntur, dicuntur informatiua, quòd informent contractum, & actionem, ex eo descendentem *l. Iurisgentium.* §. *quinimo. ff. de pact.* Licèt enim actio empti † sui natura pro euictione competat, quamuis de ea nil dictum sit. *l. non dubitatur. C. de euict.* quod assiduè eo nomine caueri soleret. *l. quod si nolit.* §. *quia adsiduà. ff. de ædilitio edict.* Si tamen conuentum sit ne de euictione teneatur venditor, † actio empti hoc pacto informata dabitur tantùm euictione sequuta ad pretium repetendum, non autem ad id quod præterea interest. Sic etiam ex natura feudi † tenetur vasallus ad seruitium domino, quod attenta generali consuetudine plerumque in militia exhibetur, siquidem nedum ad intrinsecum † seruitium, quod in sex re-

quisitis ipsius fidelitatis, de quibus *in tit. de form. fidelit.* includitur, & est de essentia feudi. *d. §. huius autem generis, in*
23. *quib. caus. feud. amitt.* Verùm etiam † ab assuetis, è quibus natura feudi inducitur, *d. l. quod si nolit. §. quia adsidua*, ad seruitium extrinsecum adstrictus est, quod ab assuetis determinatur, nimirum dum militare seruitium præstat, vel
24. ex conuentione partium, † puta si cautum sit quòd teneatur domino equum subministrare, vel vxorem domini diebus festiuis associare, & hoc certum ac determinatum seruitium appellatur, ad quod exigendum condictio ex moribus tali pacto informata, conceditur illud indeterminatum, quia non ab hominis expressa dispositione, sed ab assuetis ex præsumpta contrahentium voluntate reguletur. *d. §. huius autem generis, in fin.* quinimo si pacto conuentum
25. sit, † ne ad aliquod seruitium, scilicet extrinsecum, teneatur, valebit pactum, & feudum sic informatum denominabitur francum, videlicet à seruitio, non tamen à fi-
26. delitate, quæ † nunquam remittitur, licèt fidelitatis sacramenti præstatio, de qua *in d. tit. de forma fidel. & tit. seq* remitti possit, quia ipsa fidelitas sit de essentia, sacramenti verò præstatio de naturalibus.

---

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Feudi concessio debet esse perpetua, videlicet quòd duret nedum ad vitam recipientis, verùm etiam extendatur ad eius masculos per lineam masculinam descendentes.*

2 *Feudum perpetuatur successione vnius ad alterum comprehensorum in inuestitura.*

3 *Feuda olim pro libito concedentis reuocabantur, postea ad annum, seu ad certum tempus, demum ad vitam recipientis dari cœperunt, & vlteriùs progrediendo ad filios masculos recipientis in vnum ex illis, quem dominus elegisset, extensa fuit concessio.*

4 *Feuda iuris Francorum, in quibus solus primogenitus ex masculis*

culi primi recipientis per lineam masculinam descendentibus solus ad successionem feudi admittitur, fœminis semper exclusis, suam repetunt originem à prima concessione, quæ extendebatur ad vnum ex pluribus filiis masculis primi recipientis, quam dominus elegisset, quòd soleret dominus concedens plerumque primogenitum eligere.

5 *Feudi concessio omnes filios masculos primi recipientis æqualiter successuros, mortuo eorum patre, sub se comprehendere cœpit.*

6 *Corradus Imperator Romam proficiscens lege cauit, vt ad nepotes ex filio successio feudi produceretur, & ad fratrem vltimi possessoris; in feudo tamen, de quo fuisset inuestitus communis eorum parens.*

7 *Feudum ad quod masculi tantùm descendentes à primo inuestito admittuntur, dicitur paternum.*

8 *Deinde extensa fuit ad fratres patrueles vltimi possessoris concessio feudi, quod communi eorum parenti concessum fuerat, postea ad septimum geniculum, siue gradum, & demum ad omnes masculos descendentes à primo inuestito in infinitum.*

9 *Descendentes masculi per lineam masculinam à primo inuestito dicuntur hæredes sanguinis.*

10 *Collaterales primi inuestiti, veluti frater agnati vlterioris gradus, in totum excluduntur à successione feudi, quod* nouũ *denominatur, ad differentiam paterni, quod aliàs dicitur* antiquum.

11 *Fœmina, seu ex illis descendentes, inspecta feudi natura, ab illius successione repelluntur, nisi specialiter cautum fuisset, vt admitterentur.*

12 *Propter simile pactum natura feudi, secundùm quam soli masculi ad eius successionem admittuntur, alteratur, & concessio feudalis, necnon actio ex ea descendens informatur.*

13 *Fœmina admittuntur ex pacto speciali si nulli omnino supersint masculi à primo recipiente per lineam masculinam descendentes.*

14 *Fœmina si semel admissa sit ad feudum, ob masculorum defectum, inter eius descendentes masculi fœminis anteponuntur.*

15 *Quinque sunt causæ, ob quas fœminæ à feudo excluduntur.*

1. ITem ex natura feudi debet † esse concessio perpetua, nimirum quòd nedum ad vitam recipientis duret, in quo significatu dictio *perpetuò* accipitur *in l. 1. ff. pro soc.* verùm etiam ad eius masculos per lineam masculinam descendentes, quamdiu supererunt, extendatur. *cap. & quia. §. hoc*
2. *quoque sciendum, de his qui feud. dar. poss.* & sic † successione vnius ad alterum perpetuetur, arg. *l. proponebatur. ff. de iudic.*
3. licèt enim ab initio feuda † concessa pro libito concedentis reuocarentur, postea ad annum darentur, demum ad vitam recipientis dari cœperunt, & vlteriùs progrediendo ad filios etiam peruenirent, scilicet masculos in vnum ex illis quem dominus elegisset, *d. c. & quia.* Vnde Marin. Frecc. *de subfeud. in præfatio. num. 99.* voluit originem habuis-
4. se feuda iuris † Francorum, in quibus solus primogenitus ex masculis ad successionem admittitur, fœminis semper exclusis, quòd nimirum dominus concedens primogenitum ex pluribus filiis vtplurimum deligere soleret, in
5. quem beneficium confirmaret, licèt postea † ad omnes
6. æqualiter deueniret. Deinde Corrado † Romam proficiscente, lege cauit, vt ad nepotes ex filio successio produceretur, & ad fratrem vltimi possessoris; in feudo tamen
7. quod fuisset communis parentis, quod ideo † paternum à nostris dicitur, cuius respectu frater succedens fratri non
8. collateralis, sed descendens esset. Et cùm deinde † ad fratres Patrueles vltimi possessoris extensa fuisset successio feudi, quod communis eorum parentis fuerat, pòstea ad septimum geniculum, siue gradum, & demum ad omnes masculos descendentes à primò inuestito in infinitum am-
9. pliata fuit, *d. §. hoc quoque sciendum*, qui plerumque † ea de causa à nostris denominantur, hæredes sanguinis, colla-
10. terales verò primi inuestiti, † veluti frater & alij vlterioris gradus, in totum excluduntur à successione feudi, quod à nostris *nouum* denominatur, ad differentiam paterni, quod
11. aliàs dicitur *antiquum*. Sequitur autem ex præmissis † fœminas, seu ex illis descendentes, inspecta feudorum natura, secundùm quam soli masculi admittebantur, vt præmissum est, à successione feudi remotas fuisse, nisi specialiter cautum fuisset vt admitterentur. *§. hoc autem notandum, eod. tit.*

tit. de his qui feud. dar. poss. pacto namque tali † hæc feudi natura, secundùm quam fœminæ repelluntur, rectè alteratur, & concessio feudalis, necnon actio ex ea descendens informatur; sed ita demum in vim specialis pacti † fœminæ admittuntur, si nulli omnino supersint masculi à primo recipiente per lineam masculam descendentes, quinimo † etsi fœmina semel admissa in defectum masculorum inter eius descendentes masculi fœminis anteponuntur, *c. 1. de eo qui sibi, vel hæred.* Fœminæ autem † excluduntur à feudis quinque de causis, ex notat. per gloss. & DD. *in d. §. hoc autem notandum, verb. successione.* Primò, quia sint ineptæ ad militiam. Secundò ob consilij fragilitatem. Tertiò, quia inhabiles. Quartò, quia non sint capaces tenendi secreti, ad quæ vasallus domino tenetur. *c. 1. de form. fidelit.* Quintò, quia honestas publica non permittat eas virorum cœtibus commisceri, ex notat. *in l. 1. §. sexum. ff de postuland.*

12. 13. 14. 15.

---

§. II.

SVMMARIVM.

1 *Feudum inspecta eius natura gratuitò concedi debet, imò de eius essentia est, vt ab amore et beneuolentia procedat feudi concessio, & sic beneficium recipiat is cui conceditur.*

2 *Feudi concessio si gratuitò facta fuerit, secundùm illius naturam in esse deducitur.*

3 *Si feudum pretio interueniente dominus superior concesserit, non ex eo beneficium esse desinit, quia sponte à superiori domino concessum fuerit.*

4 *Feudum quod datur pretio interueniente, non dicitur gratuitum, sed non propterea minus dicitur beneficium, sed non gratuitum.*

5 *Feudi natura alteratur si pretio interueniente concedatur, sed non propterea minus feudum est, & in cæteris feudi naturam retinet.*

6 *Feudum pretio interueniente concessum, iisdem omnino causis amittitur, quibus feudum gratuitò & sine pretio constituitur.*

7 *Dominus*

7 *Dominus qui concessit feudum pretio interueniente, feudo ex sui natura ad se reuerso, pretium restituere non tenetur.*

8 *Feudum guardiæ, quod anno finitur, ob pretij interuentum, non efficitur perpetuum, nisi aliud nominatim conuentum sit.*

9 *Feudum quod ex sui natura ad solos masculos per virilem sexum descendentes peruenire debet, non efficitur transitorium ad fœminas, vel extraneos, eo quòd pretio interueniente concessum fuerit, nisi quatenus super his specialiter aliquid dictum fuerit.*

10 *Dominus qui mediante pecunia feudum concessit, tenetur tantùm ad pretij restitutionem, si sine culpa possit vasallum deuestire, nec propterea feudi natura alteratur in cæteris.*

11 *Pactum commissorium in pignoribus à lege improbatur, & in vim similis pacti feudum concessum non verè dicitur feudum, cuius concessio ex amore concedentis non processerit, sed à debitore quodammodo coacto & nolente facta sit.*

12 *Feudum ab initio gratis concessum, si deinde per inuestitum, seu eius successores vendatur, consentiente superiore domino, sui primæuam naturam non mutat, sed ea retenta transit in emptorem, eiusque descendentes.*

13 *Feudum venditum assentiente domino superiore, deficientibus agnatis ipsius venditoris, non reuertitur ad dominum, qui similem venditionem approbando in sui praiudicium feudum transtulit in emptorem, eiusque descendentes.*

14 *Agnati venditoris, si venditioni feudi non consenserint, poterunt feudum ab emptore reuocare, licèt dominus superior venditionem laudauerit.*

1. DEnique natura feudi hoc habet, † vt gratuitò cõcedatur. *d. §. huius autem generis.* Imò de eius essentia est, vt ab amore & beneuolentia procedat feudi concessio, seu constitutio, & sic beneficium recipiat is, cui conceditur;
2. quod tamen, † si fuerit gratuitum secundùm naturam feudi, quæ ab assuetis deriuatur, in esse deducitur; si verò
3. non fuerit gratuitum, † quia nimirum pretio interueniente dominus superior sponte concessionem fecerit, non ex eo
4. beneficium esse desinit. Imò beneficium † dicitur non gratuitum

tuitum, per text. singularem *in l. Titius puerum. ff. de obseq. à liber. patro. præstan.* Et in eo † quidem alteratur natura, quòd 5.
soleat esse gratuitum. Sed non propterea minus feudum est, & in cæteris feudi naturam retinet, adeò vt † iisdem 6.
omnino causis amittatur, quibus feudum sine pretio constitutum, ex notat. *in cap. 1. de feud. non haben. propr. natur.* adeò vt neque † pretium restituere teneatur, dum feudum ad 7.
se ex natura contractus reuertitur. *cap. 1. de feud. guard. & guastald. lib. 1. tit. 2.* ex quo text. præterea elicitur ad pretij interuentum non alterari naturam feudi; nec enim † feu- 8.
dum guardiæ, quod anno finitur, ob pretij interuentum redditur perpetuum, nisi aliud nominatim actum sit: vnde infertur † feudum, quod ex sui natura ad solos masculos 9.
per virilem sexum descendentes peruenire debet, non effici alterius naturæ, vt ad fœminas nempe transeat, vel extraneos, eo quòd pretio interueniente concessum fuerit, nisi quatenus super his specialiter aliquid dictum sit, vt verè & eruditè notat Camerar. *in c. Imperialem. §. præterea Ducatus, vers. quinta & vltima species, &c. de prohib. feud. alienat.* fac. text. *in cap. 1. §. sed etiam res, per quos fiat inuestitur.* cum simil. nec enim in alio † alteratur feudi natura, si pecunia 10.
mediante concedatur, quàm vt dominus pretium refundere teneatur si sine culpa possit vasallum deuestire. *cap. 1. §. si verò, de natur. feud.* nec præmissis aduersatur text. *in cap. 1. de feud. dat. in vic. leg. commissor.* Ibi namque non ex eo receditur à natura feudi quòd pecunia constitutũ fuerit, sed quòd in vim † pacti commissorij à lege in pignoribus improbati 11.
constituatur à debitore quodammodo coacto, & nolente, & sic quòd nõ procedat ex amore ipsius concedentis, & in ea fuisse sententia Andreã de Isern. quidam ex recentioribus tenuerunt, licèt eum vti contrarium sentientem, Camerar. *vbi suprà*, reprehendat. Et multo magis † obtinet prædicta 12.
conclusio, si feudum gratis constitutum sit ab initio, deinde per inuestitum, seu eius successores vendatur assentiente domino superiore, transibit namque in emptorem, eiusque descendentes, non mutata, sed retenta feudi natura, qualis ab initio fuit, ex notat. per Curt. sen. *cons. 49.* dominus namque superior † approbans similem venditio- 13.

F nem

nem in sui præiudicium, transfert feudum ad emptorem, eiusque descendentes, ita vt ad ipsum non reuertatur deficientibus agnatis ipsius venditoris, ex notat. *in cap. vnic. de*
14 *iure patronat. lib.6.* quinimo † & agnati ipsius venditoris si non consenserint, poterunt feudum ab emptore vindicare, quantumuis dominus superior venditionem laudarit, in sui namque, non agnatorum, præiudicium id facere potuit, *d. cap. vnic.*

---

§. III.

SVMMARIVM.

1 *Titulo habili ad constituendum feudum praexistente, si sequatur traditio rei in feudum concessa, feudum realiter in esse deducitur.*

2 *Traditio rei in feudum concessa appellatur apud Feudistas inuestitura, quòd domini rem tradendo vti solerent verbo* inuestio.

3 *Vnum essentiale inuestitura moribus inductum fuit, vt dominus rem à se feudi iure concessam tradendo, vtatur verbo* inuestio.

4 *Alterum inuestitura essentiale est, vt fieri debeat coram Paribus curia, si concedens Pares habeat.*

5 *Secundum inuestitura essentiale ita demum procedit, si agatur de noua inuestitura, secus in ea, qua renouatur, & fit de veteri beneficio.*

6 *Inuestitura feudi duplex est, vera & realis; altera abusiua, qua fit per baculi, ensis, hasta, seu alterius rei corporea traditionem.*

7 *Inuestitura abusiua parit actionem ad pracisè tradendum, adeò vt neque soluendo interesse liberetur dominus concedens.*

8 *Possessio vera feudi transfertur per inuestituram abusiuam, si fiat in re prasenti, vel si adsit constitutum, aut retentio vsusfructus.*

9 *Scriptura qua concessionem feudalem continet, quandoque dicitur inuestitura, aliàs breue testatum.*

10 *Tenor inuestitura semper attendi debet.*

Itaque

ITaque vt vnde digressi sumus redeamus, præexistente † titulo habili ad constituendum feudum, qualem diximus esse concessionem, seu contractum feudalem, de cuius substantialibus & naturalibus, necnon pactis ea respectiuè concernentibus, hactenus dictum fuit, si subsequatur traditio rei in feudum concessæ, feudum quod definiuimus ius, in esse deducitur, quam traditionem † Feudistæ inuestituram appellant, quòd domini concedentes verbo *inuestio*, in re tradenda vti solerent, vnde vnum † essentiale inuestituræ moribus inductum fuit, vt dominus rē tradendo vtatur verbo *inuestio*, ex notat. per Andream *in cap. 1. quid sit inuestitura.* Alterum, † vt fiat coram Paribus curiæ, si concedens Pares habeat, *d. tit. quid sit inuestit. cap. 1. qui testes sint necessar. ad proband. nouam inuestit. & cap. 1. de consuetud. rect. feud.* quod tamen vltimum procedit † in noua, secus in ea quæ renouatur, & fit de veteri beneficio. *d. c. 1. §. de veteri, qui testes sint necessar.* Et duplex attenditur † inuestitura, vera & realis, altera abusiua, quæ fit per baculi, ensis, hastæ, seu alterius rei corporeæ traditionem. *d. cap. 1. quid sit inuestit.* & per hanc † quæritur actio ad præcisè tradendum, si tradendi facultatem habeat, adeò vt neque soluendo interesse liberetur, ex notat. *in cap. 1. de controuer. inuestit.* Quinimo † & possessio si fiat in præsentia. *l. clauibus. ff. de contrah. empt.* vel si adsit constitutum. *l. quod meo. ff. de acq. poss.* vel retentio vsusfructus. *l. quisquis. C. de donat.* Quandoque verò † scriptura, quæ concessionem feudalem continet, inuestitura appellatur, quæ aliàs breue testatum, *d. c. 1. qui testes sint necessar.* Vnde fluxit † illud vulgatum, tenorem inuestituræ semper attendi debere, ex notat. *in c. 1.* in illis verbis, *eo tenore, de duobus fratr. à capitan. inuestit.*

Margin numbers: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

§. IV.

SVMMARIVM.

1 *Per veram inuestituram feudum verè & realiter in esse deducitur, si concedens sit dominus rei concessa in feudum.*

2 *Feudum concedens si non sit dominus rei in feudum concessæ, recipiens verè inuestitus ab eo, quem dominum esse credebat, non assequitur dominium vtile rei in feudum concessæ.*

3 *Feudum in esse deducitur per inuestituram, vel præscriptionem quæ est loco inuestituræ.*

4 *Præscribendi iure feudi quasi dominus sit, competit exceptio pro tutanda possessione aduersùs quoscunque, præterquam aduersùs verum dominum rem suam vindicantem.*

5 *Vtilis etiam rei vindicatio, quæ Publiciana dicitur, ei datur aduersùs omnes, excepto vero domino, instar cæterarum rerum, pro quibus, dum præscribuntur, similia possidenti conceduntur remedia.*

6 *Præscriptione rei feudalis completa, dominium illius saltem vtile quæritur præscribenti.*

7 *Dominia rerum immobilium præscribuntur decennio inter præsentes, vicennio verò inter absentes: res autem mobiles vsucapiuntur triennio completo.*

8 *Olim de iure Digestorum pro acquirendis seruitutibus, & aliis iuribus incorporeis, sufficiebat diuturna possessio, quæ complebatur decennio.*

9 *Præscriptione longissimi temporis quæritur dominium vtile præscribenti, si cum bona fide possederit.*

10 *Locupletari nemo debet cum aliena iactura, vnde vsucapio, seu præscriptio à iure naturali deuiare videtur.*

11 *Vsucapio, seu præscriptio æquitate non destituitur, & ratione legitima præterea fulcitur.*

12 *Bonum publicum priuato semper anteponendum est.*

13 *Vsucapiones & præscriptiones introductæ fuerunt, ne scilicet dominia diutius in incerto vagentur, & vt litibus via præscinderetur, & ad puniendam dominorum negligentiam in repetendis rebus suis intra tempora à legibus præfinita.*

1. EX præmissis apparet per inuestituram † verum feudum constitui, & in esse deduci, quando concedens domi-
2. nus est rei si concessæ: sed sic concedens † non sit dominus, quem tamen inuestitus dominum esse crebebat, recipiens non assequitur dominium vtile rei sibi in feudum concessæ; cùm nemo plus iuris in alium transferat, quàm ipse

ipse habeat. *l. nemo. ff. de reg. iur.* Sed ita demum verè feudum erit, si præscriptio deinde compleatur: inuestitura
† namque aut eo quòd est loco inuestituræ, nimirum præ- 3.
scriptione, feudum in esse deducitur. *cap. 1. de consuet. rect. feud.* etiam sine inuestitura. §. *si quis per 30. annos, si de feud. defunct. content. sit. & cap. 1. quib. mod. feud. constit.* & dum
res † præscribitur iure feudi, interim præscribenti, quasi
dominus sit, licèt re vera non sit, compeit exceptio pro 4.
tutanda possessione sua aduersùs quoscunque, præterquam aduersùs verum dominum rem suam vindicantem. Item
& † vtilis rei vindicatio, quæ Publiciana dicitur, aduersùs 5.
omnes, excepto vero domino. §. *rei autem, de inuest. de re alien. fact.* instar cæterarum rerum, pro quibus dum præscribuntur, similia possidenti conceduntur remedia. *l. penult. & fin. ff. de public.* §. *sed ista quidem, Instit. de action.* & medio præ-
scriptionis, dum † & quando semel completa est rei præ- 6.
scriptæ dominium, saltem vtile, ipsi præscribenti quæritur, & adiicitur, ex *l. 3. ff. de vsucap.* quod verum nedum
† in vsucapione rerum mobilium, quæ triennio comple- 7.
tur, verùm etiam in præscriptione rerum immobilium, quæ decennio inter præsentes, vicennio inter absentes perficitur, ex *l. vnic. C. de vsucap. transforman.* quod etiam obtine-
bat † olim de iure Digestorum in præscribendis seruituti- 8.
bus & aliis iuribus incorporeis, ex *l. si quis diuturno. ff. si seruit. vindic.* cuius iuris antiqui mentionem & rationem habuisse videtur Iustinianus *in l. fin. C. de præscript. 30. vel 40. an-
no.* ibi enim † vult ex præscriptione longissimi temporis ipsi 9.
præscribenti quæri dominium vtile, si cum bona fide possederit; & quamuis ex regula iuris, qua quis † cum aliena ia- 10.
ctura locupletari prohibetur, *l. nam hoc natura. ff. de condict. indeb. cap. locupletari, de reg. iur. in 6.* videatur vsucapio, seu
præscriptio à iure naturali deuiare; dicendum tamen † erit 11.
eã æquitate non destitui, & ratione legitima præterea fulciri, eo quòd ex alia iuris regula † bonũ publicum sit priuato 12.
anteponendum. *l. bona fides. ff. depos.* bonum † autem publi- 13.
cũ, ratione cuius vsucapiones & præscriptiones introductæ fuerunt, id exigat, ne scilicet rerum dominia diutius in incerto vagẽtur. *l. 1. ff. de vsucap.* & ad puniendam dominorum

negligentiam, qui res suas petere minimè curant intra tempora à legibus præfinita, & vt litibus via præscindatur. *l.fin. ff.pro suo.* Quare abbreuiandarũ litium fauor maximus est, & bonum publicum concernit.*l.properandum.C.de iudic.*



CAPVT IV.

De feudi præscriptione.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptionum quatuor sunt species, triennalis, quadriennalis, longi & longißimi temporis, & immemorialis.*

2 *Triennalis est, qua res mobiles vsucapiuntur triennio.*

3 *Princeps supremus rem à se, seu fisco suo possessam alienans, quocunque alienationis titulo, habili tamen ad transferendum dominium post rei traditionem facit accipientem verè dominum, ita vt securus sit ab omni molestia.*

4 *Propter bonum publicum non inquietantur qui res à fisco possessas acquirunt, licèt ad alium iure dominij pertinerent, quo faciliùs priuati inducantur ad contrahendum cum Principe.*

5 *Propter bonum publicum quis rectè priuatur rei suæ dominio.*

6 *Quadriennalis præscriptio locum habet, licèt alienatio processerit de priuato Principis, vel Augustæ patrimonio.*

7 *Domino res per fiscum alienatæ, seu creditori in ea hypothecam habenti, conceditur actio contra Principem intra quadriennium à die alienationis pro consequendo valore rei alienatæ, quo elapso omnino excluduntur, & num.*8.9.10.*&* 11.

12 *Feudo per Principem concesso de re aliena ab ipso bona fide possessa, siue iure publici, siue iure priuati patrimonij, concessionarius statim plenam consequitur securitatem, ita vt à vero rei concessæ domino non poßit molestari, & n.*16.

13 *Tertia præscriptionis species est ea, quæ longo tempore decem annorum inter præsentes, & *20.* inter absentes pro rebus solì quærendis completur.*

14 *Quatuor*

14 *Quatuor requiruntur ad præscriptionem, quæ longo tempore completur.*

15 *Præsentes dicuntur qui in eadem habitant prouincia, absentes autem qui in diuersis.*

17 *Re alien[illegible] feudum concessa per inferiorem à Principe, puta per Ducem, Marchionem, & Baronem, præscriptio procedit ad commodum inuestiti contra rei concessæ dominum.*

18 *Res fisci duobus modis considerantur, aut quatenus sunt impræscriptibiles, quales sunt quæ in signum superioritatis & obedientiæ debentur, aut quæ pro statu, seu dote Imperij destinantur, & contra eas non procedit præscriptio nisi forsan immemorialis.*

19 *Si verò sunt præscriptibiles, spatio 40. annorum tantùm præscribuntur, dummodò sint iam fisco quæsita & incorporatæ.*

20 *Contra res Ecclesiæ Romanæ requiritur præscriptio centenaria, inferiorum autem Ecclesiarum quadragenaria.*

21 *Contra feudum iam in esse deductum alienatum à non domino, quem acquirens dominum credebat, procedit præscriptio longi temporis decem, vel viginti annorum.*

22 *Feudi possessor, cum vero titulo praexistente, quia legitimè constet de concessione facta in feudum, pendente præscriptione habet publicianam, seu vtilem rei vindicationem.*

23 *Res in feudum concessa si euincatur, datur regressus euictionis nomine, vt res eiusdem æstimationis concedatur nomine feudi possidenda, vel ad nummos in feudum conuertendos. Limita & declara, vt num. 24.*

25 *Feudum bona fide possessum cum praexistente titulo habili ad transferendum dominium, præscriptione longi temporis 10. vel 20. annorum acquiritur, instar cæterorum negotiorum.*

26 *Præscriptio longi temporis procedit etiam cum titulo putatiuo habili, si verus fuisset ad transferendum dominium, causato ex iusto errore fundato super ignorantia facti alieni, quæ probabilis est.*

27 *Iustus error ad fundandum titulum putatiuum est, si quis rem sibi traditam ex causa legati, vel legatam crediderit, quæ tamen verè legata non fuit, vel si mente captum secum contrahentem sanum crediderit.*

28 *Titulus putatiuus non prodest, si possidens non habeat iustam causam*

causam credendi, & ei illum reputandi pro vero titulo.

29 Titulus præsumptiuus quando inducatur ex sola diuturna possessione.

30 Sola domini patientia etiam per longum tempus continuata, non sufficit ad inducendam tituli præsumptionem, & ex eo præscriptionem, dum agitur de dominio quærendo, vel vsufructu, qui est pars dominij.

31 Actus positiuus, cum diuturna puta præstatione annua, ipsi præscribenti à domino & possessore facta, tituli præsumptionem inducit.

32 Sola tituli efficacis allegatio sufficit stante iuris præsumptione pro allegante, nec requiritur probatio.

33 Titulum præsumptione iuris efficacem habens, si sola illius allegatione non contentus illum inefficacem probet, veritas præsumptioni præponderabit, ne ex diuturna præstatione obligatio induceretur, vel aliquod ius acquireretur.

34 Præstatio annua, puta in operis publicis, vel aliis rebus, per longum tempus à subditis facta domino, inducit tituli efficacis præsumptionem, si allegetur, & ius atque obligationem quærit contra subditos, quo ab eo in posterum cogi possint ad similem præstationem.

35 Ad feudi erectionem iuris præsumptione inducendam non sufficit longi temporis possessio cum diuturna præstatione, sed longissimi requiritur, videlicet 30. annorum.

35 Feudum legitimè erectum & concessum, quando præsumatur.

37 Præscriptio 30. annorum cum vniformi præstatione seruitiorum superiori domino debitorum, in duobus conuenit cum præscriptione longissimi temporis.

38 Discrepat autem in duobus.

39 Præscriptio longissimi temporis cum bona fide procedens differt ab ea, quam mala fides concomitatur.

40 Præscribens longissimo tempore cum mala fide, si possessionem sine vi amiserit, non poterit agere, seu rem vindicare.

41 Qui 30. annorum spatio rem aliquam præscripsit, si per vim de possessione rei præscriptæ eiectus fuerit, eam remediis possessoriis recuperabit.

42 Nulla præscriptio cuiuscunque temporis de iure canonico procedit

dit cum mala fide, siue ab initio, siue ex post superueniente.

43 *Praescriptio longi temporis cum bona fide & iusto titulo cœpta, destruitur de iure canonico, si mala fides superueniat ante eam completam, licèt de iure ciuili sufficiat ab initio bonam fidem fuisse.*

44 *Venditio requirit bonam fidem nedum traditionis, verùm etiam emptionis tempore, licèt mala fides superueniens non interrumpat inspecto iure ciuili.*

45 *Ad inducendam legitimi tituli praesumptionem in concessione feudali, non sufficit longi temporis possessio cum diuturna praestatione, seu seruitiorum exhibitione.*

46 *Longissimum tempus ea potissimum ratione requiritur pro inducenda legitimi tituli praesumptione, quòd feudi concessio procedat ex beneuola actione, seu liberalitate, nec praesumatur quis donando velle iactare suum, & sic propter conflictum praesumptionum longissimi temporis cursus requiritur.*

47 *Alia ratio cur requiratur de cursus longissimi temporis.*

48 *Bona fides in hac praescriptione longissimi temporis ad inducendam tituli feudalis praesumptionem, ideo requiritur quòd tendat ad quaerendum vtile dominium ipsius rei possessae tanquam feudalis, quod medio praescriptionis longissimi temporis sibi quaerere non potest, nisi quatenus cum bona fide processerit.*



Ræscriptionum † autem quatuor sunt potissimum species. Prima nempe triennalis, † qua res mobiles triennio vsucapiuntur, *l. vnic. C. de vsucapio. transfo man.* §.1. *Instit. de vsucap.* & de hac non vlteriùs dicendum, quippe quæ feudis non conueniat, quæ in rebus mobilibus consister non possunt. § *sciendum, de feud. cognit.* Secunda quadriennalis, dum nimirum † res quocunque alienationis titulo, habili tamen ad transferendum dominium, puta emptionis, donationis, permutationis, &c. per supremum Principem, aut qui iura suprema sibi concessa habet, in alium transfertur; tunc enim qui acquirit, statim dominus efficitur, & securus omnino manet ab omni molestia, ratione nimirum boni publici † ne

1. 2. 3. 4.

inquietentur qui à fisco acquirunt, & quo faciliùs priuati cum Principe contrahant. *l.omnes. l.bene à Zenone. C.de qua-*
5. *drien.præscriptio.* ob bonum namque publicum † quis rei suæ dominio rectè priuatur. *l.item si verberatum. §.item si ager. ff de rei vindicat. l. Lucius. ff. de euict.* Quod ampliauit Iustinia-
6. nus locū habere, † etiamsi alienatio processerit de priuata Principis, seu etiam Augustæ substantia; sed ne in damno sit
7. † dominus, aut creditor domini, hypothecam rei alienatæ habens, conceditur eis actio contra Principem alienantem intra quadriennium à die dictæ alienationis pro consequendo valore rei alienatæ, quo elapso, omnino iure, suo excluduntur. *d.l.omnes, & d.l.bene à Zenone.* Sed ita de-
8. mum procedunt præmissa, † si Princeps rem à se possessam alienauerit, secus si ab alio. ex Bald. *in l.fin. C.si contra ius,*
9. *vel vtilit.publ.* Item si bona fide † credens suam esse, secus si sciens alienam, ex notat. *in l.fin. C.de comm.rer.alienat.* Item si iure proprio, secus si iure creditoris rem alienet. Item
10. si † rem ad laicos, secus si ad Ecclesiam spectantem. *c. qui-*
11. *cumque*, cum *ibi* notat. 12.q.2. Denique † locum non habent fauore dotis, ex notatis per Ias. *in l.1.3.notab. ff.solut.matrim.*
12. Hæc autem quadriēnalis præscriptio † rectè applicatur feudo per Principem concesso de re aliena per ipsum bona fide possessa, siue tanquam de publico, siue tanquam de priuato Principis patrimonio exigente, nempe vt sic inuestitus statim plenam consequatur securitatem, ita vt à quoquam molestari non valeat, sed intra quadriennium liceat vero rei concessæ domino rei suæ æstimationem à Principe concedente consequi, & eo lapso etiam ab ea petenda excludatur. *d.l.omnes, & l.bene à Zenone.* Id procedere nominatim constituitur in acquirente rem alienam à Principe quocunque alienationis titulo.
13. Tertia præscriptionis species † est ea, quæ longo tempore, scilicet 10.annor. inter præsentes, & 20. inter absentes pro rebus soli quærēdis completur. *d.§.1. Instit.de vsucap. & d.l.vnic.C.de vsucap.transfor.* Et ad eam quatuor potissimum
14. † requiruntur, videlicet primò lapsus 10.annor. inter præsentes, & 20.inter absentes. *l.empter.l.penult.* & passim *tot.tit.*
15. *C.de long.temp.prescript.* Præsentes autem † dicuntur, qui in

eadem

eadem Prouincia, absentes qui in diuersis habitant. Secundò titulus *l.nullo.C.de rei vindic.l.diutina. l.nec præsentem.C.de long.temp.præscriptio.* Tertiò bona fides. *l.2.l.si fraude. C.eod.* Quartò continuata possessio.*d.l.vnic.C.de vsucap.transform.* cum similibus. Sed omissis variis quæstionibus, quæ circa hæc quatuor ab interpretibus fieri solent, ne extra rem nostram diuagemur, inquirendum est, an hæc longi temporis præscriptio procedat in feudo pro eius erectione, & creatione, vel etiam pro eius iam constituti & in esse deducti acquisitione.

Qua in re quædam distinctiones sunt adhibendæ. Primò quoad personas feudum concedentes. Secundò quoad res quæ conceduntur. Tertiò, quoad titulum cum quo præscriptio procedit, & quoad personas, siquidem feudum † conceditur per Principem supremum, aut qui iura supremi obtinet, statim inuestitus etiam de re aliena, securus efficitur; sed quadriennalis præscriptio currit pro concedente contra rei concessæ dominum. *d.l.bene à Zenone,* aut per inferiorem à Principe, † puta Ducem, Marchionem, Comitem, Baronem, &c.& tunc præscriptio procedit pro inuestito contra rei concessæ dominum; sed an longi, vel longissimi temporis, ex infrà dicendis declaratur. Quoad res autem, dum per inferiorem fit concessio, aut conceditur res fisci, aut Ecclesiæ, aut priuati: si fisci, † aut est in præscriptibilis, qualia diximus esse quæ in signum superioritatis & obedientiæ debentur, aut quæ pro statu, seu dote Imperij, seu Regni destinantur, & non procedit præscriptio, nisi forsan immemorialis, aut præscriptibilis est, † & tunc procedit tantùm præscriptio 40. annorum. *§.res fisci,* cum *ibi* notat.per gloss.& DD. *Instit.de vsucap.* per text.*in l.comperit.C.de præscript.*30.*vel* 40.*annor.*faciunt notat.*in l.vt inter diuinum. C.de sacrosan. Eccles.* quod intelligo de rebus iam fisco quæsitis, & incorporatis, aut rebus Ecclesiæ. Et siquidem † ad Romanum pertineat, nonnisi centenaria procedit præscriptio: sin autem ad inferiores Ecclesias, quadragenaria, per text. *Auth. Quas actiones. C.de sacrosanct. Eccles.* aut res priuati, & tunc siquidem feudum † iam in esse deductum à non domino alienetur, quem acquirens domi-

16. 17. 18. 19. 20. 21.

num credebat, procedit præſcriptio longi temporis 10. vel 20. annorum. *cap. vnic. an præſcriptio. feud. acquir.* Aut res aliena de nouo in feudum conceditur, & tunc diſtinguendum erit, an procedat cum vero titulo, an cum præſum-
22. ptione; & ſiquidem † adſit verus titulus, quia nempe legitimè conſtet de conceſſione facta in feudum, & inueſtitura, ſeu traditione rei ea de cauſa conceſſæ inde ſequuta, & tunc cùm pendente præſcriptione competat præſcribenti Publiciana, ſeu vtilis rei vindicatio. *§. rei autem, de inueſtit. de re alien. fact.* inſtar cæterarum rerum *l. penult. & fin. ff. de pu-*
23. *blic.* Nec non ſi ante completam † euincatur, competit regreſſus conceſſionario contra concedentẽ euictionis nomine, ad cambium videlicet rei euictæ, vt res eiuſdem æſtimationis euictionem paſſo concedatur, per eum nomine feudi poſſidenda, cum ſeruitiorum in vim primæ conceſſionis debitorum exhibitione, vel nummos in feudum conuer-
24. tendos numeret, dummodo ignorans † rem eſſe alienam, eam acceperit, & concedenti litem legitimè denuntiauerit. *§. 1. de inueſtit. de re alien. fact. & cap. vnic. an præſcript. feud. acquir.* Si vaſallus de feudo ab aliquo interpellatus fue-
25. rit, rectè inferri poterit † etiam longi temporis poſſeſſione, decem inter præſentes, & viginti inter abſentes, compleri in hoc negotio præſcriptionem, vt in cæteris contractibus, ſeu negotiis. *d. cap. vnic. an feud. præſcriptio. acquir.* Et quæ præſcriptio procedit cum vero titulo præexiſtente habili ad transferendum dominium, puta conceſſionis in
26. feudum, procedit etiam † cum ſimili titulo putatiuo cauſato ex iuſto errore, fundato ſuper ignorantia alieni facti, quæ de iure probabilis. *l. qui in alterius. ff. de reg. iur.* puta ſi
27. rem † ſibi traditam ex cauſa legati verè legatam eſſe crediderit, quæ tamen non fuit, ex notat. *in l. Celſus. ff. de vſucap.* Vel ſi mente captum ſecum contrahentem ſanæ mentis crediderit. *l. eum qui. ff. de public.* Secus ſi iuſtam
28. cauſam ſic credendi non habuerit: † titulus namque putatiuus eo caſu non proderit, *d. l. Celſus.*
29. Titulus autem præſumptiuus, † ſiquidem agatur de re modici præiudicij, ex ſola diuturna poſſeſſione inducitur, puta dum de ſeruitute præſcribenda tractatur, ex notatis.

pen-

per gloss. magn. circa fin. *in l. seruitutes. ff. de seruitut.* titulo
generali, vel de rerum communium diuisione, ex gloss. *in
l. penult. C. commun. diuid.* vel agi possit de eius commodo
contra quem procedit præscriptio, ex *l. qui in aliena. §. si non
adierit. ff. de a. q. hæredit. & l. si filiusfam. C. de petit. hæred.* Et eo
casu ex sola patientia eius, contra quem præscribitur, præ-
scriptio completur; sin verò agatur de re magni præiudi-
cij, nempe de dominio acquirendo, vel vsufructu, † qui 30.
est pars dominij. *l. 4. ff. de vsufr.* non sufficit ad inducendam
tituli præsumptionem, & ex eo præscriptionem sola pa-
tientia domini, sed actus eius positiuus † præterea requi- 31.
ritur, puta si aliquid annuatim præstiterit ipsi præscriben-
ti, ex notatis *in l. cùm de in rem verso. ff. de vsur.* quæ sola ti-
tuli efficacis † allegatio sufficit, nec requiritur probatio 32.
stante iuris præsumptione pro allegante, quòd si titulum
probaret † inefficacem, sola allegatione minimè conten- 33.
tus, tunc veritas præsumptioni præponderaret, nec ex il-
la diuturna præstatione obligatio induceretur, vel ius ali-
quod acquireretur. *l. si certis annis*, cum *ibi* notatis, *C. de pact.*
& inde infertur † si dominus à subditis annuam aliquam 34.
præstationem per longum tempus receperit, in operis pu-
ta, vel aliis rebus, ex eo præsumi titulum efficacem præ-
cessisse, si allegetur, & ius atque obligationem domino
contra subditos quæri, ita vt in posterum ab eo cogi pos-
sint, ex decisis per Alexand. *cons.* 124. *vol.* 4. relatum à Balb.
de præscriptio. 2. par. 3. princip. q. 10. num 5. in fin. & num. 6. Sed
ad inducendam feudi erectionem † iuris præsumptione, 35.
non sufficeret possessio longi temporis cum præstatione
diuturna, sed longissimi temporis, videlicet 30. annorum,
ad hoc requiritur. *§. si quis per triginta, si de feudo defunct.
conten. sit.* tribus namque † concurrentibus inducitur præ- 36.
sumptio concessionis, seu erectionis feudi legitimè fa-
ctæ. Primò, quòd per 30. annos possederit. Secundò,
quòd bona fide. Tertiò, quòd rem vt feudalem eo tem-
pore durante vniformiter possederit, seruitia superiori
domino exhibendo: conuenit autem in duobus † cum 37.
quarta specie præscriptionum, quia 30. annis, sine titu-
lo, vtraque perficitur: discrepat † autem in duobus, quia & 38.

sine bona fide, iure ciuili attento, & sine aliqua præstatione compleatur ex sola longissimi temporis possessione, & negligentia eius, contra quem præscribitur. *l. omnes. l. comperit. C. de præscriptio.* 30. *vel* 40. *anno. l.* 1. §. *ad hæc. C. de annal. ex-*
39. *ceptio.* Verùm iure ciuili etiam attento, differt † præscriptio longissimi temporis cum bona fide procedens ab ea quam mala fides concomitatur, quia prior præscribenti quærit vtile dominium, & si possessione ceciderit sine vi, vtilem rei vindicationem, & aduersùs eum, qui dominus antea erat, hæc posterior exceptionem tantùm parit, qua sic præscribẽs se tueri possit etiã aduersùs dominum agen-
40. tem; sed si possessionem † sine vi amiserit, non poterit agere, seu rem vindicare, etiam contra alios, quàm verum dominum, imò eo casu verus dominus rem vindicabit à quocunque alio possessore, licèt præscriptione summotus fuisset si aduersùs eum qui præscripserat, egisset. Quòd si
41. vi † de possessione eiectus fuisset, eam remediis possessoriis recuperasset, nulla distinctione facta inter bona & mala fide præscribentem. *l. si quis emptionis.* §. 1. *C. de præscriptio.* 30. *vel* 40. *anno. l. si quis ad se feudum. C. ad leg. Iul. de vi publ.* & per Balb. *vbi suprà* 2 *par.* 3. *princ. q.* 6. *num.* 1. 2. 3. 7. & 8. Et id quidem verum de iure ciuili, sed de iure canonico secus,
42. quia † nulla cuiuslibet temporis præscriptio procedit cum mala fide, seu ab initio, seu ex pòst superueniente. *cap. vigi-*
43. *lanti, & cap. fin. de præscriptio.* adeò vt † destruatur etiam præscriptio longi temporis cum bona fide & iusto titulo cœpta, si mala fides superueniat, licèt de iure ciuili, præsertim Digestorum, sufficeret ab initio affuisse. *l.* 1. §. *hoc tantummodo. C. de vsucap. transform. l. si aliena. ff. de vsucap. l. si exi-*
44. *stimans. ff. pro suo*, vbi in venditione † specialiter statuitur nedum traditionis, verùm etiam emptionis tempore bonam fidem requiri, licèt mala fides superueniens non interrumpat, ex notatis per Balb. *vbi suprà, quæst.* 7. *num.* 1. & 2.

45. Cur autem ad inducendam † legitimi tituli præsumptionem, nempe concessionis feudalis, pro noua feudi erectione, non sufficiat possessio longi temporis cum diuturna præstatione, seu seruitiorum exhibitione, sed longissimum

ſimum tempus intercedere debeat, *d. §. ſi quis per* 30. quamuis in aliis cauſis illa ſufficiat. Ratio diuerſitatis † hæc potiſſimum afferri poteſt quòd conceſſio feudalis vtplurimum & præcipuè procedat ex beneuola actione, ſeu liberalitate. *§. huius autem generis, in quib. cauſ. feud. amit.* & contra præſumptionem, qua titulus præſumptiuus inducitur, ſtet alia & contraria præſumptio, quòd ſcilicet nemo præſumatur velle iactare ſuum. *l. cùm de indebito. ff. de probatio.* & ideo conſtitutum eſt ex longi temporis poſſeſſione, & diuturna præſtatione non præſumi titulũ donationis, reſiſtente illa contraria præſumptione, ex *d. l. cùm de indebito.* Et propterea non mirum, ſi ad inducendam conceſſionem feudalem præſumptam non ſufficiat longi temporis poſſeſſio cum diuturna præſtatione, ſed omnino requiratur longiſſimi temporis decurſus, vt nominatim deciditur *in d. § ſi quis per* 30. Addunt aliqui aliam rationem, quòd nimirum † hæc præſcriptio feudi tendat ad ſtatus ipſius perſonæ mutationem, & libertatis quodammodo diminutionem, ob fidelitatem à vaſallo debitam ſuperiori domino, ex Balb. *vbi ſuprà prox. q. 8. num.* 34. Sed hæc ratio neque perpetua, neque ſemper & omnino vera, & ideo non admittenda. Cur autem bona fides † in hac præſcriptione requiratur, licèt longiſſimi temporis, ratio in promptu eſt, quòd hæc nimirum tèndat ad inducendam, tituli videlicet conceſſionis feudalis, præſumptionem, & ex eo adquirendum dominium vtile ipſius rei tanquam feudalis poſſeſſæ eo tempore, quo caſu dum præſcribens per longiſſimum tempus vult ſibi rei poſſeſſæ dominium etiã vtile acquirere, debet ea præſcriptio cum bona fide procedere. *d. l. ſi quis emptionis.*

46. 47. 48.

---

§. *Vnic.*

SVMMARIVM.

1 ***Rem feudalem ab initio vt feudalem poſſeſſam fuiſſe probatur, ſi poßidens ab initio domino ſuperiori eam vt feudalem recognouerit, & ob eam homagium fecerit, fidelitatis iuramentum***

iuramentum praestiterit, aut etiam seruitium personale, puta domino bellum ferenti exhibuerit.

2 *Praemissorum praestatio semel facta mentem possidentis probat, & quamuis non iterauerit si casus non euenit, non propterea minus procedit praescriptio.*

3 *Mens possidentis desuper multo magis probatur, si certum seruitium tanquam ex causa feudi debitum praestiterit annuatim, vel certis & statis temporibus vtplurimum consistens in certis praestationibus annuis, quod Feudistae conditionatum appellant.*

4 *Feudum in esse deductum medio praescriptionis informe à nostris nominatur, quòd ex tenore inuestiturae, quae non videtur, sed praesumitur, de illius forma non appareat.*

5 *Feudum sic praescriptum eam formam & naturam assumit, sub qua possessum fuerit durante praescriptionis tempore.*

6 *Si vsus & possessio praescribentis formam non indicauerit, recurrendum erit ad domini superioris consuetudinem, & praemissis deficientibus ad feudorum vsus, ita vt eam habeat naturam, quam regulariter feudum inspecto iure feudorum solet habere, licèt non exprimatur in concessione feudali.*

7 *Feudum praescriptum & informe regulatum à communi iure feudorum, ad solos masculos per lineam masculinam descendentes transit, non autem ad foeminas, nec ab eis descendentes.*

8 *Lite orta inter dominum & vasallum super possessorio, nimirum dum quaeritur, quis in possessione manere debeat vasallus, si per annum possederit sciente domino, & iuret à domino inuestitum, & interim in possessione manutenetur quo dominus superior, si deinde agere velit, partes actoris vasallus rei & possessoris sustineat.*

9 *Vasallus de feudo legitimè inuestitus, qui ab eo eiúsque possessione ceciderit, si post captam à superiore domino ex causa, puta caducitatis, possessionem eam rem tanquam feudalem, vt antea possidere coeperit, & per triginta annos continuauerit, praesumitur de nouo ipsius feudi concessionem habuisse, sub iisdem qualitatibus, quibus antea fuerat concessum.*

10 *Praescriptio feudi per triginta annos procedit non solùm in commodum priuati, sed etiam Ecclesiae sic praescribentis aduersùs cum*

eum, qui de iure feudum dare potuit.

11 *Ecclesia in feudalibus instar laicorum habetur, & idcirco contra Ecclesiam ius maioris valuasoris possidentem per triginta annos feudum præscribitur.*

12 *Contra Ecclesiam quæ rem aliquam iure proprio, non autem iure maioris valuasoris possidet, non præscribitur, nisi tantùm per quadraginta annos.*

13 *Ad præscribendum feudum iam in esse deductum contra tertium illius possessorem, sufficit præscriptio longi temporis cum titulo & bona fide.*

14 *Necessaria est dicta præscriptio triginta annorum ad acquirendam superioritatem, seu dominium directum in re per alium possessa pleno iure, seu iure allodij, vel dum & quando dominus superior vult vtile feudatarij dominium cum suo directo præscriptionis medio consolidare.*

15 *Correlatiuorum est eadem doctrina.*

16 *Præscriptio iam dicta triginta annorum pro feudo quærendo, non currit contra pupillum, quippe quæ dormiat durante pupillari ætate.*

AD hoc autem vt feudum medio istius præscriptionis ex titulo, seu inuestitura præsumptis inducatur, non sufficit possessio longissimi temporis, nec item bona fides, sed tertium præterea requiritur † quòd rem possederit tanquam feudalem, & vniformiter, eo tempore durante, quod probatur si ab initio possessionis rem tanquam feudalem domino superiori recognouerit, & ob eam homagium fecerit, ac fidelitatis iuramentum præstiterit, vel si seruitium personale, puta domino bellum gerenti, exhibuerit; cuius præstatio † semel facta mentem possidentis probat. Et quamuis non iterauerit, si casus non euenit, non propterea minus procedit dicta præscriptio, arg. *l. & Attilicinus. ff. de seru. rustic. præd.* multo magis † si certum tanquam ex causa feudi debitum præstiterit seruitium annuatim, vel certis & statis temporibus, quod Feudistæ conditionatum appellant, & vtplurimum in certis præstationibus annuis consistere solet, facit text. *in d. §. si quis per* 30. cum *ibi* notat. Sed feudum † sic in esse deductum medio

(margin: 1. 2. 3. 4.)

H dio

dio dictæ præscriptionis informe à nostris denominatur, quòd ex tenore inuestituræ, quæ non videtur, sed præsumitur, de illius forma non appareat. Eam autem formam,
5. † seu naturam assumet, quam vsus & possessio præscribentis indicauerit, ita vt sub ea forma præscriptum & quæsitum censeatur, sub qua possessum fuerit. *l.1.§.Iulianus & §.si quis hoc interdicto*, cum *ibi* notat. *ff de itiner. actuque priuat.*
6. Si inde colligi † non possit, tunc recurrendum ad domini superioris consuetudinem, ex *l. si seruus plurium. §.fin. ff. de legat.* 1. quibus deficientibus ad nostros feudorum vsus recurrendum erit, ita vt eam habeat naturam, quam regulariter feudum de iure feudorum solet habere, etiamsi non exprimatur in concessione feudali, seu inuestitura.
7. Vnde propterea † ad solos masculos per lineam masculinam descendentes erit transitorium, non autem ad fœminas, neque ab eis descendentes; minus verò ad extraneos, ex *cap.1.§.hoc autem notandum, & § seq. de his qui feud. dar. poss. & cap.1. de eo qui sibi, vel hæred. suis.* Nec in aliquo refragatur conclusioni prædictæ, quòd nimirum tribus illis concurrentibus feudum medio dictæ præscriptionis in esse deducatur,
8. decisio scilicet † relata *in cap.1. in fin. de consuet. recti feud. & in cap.1. §. fin. si de inuestit. inter dom. & vasall. lis oriat.* quia in his iuribus agatur tantùm, quis in possessione manere debeat, non autem de dominio feudi, & ideo non mirum si per annum possederit, sciente domino.

Et si iuret à domino se inuestitum, interim in possessione manutenetur vt dominus superior, deinde si agere velit, actoris partes sustineat; hic verò possessoris. Amplia-
9. tur autem prædicta conclusio † quæ superiùs elicita fuit, ex *d.§.si quis per* 30. vt procedat primò etiam in eo, qui aliàs de feudo fuisset inuestitus, sed ab eo eiusque possessione cecidisset; si enim post captam à superiore domino ex causa, puta caducitatis, possessionem, is eam rem tanquam feudalem, vt antea possidere cœperit, & per 30. annos continuauerit, præsumitur de nouo sibi concessum fuisse, & inde feudum de nouo constitutum censetur, sub iisdem qualitatibus, quibus antea fuerat. Secundò, vt procedat
10. † nedum in priuato, verùm etiam in Ecclesia sic præscribente

bente aduersùs eum, qui de iure feudum dare potuit. Tertiò, vt contra Ecclesiam † sic præscribi possit dum & quan- 11.
do iure maioris valuasoris ius præscriptum ab Ecclesia possidebatur, quo casu instar laicorum habetur. *cap. caterùm*, cum *ibi* notat. *de iudic.* Aliàs namque † nonnisi 40. 12.
annis præscriberetur. *cap. de quarta, de præscript.* Ampliatur quartò, vt hæc præscriptio sit necessaria, nedum pro feudo de nouo erigendo, verùm etiam pro iam formato acquirendo, † & contra tertium illius possessorem præscriben- 13.
do, quod plerique affirmant, licèt contraria opinio verior sit, vt suprà probatum fuit ex *cap. 1. an feud. præscript. acquirat.* Amplia quintò, & postremò, vt sit † etiam necessaria in 14.
domino præscribere volente superioritatem, seu dominium directum in re per alium possessa pleno iure, seu iure allodij. Idem si dominus directus velit vtile fundatarij dominium cum suo directo præscriptionis medio consolidare, quia correlatiuorum † sit eadem doctrina. *l. fin. C. de* 15.
indict. viduit. tollen. Limitatur autem ea conclusio, † vt non 16.
procedat dicta præscriptio contra minorem 14. annis, seu pupillæ, quia durante pupillari ætate dormiat. *l. sicut.* §. 1. *l. cùm notissimi, in princ. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*



PARS II.

De effectibus feudi in esse deducti.

CAPVT I.

De feudorum diuisione à causa efficienti.

SVMMARIVM.

1 *Feudorum diuisio ad quatuor capita redacta.*
2 *Causa efficiens duabus personis constat.*
3 *Feudum habito respectu ad personam concedentis duplex est.*

 4 *Nobile*

4 Nobile feudum est quod annexam habet nobilitatem, eo ipso accipientem nobilitans: ignobile verò quod dignitatem non habet annexam, nec recipientem nobilitat.

5 Inuestiti à Principe supremo, vel inferioribus ab eo potestatem infeudandi habentibus, & feudi consuetudinem & paragium, id est, nobilitatem habere dicuntur.

6 Inuestiti ab aliis inferioribus infeudandi potestatem à Principe, vel ab antiquo tempore non habentibus paragium non assequuntur.

7 Paragium vnde dictum.

8 Feudum censetur nobile si concedens talis sit, qui si velit, possit nobilitatem concedere.

9 Inferiores, quibus ea potestas nobilitandi per feudi concessionem communicata fuit, quales sunt Duces, Marchiones, Comites, Barones, qui ab antiquo infeudare consueuerunt, feudum concedendo, si velint, recipientem nobilitare possunt.

10 Voluntas nobilitandi per concessionem feudi deprehenditur ex verbis inuestiturę.

11 Feudum nobile deprehenditur etiam ex variis notis.

12 Feuda, seu subfeuda nobilitant, quę in quaternis curię supremi Principis descripta reperiuntur, quę Quaternata ex eo à Feudistis propterea appellantur.

13 Inter Nobiles item reputantur feudatarij, seu subfeudatarij, qui cum aliis ad comitia feudatariorum, seu subfeudatariorum vocati fuerint.

14 Minimi valuasini, qui non à Duce, Marchione, Comite regalem dignitatem obtinentibus, vel à maiore valuasore, qui vulgò Baro denominatur, sed à minore valuasore fuerint instituti, paragium, id est, nobilitatem assequuntur, si ad comitia feudatariorum ab antiquo vocari, & in eorum deliberationibus votum dare consueuerint.

15 Minimi valuasini regulariter paragium non assequuntur, sed plebeij manent, & feudi nullam consuetudinem habent.

16 Valuasores minores non habent ius infeudandi, seu subinfeudandi, saltem ad effectum nobilitandi.

17 Ignobile feudum est quod à plebeio conceditur.

18 Quilibet, etiam plebeij, rerum suarum liberam administrationem

nem habentes, eas infeudare possunt, licèt ex ordinationibus Principum ad certas plerumque personas id restringatur.

19 *Plebeij feudum concedendo, etiamsi vellent, non tamen possunt nobile feudum concedere.*

20 *Feudum concessum ab eo, qui nobilitandi authoritatem habet, erit ignobile, si feudum nobile concedere noluerit.*

21 *Feudum nobile aliud est regale, aliud non regale.*

22 *Princeps aliquem suo diplomate nominando Ducem, aut Marchionem, eum talem constituit, quod pendet à sola supremi Principis voluntate.*

23 *Dignitas regalis olim personam sic nominatam non egrediebatur, licèt hodie ad descendentes masculos per lineam masculinam transeat.*

24 *Quod procedit, siue territorium aliquod in feudum regale de nouo concedatur, siue territorium antea sub inferiori titulo possessum in Ducatum, Marchiam, Comitatum erigatur.*

25 *Regale feudum, quod Titulatum vulgo appellatur, eum præsertim producit effectum, vt obtinens illud cæteros omnes præcedat, tam in sedendo votum emittendo, quàm aliis actionibus publicis, Regique proximè semper adsistat.*

26 *Regalem dignitatem obtinenti facultas est nobilitandi recipientes ab eo subinfeudationes signanter maiores valuasores, id est, Barones creando, quod inferiores feudatarij regulariter non possunt.*

27 *Plebeius recipiens feudum nobile nobilis efficitur, nec dominus superior cogitur admittere alium plebeium, in quem recipiens illud transferre voluerit, quamuis de eo tanquam simpliciter hæreditario ad libitum voluntatis disponere possit.*

28 *Feudum nobile eximitur à contributione onerum, seu impositionum, attento præsertim seruitij militaris onere, cui subiacet, secus in feudo ignobili.*


Am de feudi in esse deducti effectibus disserendum est. Ad quorum perfectam cognitionem variæ feudorum diuisiones priùs afferri explicarique debent. In quibus explicandis distinctiùs & sigillatim cuiusque speciei feudorum effectus declarabuntur. Vt autem euitemus confusionem, quam incurrerunt plerique interpretes in variis diuisionibus sine ordine proponendis ordinatim procedendo, om-
1. nes feudorum diuisiones † ad quatuor potissimum capita reducemus, nimirum ad causam efficientem, materialem, formalem, & adiuncta, seu accidentalia feudi. A causa
2. efficiente quæ duabus personis constat, † nimirum concedentis & recipientis feudum respectiuè, siquidem attendatur persona concedentis, primùm hæc diuisio proponi-
3. tur, vt † feudum aliud sit nobile, aliud ignobile, quod nostri Burgense, seu Burgensaticum appellant, à plebeiis scilicet hominibus generis nobilitate minimè claris, licèt diuitibus, qui vulgo Burgenses dicuntur, sic denominatum.
4. Nobile id dicitur † esse, quod annexam habet nobilitatem, eo ipso accipientem nobilitans: ignobile, siue plebeium, aliàs Burgense, quod dignitatem annexam non habet, nec accipientem nobilitat. *c. 1. in princ. & §. cæteri, quis*
5. *dicatur Dux*, &c. Vbi † qui à Principe supremo, vel aliis inferioribus ab eo potestatem habentibus infeudantur, seu inuestiuntur, & feudi consuetudinem & paragium habere
6. dicuntur; qui verò à cæteris † eam potestatem non habentibus inuestiuntur, præsertim quando recenter, quales sunt valuasini, qui à minoribus valuasoribus inuestiuntur, nec ab antiquo id obtinuerint, paragium, id est, nobilitatem non assequuntur; neque enim pedagium, vt vulgati Codices habent, quod vectigal significat, legendum est, cùm ad rem non faciat, neque paradogium, quod barbaro idiomate nobilitatem indicat, vt plerique, Feudistæ scilicet,
7. voluerunt. Sed paragium † cum Cuiacio *in eo tex.* legendum censeo, quia nimirum dicti valuasini, & his similes non efficiantur Pares curiæ, vt possint ex ea paritate cum domino superiore, aut per se dirimere controuersias feudales, inter alios conuasallos exortas, vel inter dominum,

&

& vnum ex vasallis, *cap. vnic. de controuers. feud apud par. curiæ terminan.* cum *ibi* notat. vel interesse inuestituris, dum fiunt. *cap. 1. quid sit inuestitur.* Itaque dum Pares domino inuestienti efficiuntur, sine dubio nobilitatem assequuntur, & hæc quidem de plano procedunt. Difficultas autē est quando feudum nobile censeatur, & quando non. Pro cuius resolutione † dicendum, attendendam esse personam feudum concedentis, an possit nobilitatem concedere, & si 8.
possit, an voluerit. Et quidem Imperatorem, seu alium supremum, aut supremi iura obtinentem id posse extra controuersiam est, ex notat. *in l. 2. C. de dignit. lib. 12.* Idem de inferioribus dicendum, † quibus ea potestas communicata fuerit, quales sunt Duces, Marchiones, Comites, 9.
Barones, qui ab antiquo infeudare soliti sunt, arg. *l. nemo præfectus, in fin. C. eod.* & ideo dum similes personæ feuda concedunt, voluntas tantùm perquirenda, † quæ deprehenditur, aut expressè ex inuestituræ verbis, puta si dicat se in 10.
feudum nobile concedere, aut ex verisimili, prout in dubio tale semper concessum fuisse præsumendum erit, præsertim si adsint † aliquæ notæ nobilitatis annexæ, puta si 11.
rei concessæ in feudum hæreat iurisdictio cum mero & mixto imperio, vel si ab antiquo tales feudatarij, seu subfeudatarij inter nobiles reputati fuerint, quia eorum feuda descripta † reperiantur in quaternis curiæ supremi Principis, quæ Quaternata à Feudistis propterea appellantur, & 12.
ex eo vocati † fuerint cum aliis ad comitia feudatariorum, 13.
& in deliberationibus votum dederint, quo casu etiam minimi valuasini, † qui non à Duce, Comite, Marchione regalem dignitatem obtinentibus, vel maiore valuasore, qui vulgo Baro denominatur, sed à minore valuasore fuere inuestiti, paragium, id est, nobilitatem assequen- 14.
tur, licèt regulariter † non assequantur, sed plebeij maneant, & feudi nullam consuetudinem habeant. *cap. 1. in prin. & §. cæteri, quis dicat. Dux. &c. & §. 1. de his qui feud. dare poss.* Vbi † minoribus valuasoribus non conceditur ius in- 15.
feudandi, seu subfeudandi, saltem ad effectum nobilitandi recipientem, *d. §. cæteri.* Ignobile itaque feudum † sine du- 16.
bio erit, quando à plebeio concessum est, cui de iure feu- 17.
dali

18. dali id permittitur. §.1.*per quos fiat inuestitur:* vbi datur † facultas infeudandi cuilibet rerum suarum liberam administrationem habenti, licèt ex ordinationibus Principum plerumque id restringatur ad personas enumeratas *in d.§.1. de his qui feud. dar. poss. & in d. tit. quis dicat. Dux*, &c. tunc
19. enim † etsi adesset voluntas, deficit tamen potestas nobile
20. feudum concedendi, & ideo feudum † concessum ab habente nobilitandi authoritatem, ita demum ignobile erit, si nobile feudum concedere & constituere noluerit.

21. Feudum autem nobile subdiuiditur, vt † aliud sit regale, aliud non regale. Regale dicitur quod regalem dignitatem, quippe quæ regiæ proximè accedat, secum annexam
22. habeat, quod pendet † à voluntate sola supremi Principis, qui aliquem suo diplomate Ducem, Marchionem, vel Comitem nominando, eum talem constituit, & ideo
23. ea dignitas † olim personam sic nominatam non egrediebatur. *cap.1. de feud. March.* Licèt hodie ad descendentes masculos transeat, inter quos primogenitus cæteris præfertur. *cap. Imperialem. §. præterea Ducatus, de prohib. feud. alien.*
24. maximè cùm territorium † ab illis possessum antea quidem sub inferiori titulo in Ducatum, Marchiam, vel Comitatum erigi soleat in symbolum regalis dignitatis, vel
25. de nouo concedatur. Ex regali autem feudo † quod titulatum nostri appellant, potissimum manat ille effectus, vt illud obtinens cæteros omnes præcedat, tam sedendo votum emittendo, quàm cæteris actionibus publicis Regi-
26. que proximus semper adsistat, prout etiam illis † competit facultas nobilitandi, præsertim dum maiores valuasores creat. Primum est Barones per subinfeudationes, iuribus præallegatis, quod inferioribus feudatariis nullatenus conceditur.

27. Ex nobili autem feudo ille manat effectus, vt † de plebeio Nobilis efficiatur recipiens, & paragium assequatur, neque cogatur dominus superior admittere alium plebeium, in quem recipiens illud transferre voluerit, etsi de eo tanquam simpliciter hæreditario disponere possit ad li-
28. bitum voluntatis. Item † feuda nobilia eximuntur à contributione onerum, seu impositionum, præsertim attento

seruitij

ſeruitij militaris onere cui ſubiacent, qui effectus ceſſant in feudo ignobili.

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Feudum ratione perſonæ recipientis, aliud eſt maſculinum, aliud fœmininum.*

2 *Feudum maſculinum dicitur quod maſculis conceſſum fuit, & in quo fœminæ nullatenus ſuccedere poſſunt.*

3 *Fœmineum dicitur quod vel fœminis eſt conceſſum, cùm ſexum ſui natura incapacem ad illius ſucceſſionem habilitando, vel maſculo quidem conceſſum eſt, fœminas tamen vigore pacti inueſtituram, ſeu conceſſionem informantis habiles reddit ad ſuccedendum.*

4 *Feudum ab initio maſculo conceſſum inſpecta feudorum origine, & iure feudali, dicendum erit maſculinum, ſiue à maſculo, ſiue à fœmina conceſſum ſit.*

5 *Feudi natura ea eſt, vt ad ſolos maſculos peruenire poſſit, ſic inducta & ſtabilita per conſuetudines feudales, tum propter ſeruitium militare, tum ob conſilium, quæ ſuperiori domino feudatarij exhibere tenentur, tum ad ſecretum domini non reuelandum, quorum omnium fœminæ vtplurimum ſunt incapaces, ita vt linea maſculina recipientis deficiente feudum ad concedentem reuertatur.*

6 *Quamuis pacto cautum ſit, vt fœminæ in feudo ſuccedant, & in eo fuerit alterata natura feudi, non propterea minus dicitur maſculinum quòd maſculo ab initio conceſſum fuerit.*

7 *Feudum dicitur fœmininum, quando fœminæ ab initio conceſſum fuit, inſpecta namque perſona recipientis eam habet naturam, vt citra pactum ad fœminas à prima conceſſionaria deſcendentes peruenire poſſit.*

8 *Diſtinguitur feudum ab initio fœminæ conceſſum ab eo quod maſculo cum eo pacto conceditur, vt illud fœmininum dicatur, & eius ſit natura, in quo fœminæ ſuccedant; hoc verò*

masculinum, in quo fœminæ succedant, non ex feudi natura, sed ex illius alteratione per pactum contingente.

9 *In feudo siue sit fœmininum, siue sit masculinum, pacto tamen alteratum, ita demum fœminæ ad illius successionem admittuntur, si nulli supersint masculi per virilem sexum à primo inuestito descendentes.*

10 *Filiâ semel admissâ ad successionem feudi ob defectum masculorum, deinceps fœminæ ex ea descendentes non admittuntur, quamdiu masculi ex ea descendentes supererunt, quòd satius sit eos admittere, qui per seipsos, quàm qui per substitutum seruitia exhibent.*

SEcunda feudorum diuisio à causa efficiente deriuatur,
1. quæ † habita ratione personæ recipientis feudum sic distribuit, vt aliud sit masculinum, aliud verò fœmineum.
2. Masculinum plerique † definiunt, quod masculo concessum fuit, & in quo fœminæ nullatenus succedere possunt:
3. fœmineum, † quod vel fœminæ concessum, cùm sexum sui natura incapacem ad illius successionem habilitat, vel masculo quidem concessum, fœminas tamen vigore pacti inuestituram, seu concessionem informantis habiles reddit ad succedendum. Quod quando aliqua ratione sustineri
4. possit, negandum non est; sed si rei originem † attendamus, quæ semper debet attendi, ex notat. *in cap. 1. de eo qui sibi & hæred. suis.* & textus nostros feudales, dicendum erit masculinum esse, quod masculo primum concessum, siue à masculo, siue à fœmina concedatur: feudorum namque
5. † ea est natura, vt ad solos masculos peruenire possint, per text. *in §. ad filias, de successio fratr.* sic constituta per consuetudines feudales. *§. hoc autem notandum, de his, qui feud. dar. poss.* tum ob seruitium militare quod domino superiori exhibere coguntur, cuius fœminæ sunt incapaces, tum ob consilium, ad cuius exhibitionem tenentur, & quia secretum domini reuelare non debeant. *cap. 1. de form. fidelitat.* quæ vix fœminæ præstare possunt. Quod adeò verum, vt linea masculina deficiente feudum ad concedentem re-
6. uertatur. *§. si enim Titij, de success. fratr.* Et licèt pacto † cautum sit, vt fœminæ in eo succedant, non propterea minus erit

erit masculinum, cuius scilicet natura per tale pactum fuerit in eo alterata; fœmineum verò tunc † dicetur, quando primùm fœminæ ab initio concessum fuit, quo casu inspecta persona recipientis eam habet naturam, vt citra pactum ad fœminas recipientis descendentes peruenire possit, eáque ratione distinguitur † semper hoc feudum fœminæ concessum ab eo quod masculo cum eo pacto conceditur. §. 1. *de feudo fæm.* §. *proles enim, de success. fratr.* & §. 1. *de natur. success. feud.* vt illud fœmineum dicatur vel eius generis, siue naturæ, in quo fœminæ succedant; verùm omni semper casu † hîc manet effectus, vt fœminæ ad illius successionem ita demum admittantur, si nulli supersint masculi per virilem sexum descendentes à primo inuestito. §. *alij verò, in fin. de feud fæm. d.* §. *ad filias,* & §. *quando etiam, Episcop. vel Abbat.* quod adeò verum, vt † si filia semel fuerit admissa ob defectum masculorum, non deinceps ex ea fœminæ descendentes admittantur, quandiu masculi ex ea supererunt. *d. cap. 1. de eo qui sib. & hared. suis.* huius rei ratio hæc potest afferri, quòd satius sit eos admittere qui per seipsos, quàm qui per substitutum seruitium exhibent.

7. 8. 9. 10.

---

§. II.

SVMMARIVM.

1 ***Fœmina ad feudi successionem admittuntur, vel ex qualitate feudi, puta si sit fœmineum, vel ex pacto in inuestitura apposito; vel ex consuetudine.***

2 ***Fœmina ad feudi successionem admittuntur ex qualitate feudi si sit fœmineum; puta fœmina ab initio concessum.***

3 ***Item si sit francum ab omni seruitio, etiam remisso fidelitatis iuramento, non tamen fidelitate.***

4 ***Item si sit conditionatum, quia sub certo vniformi & determinato seruitio, puta præstationis annuæ concessum fuerit, cæteris omnibus seruitiis, seu oneribus remissis, ad quorum successionem propterea fœmina admittitur.***

5 ***Ad feudi successionem fœmina ex pacto admittitur, si nominatim***

tim concedatur, non solùm pro masculis, verùm etiam pro fœminis.

6 *Fœminæ non admittuntur ad feudum per verba tam masculos, quàm fœminas comprehendentia, puta si concessum sit pro hæredibus posteris descendentibus liberis, &c. nisi pro eis specialiter concedatur.*

7 *Significatio dictarum dictionum ex subiecta materia restringitur ad masculos.*

8 *Masculinum in feudis non comprehendit fœmininum, quamuis regulariter secus sit.*

9 *Si de masculis & fœminis copulatiuè mentio fiat in inuestitura, non copulatiuè, sed ordine tantùm successiuo deficientibus masculis fœminæ admittuntur.*

CAsus autem plures afferuntur, in quibus fœminæ ad successionem feudi admittuntur, qui omnes ad tria
1. potissimum capita reducuntur, quia id contingat † vel ex qualitate feudi, vel ex pacto in inuestitura apposito, vel
2. ex consuetudine. Et quidem ex qualitate † feudi, si sit fœmineum, vt suprà proximè edoctum fuit, aut si sit francum
3. † ab omni seruitio, etiam remisso fidelitatis iuramento, non tamen fidelitate. *cap. 1. in fin. princ.* sub tit. *Casus in qui-*
4. *bus mulier*, &c. aut conditionatum, † quia sub certo, vniformi & determinato seruitio concessum fuerit, puta præstatione annua, cæteris omnibus seruitiis, seu oneribus remissis, tunc enim, quia fœmina æquè potest ac masculus illud præstare, admittitur. *d. cap. 1. in princ.* An verò idem iuris sit in feudo emptitio alienabili ad libitum feudatarij, cæterisque similibus, postea suo loco, dum de feudo absolutè hæreditario, agetur.

5. Ex pacto fœmina admittitur, † si nominatim concedatur nedum pro masculis, verùm etiam pro fœminis. *§. hoc autem notandum, de his qui feud. dar. poss.* *§. huius autem generis, in*
6. *quibus caus. feud. amitt.* cũ aliis iuribus præallegatis, ita vt † neque sufficiant verba masculos & fœminas comprehendentia, puta pro hæredibus posteris descendentibus liberis. *l. liberorum*, cum *ibi* notat. *ff. de verb. signific.* nisi pro fœminis specialiter concedatur. *d. cap. 1. de eo qui sibi, vel hæred. suis,*

cum

cum *ibi* notat. restringitur namque † ex subiecta materia 7.
dictarum dictionum significatio ad masculos, arg. *l. si vno. ff. locat.* & masculinum. Propterea † hoc casu non com- 8.
prehendit fœmininum, contra text. *in l. 1. ff. de verb. signific.*
Imò † si de masculis & fœminis copulatiuè mentio fiat in 9.
inuestitura ordine tantùm successiuo, deficientibus scilicet masculis, non copulatiuè censentur vocatæ.

---

§. III.

SVMMARIVM.

1 *Fœminæ admittuntur citra pactum ad feudi successionem, ex consuetudine.*

2 *Deficiente particulari consuetudine, recurrendum est ad generalem ciuitatis, prouinciæ, seu regionis consuetudinem, in qua feudum situm reperitur.*

3 *Ius feudale consuetudinarium contraria consuetudine tollitur.*

4 *Consuetudo in Gallia viget, per quam fœminæ ad feudi successionem admittuntur.*

5 *Viget etiam ea consuetudo in quibusdam Germaniæ regionibus quoad feuda Ecclesiastica, quæ à sceptro curuo, vulgò* croce, *dependere dicuntur.*

6 *Ad feudi Ecclesiastici seruitia non tam armis, quàm lachrymis & orationibus opus est.*

7 *Quod tamen restringitur, si feudum de nouo concedatur per inferiores Ecclesiasticos à Summo Pontifice, quod sibi antea à Principe sæculari iure feudi sub onere solito concessum non fuerat.*

8 *Feudum recipiens à Summo Pontifice, vel ab inferiore, cui antea per Principem sæcularem iure feudi sub onere solito concessum fuerat, tenetur ad belli munia.*

9 *Feudum recipiens à Summo Pontifice, qui in temporalibus Princeps supremus, & sæcularis existit, tenetur per seipsum in capite proprio seruitia exhibere.*

10 *Feudum recipiens à Prælato inferiore, qui iure feudi antea*

illud acceperat à Principe sæculari sub onere solito, tenetur tanquam substitutus Prælati seruitia debita exhibere.

11 *Idem seruatur in feudo ligio, vigore consuetudinis.*

12 *Concessio feudi simpliciter facta vigore consuetudinis, extenditur ad fœminas, nisi contrarium in eo feudo seruatum fuerit; masculis tamen semper admissis, fœminis autem exclusis.*

13 *Ex quatuor casibus relatis* in cap. vnic. *sub tit.* Casus sub quibus mulier, *&c. tertius tantummodo admittendus, erit.*

14 *Quartus non conuenit.*

15 *Casus in quibus fœminæ admittuntur ad feudi successionem, ad tria capita referuntur.*

16 *Consuetudo per quam res reducitur ad terminos iuris, omnino valet.*

17 *Quod consuetudine induci potest, per quam feuda reducuntur ad instar patrimoniorum, idem quoque poterit statutum, seu lex municipalis.*

1\. EX consuetudine † fœminæ citra pactum ad feudi successionem admittuntur, si ea vigeat particularis consuetudo in eo feudo, de quo agitur, per quam fœminæ admittantur, arg. *l. si seruus plurium. §. fin. ff. de legat.* 1. nec sufficit quòd id vsu receptum sit à feudi possessoribus, nisi quatenus pariter id à domino superiore fuerit obseruatum, cùm ab vtriusque voluntate pendeat, non vnius tantùm,
2\. vt *in d. §. fin.* Si hæc deficiat consuetudo † particularis, tunc ex generali ciuitatis, Prouinciæ, seu Regionis consuetudine, in qua feudum situm est, id poterit induci, per
3\. tex. *in l. de quibus. ff. de leg.* nihilque sit † tam naturale, quàm hoc ius nostrum consuetudinarium contraria consuetudine tolli, seu reformari. *l. nil tam naturale. ff. de regul. iur.* quam
4\. consuetudinem † in Gallia vigere testatur Guid. Pap. *decis.* 5 . *& decis.* 297. *num.* 2. Et plerique volunt etiam vigere
5\. † in Germaniæ quibusdam Regionibus quoad feuda Ecclesiastica, quæ à sceptro curuo, vulgò *croce*, dependere di-
6\. cuntur, pro quorum seruitiis † non tam armis, quàm lachrymis & orationibus sit opus, quorum fœminæ perinde

sint

sint capaces, vt masculi: quod tamen restringitur, † si ab 7.
inferioribus à Summo Pontifice feudum concedatur de nouo, & quod eis anteà Principe sæculari iure feudi sub onere solito sibi non fuerat concessum; vtroque enim casu † re- 8.
cipiens ad belli munia tenetur, primò quidem ex capite proprio per seipsum, † cùm Pontifex, quoad hæc tempora- 9.
lia, Princeps sæcularis habeatur, & sit. Secundò tanquam substitutus † Prælati subinfeudantis. Idem voluit † serua- 10. 11.
ri Speculat. sub tit. *de feud. §. quoniam, q. 21.* in feudo ligio vigore consuetudinis, vnde malè inferunt interpretes nostri, id locum habere seposita consuetudine. Ex vigore † ita- 12.
que talis consuetudinis concessio feudi simpliciter facta ad fœminas extenditur, quæ extensio cessabit, si in eo feudo contrarium seruatum fuisset; masculis tamen semper admissis, fœminis verò exclusis, per speciem † namque ge- 13.
neri derogatur. *cap. generi, de reg. iur. lib. 6.* Quidam verò casus considerantur, in quibus fœminæ simul cum masculis admittuntur ad successionem feudi, & quatuor referuntur *in cap. vnic.* sub tit. *Casus in quibus mulier.* Ex quibus scilicet tertium tantummodo admitto, duos priores reiicio, quia sententia quorumdam id existimantium *ibid.* relata reprobetur, prout eorum sententia, quæ proponitur *in §. similiter, de capitan. qui cur. vend.* liquet ex iuribus superiùs allegatis, quibus fœminæ excluduntur dum masculi supersunt. Quartus non conuenit, † quia non vna, sed 14.
duæ sint concessiones, vna marito, altera vxori facta. Filia itaque, quæ sola superest matri, ei succedit, filius verò idemque frater consanguineus patri. Sed isti casus † referendi 15.
erunt ad tria potissimum capita, nimirum ad qualitatem feudi, quale cõsiderari potest feudũ Burgense à Burgensi de re sua patrimoniali concessum; cùm enim retineat patrimonialium naturam, non mirum si in eo fœminæ cum masculis succedere possint. Secundum ad pactum sic expresè conceptum, & in inuestitura positum, & est tertius casus, de quo *in §. Item si quis, casus quibus fœm.* Tertiò ad consuetudinem, si per eam feuda ad instar patrimonialium sint redacta, quam in Gallia vigere testatur Guid. Pap. *d. decis. 57. & decis. 297.* valet namque ea consuetudo † cùm 16.

per

per eam res reducatur ad terminos iuris. *l.maximum vitium.*
17. *C.de liber. prater.* Et consuetudine † induci posse diximus, Idem obtinebit si statuto, seu lege municipali ita caueatur, ex notatis *in l.omnes populi.ff.de iust.& iur.*

---

§. IV.

SVMMARIVM.

1 *Feudum etiam inspecta persona recipientis diuiditur, vt aliud sit nouum, aliud verò vetus, seu antiquum.*

2 *Feudum nouum dicitur, cuius causam acquirens ab alio non habet, quàm à seipso, & à domino concedente, vel etiam quòd olim fuerit vetus, sed ad dominum iure reuersum.*

3 *Feudum vetus dicitur, cuius causam quis à seipso non habet, sed ab eo, qui primùm recepit, & à domino concedente.*

4 *Feudum vetus esse incipit dum à primo acquirente, in cuius persona nouum fuit, transit ad eius successores.*

5 *Feudum vetus aliud est paternum, aliud antiquum.*

6 *Paternum dicitur quod à patre, auo, proauo, vel abauo primùm fuerit ex concessione iure feudi quæsitum, in quo successio olim admittebatur ad quartum vsque gradum.*

7 *Antiquum quod ab aliis vlterioribus iure concessionis feudalis acquisitum fuit.*

8 *Paternum differt ab antiquo.*

9 *Diuisio noui & veteris feudi diuersos producit effectus in feudo ex pacto & prouidentia, secus in feudo simpliciter & absolutè hæreditario.*

1. TErtia feudorum diuisio † à causa efficiente, inspecta quoque persona recipientis, hæc proponitur, vt aliud feudum sit nouum, aliud vetus, per text. *in cap.1.in princ.per quos fiat inuestit. cap.1. §.de veteri, qui testes sint necess. ad nou. inuestit. & in cap. 1. de inuestit. veter. & noui benefic.* No-
2. uum † dicitur, cuius causam acquirens ab alio non habet, quàm à seipso, & à domino concedente. *cap.1.vers.nouam, d. tit. qui testes sint necessar. cap. 1. de duo.fratr. à capit. inuest.*

inuestit. & *cap.* 1. *de fratr. de nou. benef. inuestit.* & inde nouum etiam dicitur quod olim vetus fuit, sed ad dominum iure reuersum, puta ob finitam lineam, de nouo conceditur, ex notat. *in cap.* 1. *de vasall. decrep. ætat.* Vetus feudum † dicitur, cuius causam quis à seipso non habet, sed ab eo; 3.
qui primum recepit, & à domino concedente. *cap.* 1. *vers. paternum, de natur. success. feud.* Et sic quod nouum fuit † in 4.
primo acquirente, seu concessionario, vetus esse incipit dum ad eius successores peruenit: feudum autem vetus † aliud dicitur paternum, *d. vers. paternum*, quod † scilicet 5. 6.
à patre, auo, proauo, vel abauo primùm fuerit quæsitum, arg. text. *in cap.* 1. §. 1. *de success. feud.* vbi successionem olim admissam fuisse dicit ad quartum vsque gradum; antiquum verò † quod ab aliis vlterioribus quæsitum fuit, inter quæ 7.
duo, quoad effectum, nulla est differentia, nisi in eo, † quia 8.
quo antiquius est feudum, eo plures personæ comprehendi possunt: hæc autem diuisio † noui & veteris, potissimum at- 9.
tenditur quoad effectum diuersitatum in feudo ex pacto, & prouidentia, secus in feudo simpliciter & absolutè hæreditario.

---

§. V.

SVMMARIVM.

1 *Feudum antiquum nullam possessoris admittit ordinationem, sed ea minimè attenta proximè sequentes in gradu admittuntur ad illius successionem.*

2 *Succedentes in feudo ex pacto & prouidentia, non à feudi possessore, sed à domino concedente ius & causam habent.*

3 *Dispositio de feudo ex pacto & prouidentia à feudi possessore facta, nec valet inter viuos, nec in vltima voluntate, imò neque pro anima.*

4 *De feudo nouo primus inuestitus disponere potest in fauorem vnius ex filiis, cæteris exclusis.*

5 *Comprehensis in inuestitura feudi noui ius quæritur tantùm in spe, facto ipsius primi inuestiti.*

6 *Primus inuestitus sibi primùm prouidit, & post se cæteris in dicta inuestitura comprehensis.*

7 *Primo inuestito iure permissum est contrario pacto & prouidentia domino consentiente aliter ordinare, quàm ordinatum esset in prima inuestitura & concessione sibi facta.*

8 *Feudum quod ex pacto inter concedentem & primum concessionarium initio stabilitum fuerat, contrario quoque pacto tolli potest.*

9 *Feudum quandoque censetur antiquum, non habito respectu ad rei veritatem, sed ad conuentionem initam inter concedentem & recipientem.*

10 *Feudum de nouo concessum, licèt in antiquum concessum fuerit, æquè primus recipiens de eo disponet ac de nouo, nec collaterales recipientis, sed descendentes tantùm ad illius successionem admittuntur.*


11 *Quod fauore alicuius conuentum fuit, non debet in illius odium retorqueri.*

12 *Feudum nouum iure antiqui feudi concessum pro nobili indubitanter reputatur.*

13 *Feudum reuera antiquum non potest ex conuentione domini & possessoru nouum fieri, nisi accedente consensu eorum omnium, qui sub prima inuestitura comprehenduntur, & in quorum persona ius primi inuestiti radicatum fuit.*

1. HIc autem præcipuè consideratur effectus, quòd † in feudo antiquo nulla valeat ordinatio facta de feudo per illius possessorem, sed ea minimè attenta, proximè sequentes in gradu ad illius successionem admittantur. *cap.1.*
2. *in fin.princip.de success.fratr.* quippe † qui non à dicto possessore, sed à domino concedente ius & causam habere di-
3. cantur, vt postea suo loco pleniùs. quod † verum nedum in ordinatione vltimæ voluntatis, verùm etiam inter viuos, ita vt neque pro anima dispositio facta valeat, *c.1.§.donare, qualiter olim feud. poter. alienar.* De feudo verò † nouo
4. primus inuestitus disponere potest, nedum in fauorem vnius filiorum, cæteris exclusis, puta vni prælegando, vel fideicommissum primogenituræ in eo instituendo, ex notat. per Graff. *in §.legatum q.14.n.18.* Sed etiam in fauorem extraneis

extranei, qui non ſit comprehenſus in inueſtitura; cùm enim comprehenſis † ius quæſitum fuerit in ipſo facto 5. ipſius primi inueſtiti, videlicet ex pacto per eum facto cum domino concedente, qui ſibi † primùm prouidit, & poſt 6. ſe cæteris in dicta inueſtitura comprehenſis, permiſſum quoque debet † ei eſſe contrario pacto, & contraria proui- 7. dentia aliter ordinare, modò domini conſenſus interueniat; quo enim modo † ius illud ſtabilitum fuerat, contra- 8. rio quoque modo tolli poteſt, arg. *l. ab emptione. ff. de pact.* per regulam *in l. nil tam naturale. ff. de reg. iur.* fac. notat. *in l. quod dicitur* 130. *ff. de verb. obligat.* Sed feudum † antiquum 9. quandoque conſideratur non habito reſpectu ad rei veritatem, ſed ad conuentionem domini concedentis, & primi inueſtiti, ſeu recipientis, quia dominus expreſſerit qualiter concedebat in feudum antiquum dicto primo recipienti, tunc enim inſpecta rei veritate eſt nouum, ſed attenta conuentione reputabitur & denominabitur antiquum: non poterit † tamen propterea minus de eo diſpo- 10. nere, vt de nouo prædictum eſt, nec ex eo collaterales recipientis, ſed deſcendentes tantùm ad illius ſucceſſionem admittentur, quia quod † eius fauore conuentum fuit, 11. non debet in illius odium retorqueri. *l. legata inutiliter, ff. de adimen. legat.* Et talis denominatio † id operabitur, vt pro 12. Nobili indubitanter conceſſum cenſeatur. Sed quod antiquum † reuera eſt, non poterit ex conuentione do- 13. mini & poſſeſſoris nouum fieri, niſi accedat quoque conſenſus eorum, qui per primam inueſtituram vocantur, & in ea comprehenduntur, & in quorum perſona ius radicatum fuit per mortem primi inueſtiti, ex notat. *in d. l. quod dicitur*, per regulam *l. id quod noſtrum. ff. de regul. iur. & c. quod omnes, eo. tit. lib. 6.*



CAPVT II.

De feudorum diuisione à causa materiali.

SVMMARIVM.

1 *Feudum à causa materiali aliud est corporeum, quod consistit in re soli, seu immobili, puta castro, seu eius territorio, vel quæ ei inhæreat, qualis est iurisdictio quæ territorio cohæret.*

2 *Iurisdictio territorio cohærens dicitur accessoria ad castrum principaliter concessum, cuius tanquam sui principalis naturam sequitur.*

3 *Feudum aliud est incorporeum quod consistit in re incorporea, quæ sensibus corporeis minimè percipitur, sed oculis tantùm intellectûs.*

4 *Iurisdictio de per se concessa sine castro, eiusque tenemento, vel ius percipiendi quid annuum, aut ius habitationis, vel his similia, dicuntur incorporea.*

5 *Feudũ constitui tantùm potest in rebus soli, seu ei cohærentibus, vel in iuribus quæ inter immobilia connumerantur, non autem in rebus mobilibus.*

6 *Feudum quod in iure consistit, aliud est soldatæ, aliud verò dicitur habitationis.*

7 *Sub feudo soldatæ comprehenduntur ea omnia, quæ in iure quid annuum percipiendi consistunt.*

8 *Feudum soldatæ sic dictum est quòd plerumque in solidorum præstatione consistat.*

9 *Feudum habitationis ab ipsa habitatione quæ iure feudi conceditur, vel aliam denominationem accipit, illius iuris qualitate inspecta, & nomine.*

10 *Feudum item soldatæ aliud est de Camera, si præstatio fiat in pecunia tanquam de camera, id est, ærario Principis procedens: aliud de cauena, si in annonis ciuilibus præstatio fiat, quæ ad hominis victum & equorum alimoniam pertinent.*

11 *Feudum de cauena sic dicitur, quasi de camera auenæ prodeat.*

12 *Feudum*

12 *Feudum item soldatæ aliud est officiosum, quod sub certo officio per recipientem exhibendo ad commodum concedentis iure feudi conceditur.*

13 *Feudum soldatæ merè gratuitum dicitur, si ad nihilum præter fidelitatem recipiens maneat obligatus.*

14 *Feudum soldatæ quod sub onere, seu officio guardiæ conceditur, dicitur feudum guardiæ.*

15 *Si verò sub onere, seu officio guastaldiæ, vt rei dominicæ curam gerat, dicitur guastaldia.*

16 *Feudum soldatæ quod sub onere defensionis conceditur, feudum Aduocatiæ appellatur.*

17 *Similes feudorum concessiones ab Ecclesiis ea lege vtplurimum fiunt, vt sint sub potentiorum protectione.*

18 *Feuda concessa hunc habent effectum, vt in dubio nobilia censeantur, si concedens habeat nobilitandi authoritatem.*

19 *Feudum soldatæ nobilitatem non tribuit.*

20 *Feuda transeunt ad posteros recipientis.*

21 *Feudum soldatæ finitur morte dantis, vel accipientis, imò etiam pro arbitrio dantis aufertur, licèt recipiens pro eo obtinendo pretium dederit saltem post anni lapsum.*

22 *Feudum habitationis morte accipientis extinguitur instar seruitutis, quæ habitatio nominatur, vel deserta habitatione.*

A Causa materiali duæ potissimùm eliciuntur diuisiones, prima quòd † feudum aliud sit corporeum, si nimirum constituatur & consistat in re soli, scilicet immobili, 1.
puta castro, & eius territorio, vel quæ ei cohæreat, dum in iurisdictione territorio cohærenti tanquam accessoria † ad castrum principaliter concessum; tunc enim sui principalis naturam sequitur. *l. cùm principalis. ff. de regul. iur. c. accessorium, eo tit. lib. 6.* Aliud † verò incorporeum, si videlicet consistat in re incorporea, quæ sensibus corporeis minimè subiicitur, sed oculis intellectus tantùm percipitur. *§. 1. & §. 2. Instit. de reb. corporal. & incorporal.* puta in iurisdictione † de per se concessa sine castro eiusque tenemento: vel in iure percipiendi quid annuū: aut iure habitationis, vel his similibus, quia † feudum constitui tantùm possit vel

2. 3. 4. 5.

in rebus ſoli, ſeu ei cohærentibus, vel in iuribus quæ inter immobilia annumerantur, non autem in rebus mobilibus.
6. *cap.* 1. §. *ſciendum, de feud. cognit.* Et quidem † quod in iure
7. conſiſtit, aliud dicitur feudum ſoldatæ, † ſub quo comprehenduntur ea omnia, quæ in iure quid annuum, puta percipiendi, conſiſtunt. *cap.* 1. §. *cæteri, quis dicat. Dux, Com. March.*
8. ſic dictum † quòd plerumque in ſolidorum præſtatione
9. conſiſtat; aliud verò † dicatur habitationis, *c.* 1. *de feud. habit.* vel aliam denominationem accipiat, illius iuris qualitate inſpecta, & nomine, in quo feudum ſit conſtitutum. Feu-
10. dum ſoldatæ † iterum ſubdiuiditur, vt aliud ſit de Camera, ſi præſtatio in pecunia fiat, tanquam de Camera, id eſt, ærario domini procedens. Aliud de Cauena, ſi in annonis ciuilibus, puta vino, frumento, carne, hordeo, auena, pabulis præſtatio fiat: quæ ad hominis victum, ſeu equorum
11. alimoniam pertinent, quaſi de Camera † auenæ prodeat, id eſt, penore, ſeu cella, in qua præmiſſa aſſeruantur, per ſynecdochen nomine auenæ cætera includendo, quæ ſubdiuiſio probatur per text. *in d.* §. *cæteri, &* §. *ſciendum. cap.* 1. §. 1. *quid ſit inueſtit. & cap.* 1. *de not. feudor.* Hoc etiam feudum
12. ſoldatæ † alio modo ſubdiuiditur, vt aliud ſit officioſum, dum feudi iure conceditur ſimilis præſtatio ſub certo officio per recipientem exhibendo ad commodum concedentis.
13. tis. Aliud verò † merè gratuitum, ſi ad nihilum præter fi-
14. delitatem recipiens maneat obligatus. Prius illud † ſi ſub
15. onere, ſeu officio guardiæ, appellatur feudum Guardiæ, ſi ſub onere, ſeu officio guaſtaldiæ, vt curam rei dominicæ habeat, & gerat, dicitur feudum guaſtaldiæ. *cap.* 1. *de feud. guard. & guaſtald. lib.* 1. *& cap.* 1. *eod. tit. lib.* 4. aliàs *tit.* 94.
16. *lib.* 2. ſi ſub onere defenſionis, † feudum aduocatiæ. *cap.* 1. *de feudis impropr.* vbi ex Cuiacij ſententia non Decania, ſed
17. *Aduocatia* legendum eſt, quæ conceſſiones † ab Eccleſiis, ea lege vtplurimum fiunt, vt ſint ſub potentiorum prote-
18. ctione; effectus verò † ſi ſunt, quia feudum in dubio nobile cenſetur, ſi ab habente nobilitandi authoritatem con-
19. cedatur. Hoc verò feudum † ſoldatæ nobilitatem non tri-
20. buit, *d.* §. *cæteri.* Præterea feuda † tranſeunt ad poſteros recipientis. §. *& quia.* §. *hoc quoque ſciendum, de his qui feud. dar.*

dar.poss. Feudũ verò † soldatæ finitur morte dantis, vel accipientis. *d. §. cæteri, in fin.* imò etiam pro arbitrio dantis auferuntur. *c. 1. de feud. impropr.* quod procedit etiam pretio dato per recipientem pro eo obtinẽdo saltem post anni lapsum. *d. c. 1. de feud guard. lib. 1.* Feudum item † habitationis morte accipientis extinguitur. *cap. 1. de feud. habitatio.* instar seruitutis, quæ habitatio nominatur. Instit. tit. *de vsu & hab.* vel deserta habitatione. *cap. 1. de condit. feudi non impleta.* 21. 22.

---

§. Vnic.

SVMMARIVM.

1 *Feudum item inspecta causa materiali, aliud est sæculare, quod in re sæculari, seu profana consistit: aliud Ecclesiasticum, quod in re Ecclesiastica consistit, siue à Clerico, siue à laico concedatur.*

2 *Clericus feudum de suo concedens constituit feudum sæculare, si de bonis Ecclesiæ, Ecclesiasticum.*

3 *Feudum Clerico à Rege non sibi, sed Ecclesiæ concessum, quod in re sæculari consistat, dicitur sæculare, & ratione illius Clericus subiacet iurisdictioni sæculari.*

4 *Clericus subinfeudans feudum sibi, seu Ecclesiæ à Rege concessum, tale subfeudum sæcularis naturam retinet.*

5 *Feudum verè Ecclesiasticum est dum de rebus Ecclesiæ, puta decimis, vt olim permissum erat, fit concessio.*

6 *Feuda merè Ecclesiastica sunt patrimonialium instar, ad quorum successionem signanter fœmina admittuntur, quamuis secus sit in secularibus.*

SEcunda diuisio à causa materiali hæc deriuatur vt † aliud sit feudum sæculare in re sæculari, seu prophana, 1. aliud Ecclesiasticum, quod in re Ecclesiastica consistat, siue à Clerico, siue à laico concedatur, & siue Clericus, siue laicus recipiat. Clericus namque, † si de suo feudum con- 2. cedat, constituit sæculare: si de bonis Ecclesiæ, Ecclesiasticum. *cap. 1. de cler. qui inuestit. fac.* Clericus † item si à Rege 3. feudum

feudum obtineat non sibi, sed Ecclesiæ concessum, quia in re sæculari consistat, dicitur tale feudum sæculare, & ratione illius iurisdictioni sæculari subiicitur, ex notat. *in cap. ceterùm, de indic. in antiq.* Et † subinfeudando etiam sæ-
4 culare subfeudum denominatur, ex notat. per Guid. Pap.
lib. 1. obs. 30. Feudum autem verè † Ecclesiasticum dicitur,
5 dum de rebus Ecclesiæ, puta decimis, olim fiebat conces-
6 sio. *cap. 1. de feud. in antiq.* quæ feuda merè Ecclesiastica † patrimonialium instar habentur, præsertim quoad fœminas ad successionem admittendas, vt suprà edoctum fuit, quod secus est in secularibus.



CAPVT III.

De feudorum diuisione à causa formali.

SVMMARIVM.

1 *Feudum inspecta causa formali aliud est ligium, sic à ligando dictum, aliud non ligium.*

2 *Feudum ligium est dum in inuestitura recipiens fidelitatem concedenti promittit aduersùs omnes & quoscunque, nemine antepofito, seu reseruato, etiamsi non dicatur concedi in feudum ligium.*

3 *Homo ligius dicitur is, qui planè & omnino fide ergà dominum adstrictus est.*

4 *Feudum non ligium dicitur, dum recipiens fidelitatem quidem concedenti pollicetur, sed reseruatur Imperator, Rex, vel alius supremus.*

5 *Superiorem recognoscens feudum ligium concedere non potest.*

6 *Ligius duorum dominorum eodem tempore nemo esse potest.*

7 *Frater minor natu, si feudum à patre sibi obuentum de non ligio ligium fecerit; deinceps sine hærede decedens fratre natu maiore sibi superstite, cui feudum patris ligium ex diuisione obuenerat, succedens in feudo fratri minori obuento ad eum perueniet, sine qualitate ligia.*

8 Frater-

8 *Frater minor natu, si patre mortuo feudum ligium de nouo acquisiuerit, eo sine liberis mortuo, si ad fratrem natu maiorem peruenerit, cui ex diuisione feudum paternum obuenerat, tenetur in feudo ligio morte fratris postea sibi obuento per substitutum domino acceptabilem deseruire.*

9 *Æquitas iuris rigorem temperare solet.*

10 *Fœmina ad feudi ligij successionem non admittuntur reprobata contraria sententia, nisi quatenus consuetudo id ferat, & non aliter.*

DVÆ item diuisiones à causa formali eliciuntur, quarum prima † est, vt aliud sit feudum ligium, 1.
sic à ligando dictum, aliud non ligium: si enim † in inuestitura recipiens fidelitatem conceden- 2.
ti promiserit aduersùs omnes, & quoscumque, nemine anteposito, seu reseruato, etiam si non dicatur concedi nominatim in feudum ligium, erit ligium. *c.1.§.satis bene.de prohib.feud.alien.per Lothar. c.1.fact.fratr.fatr. non noc.in feud. pater. & cap.1. de feud. lig.* Hinc homo † ligius dicitur qui 3.
planè & omnino fide adstrictus est erga dominum. *Clemen. pastoralis. §. rursus.* cum *ibi* notat. per Gloss. & DD. *in verb. ligius, de senten.& re iudic.* Non ligium † dicitur dum reci- 4.
piens fidelitatem quidem concedenti pollicetur, sed reseruatur Imperator, Rex, vel alius supremus. *cap.1.de nou. form. fidel.* Hinc duo inferuntur, primò vt † non possit feu- 5.
dum esse ligium, si à superiorem recognoscente concedatur, supremus namque iuris interpretatione semper exceptus & reseruatus censetur. *cap.1. in fin.de prohib.feud.alien. per Frideric.* Secundò, vt † non possit quis eodem tempore 6.
ligius esse duorum dominorum. *d. cap.1. de feud.lig.* Vnde † si frater minor natu feudum de non ligio à patre sibi ob- 7.
uentum fecerit ligium, isque decedat deinceps sine hærede fratre natu maiore superstite, cui feudum patris ligium ex diuisione obuenerat, ad eum peruenit sine qualitate ligia. *d.§.satis bene,& d.c.1.fact.fratr.*&c. Sed si frater † minor natu 8.
de nouo patre mortuo feudum ligium acquisiuisset fratre natu maiore sine liberis mortuo, cui feudum ligium paternum ex diuisione obuenerat, quod propterea ad fratrem

L natu

natu minorem peruenire debeat, tunc tenebitur in ligio morte fratris postea sibi obuento per substitutum domino
9. acceptabilem deseruire ex quadam † æquitate iuris rigo-
10. rem temperante. *d. c.* 1. *de feud. lig.* Volunt aliqui † in feudo ligio fœminas ad successionem admitti, sed suprà ex Speculat. *in tit. de feud.* §. *quoniam*, *q.* 21. edoctum fuit id demum procedere si consuetudo ferat, & non aliter.

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Feudum item inspecta causa formali aliud est feudum ex pacto & prouidentia, aliud hæreditarium, aliud mixtum.*

2 *Verbum* hæres *in vsibus & libris feudalibus accipi debet de hæredibus sanguinis, id est, masculis per virilem sexum descendentibus à primo inuestito.*

3 *Verbum* hæres *simpliciter in feudi inuestitura positum, pariter accipitur de hærede sanguinis, videlicet masculis per virilem sexum à primo concessionario descendentibus.*

4 *Subiecta materia verborum significationem impropriare solet.*

5 *Diuisio prædicta, non textualis, sed magistralis est, à Pileo nimirum, & Bulgaro antiquis glossatoribus introducta per terminos artis magistrales facilioris doctrinæ gratia.*

6 *Qualitatis feudorum alteratio sex potissimum temporibus consideratur.*

7 *Primo tempore feuda ad nutum concedentis reuocabantur, quale est hodie feudum quod precarij nomine conceditur.*

8 *Secundo tempore durabat concessio per annum, quale est hodie feudum guardiæ.*

9 *Tertio tempore durabat concessio ad vitam recipientis, quale est feudum habitationis.*

10 *Quarto tempore, vt ad vnum ex filiis primi inuestiti perueniret, quem eo mortuo dominus elegisset.*

11 *Quinto tempore, vt ad omnes filios æqualiter perueniret, quod ex lege Corradi prorogatum fuit ad nepotes ex filio & fratres in feudo paterno.*

12 *Sexto*

12 *Sexto tempore vt ad omnes masculos per lineam masculinam à primo recipiente descendentes extenderetur feudi successio.*

13 *Duobus postremis temporibus ex diuerso succedendi modo inter plures successores ad feudi successionem vocatos diuersæ feudorum species inductæ fuerunt, quibus constat diuisio feudi suprà proximè relata.*

14 *Prioribus temporibus successio in feudis non dabatur, nec propterea diuersitas in succedendo esse potuit, ex qua fluxit dicta feudorum diuisio.*

15 *Feudum ex pacto & prouidentia sic dicitur quòd pro illo in esse deducendo duo concurrant, scilicet pactum concedentis & recipientis, & prouidentia dantis.*

16 *In creatione feudi hæreditarij duo illa pariter concurrunt, nimirum vtriusque pactum & prouidentia dantis, qui prouidere voluit quibuscunque hæredibus & successoribus primi inuestiti.*

17 *Feudum ex prouidentia sic dictum, ea potissimum ratione, quia vltra pactum concurrat prouidentia dantis, qui prouidendo descendentibus primi recipientis sibi quoque prospexit dum ius & causam ab ipso concedente vnus post alium ex propria in ipso feudo sint habituri.*

18 *Successores in feudo ex pacto & prouidentia quisque eorum suo tempore feudum recipere censetur, non ab vltimo feudi possessore, seu primo recipiente, sed ab ipso domino superiori, qui feudum primo sic concessit.*

19 *Feudum ex pacto & prouidentia sic denominatum, quia talis prouidentia concurrat cum prouidentia legis feudalis, secundùm quam sic vocantur liberi masculi primi recipientis, vt domino concedenti succedant, non autem feudi possessori.*

20 *Dispositio, seu ordinatio facta à possessore feudi ex pacto & prouidentia non valet.*

21 *In feudo hæreditario dominus concedens non sibi prouidet, sed recipienti, & ius & causam ab eo habentibus, à quibus qui succedunt, feudum obtinent, non autem à domino, cui non succedunt, vnde valet dispositio facta per possessorem talis feudi.*

22 In feudo hæreditario creando requiritur pactum omnino contrarium prouidentia iuris feudalis, tantum abest vt cùm concurrat, & sic non mirum, si hoc dicatur feudum hæreditarium, illud verò ex pacto & prouidentia.

1. SEcunda verò diuisio à causa formali hæc est, † vt aliud feudum dicatur ex pacto & prouidentia, aliud verò hæreditarium. Addunt plerique tertiam, videlicet mixtum, & eam diuisionem plerique contendunt inductam fuisse ex ipsis text. feudalibus, cùm in ipsis mentio fiat de hærede vasalli recipientis, seu domini concedentis, præsertim *in cap. 2. qui successores teneantur, & c. 1. de success. feud.* cum
2. similib. Sed non aduertunt dum † in libris feudalibus de hærede fit mentio, id referri tantùm ad hæredem sanguinis, id est, masculos per virilem sexum descendentes à primo inuestito. *cap. 1. §. cùm verò, de his qui feud. dar. poss. cap. 1. §. & si clientulus, de alienat. feud. cap. 1. §. similiter, ver-*
3. *sic. profectò, de lege Corrad.* & passim vbique. Et sic † accipi debere verbum *hæres* simpliciter in inuestitura positum, à quibusdam rectè infertur, ex *cap. 1. de eo qui sibi, vel hæred.*
4. habita ratione † subiectæ materiæ, quæ verborum significationem solet impropriare. *l. si vno. ff. locat.* Vnde consti-
5. tuendum est † hanc diuisionem non textualem, sed magistralem esse, à Pileo nimirum, & Bulgaro antiquis Glossatoribus introductam, has denominationes faciendo per terminos artis magistrales, facilioris doctrinæ gratia, vt plerumque vsuuenire solet; quæ tamen distinctio effectu inspecto textuum feudalium authoritate corroboretur, dum in illis sæpe mentio fit de diuerso successorum genere in feudis. Videndum est itaque, quo tempore hæc feudorum diuisio processerit, & quænam sit ratio, cur sic denomi-
6. nentur hæ feudorum species. Et † sex potissimum tempora circa alterationem feudorum qualitatis considerantur.
7. Primum dum feuda † ad nutum concedentis reuocabantur. *cap. 1. §. & quia, vers. antiquissimis, de his qui feud. dar. poss.* quale est hodie feudum quod precarij nomine conceditur, iuxta naturam precarij *tot. tit. ff. de precar.* Secundo tempo-
8. re † durabant ad annum. *d. §. & quia. vers. postea verò*, quale

est.

est hodie feudum guardiæ. Tertio tempore † ad vitam recipientis durabant. *d. §. & quia, verſ. deinde ſtatutum eſt*, quale est feudum habitationis. Quarto tempore, † vt ad vnum ex filiis, quem dominus eligeret, eo mortuo perueniret. *d. §. & quia, verſ. ſed cum hoc iure.* Quinto tempore, † vt ad omnes filios æqualiter, quod ex lege Corradi prorogatum fuit, ad nepotes ex filio, & fratres in feudo paterno. *d. verſ. ſed cum hoc iure, in fin. & §. cùm verò.* Sexto & postremo, † vt ad omnes descendentes masculos per lineam masculinam à primo recipiente extenderetur feudi successio. *d. cap. 1. §. hoc quoque ſciendum.* Et ab istis duobus † postremis temporibus induci potuit diuersus succededi modus in feudo inter plures successores ad id vocatos, & ex ea diuersitate diuersæ feudorum species, quibus hæc diuisio constat; prioribus verò † temporibus, cùm successio in feudis non daretur, nec etiam diuersitas successionis esse potuit, nec propterea hæ diuersæ feudorum species constitui.

9.
10.
11.
12.
13.
14.

Cur autem vnum denominetur ex pacto & prouidentia, alterum verò hæreditarium, hæc ratio à nostris frequentiùs affertur, quòd pro † illo in esse deducendo nedum pactum vtriusque, concedentis scilicet, & recipientis feudum, interponatur. Sed etiam prouidentia dantis interueniat; quæ duo † pariter considerantur in creatione feudi hæreditarij, quod non deducitur in esse sine pacto vtriusque, & prouidentia dantis, qui prouidere voluit quibuscumque hæredibus, & successoribus primi recipientis. Sed dicendum erit illud propterea sic denominari, † quia vltra pactum concurrat prouidentia dantis, qui prouidendo descendentibus primi recipientis sibi quoque prospexit, dum ius & causam ab ipso concedente ordine successiuo vnus post alium ex propria persona sint habituri in ipso feudo, ita † vt à concedente feudum quisque recipere suo tempore censeatur, non ab vltimo feudi possessore, seu primo recipiente. Et prætereà † quia talis prouidentia concurrat cum prouidentia legis feudalis, secundùm quam sic vocantur liberi masculi primi recipientis, vt domino concedenti succedant, non autem feudi possessori. *d. §. hoc quoque ſciendum,*

15.
16.
17.
18.
19.

dum, *& d.cap.1.de eo qui ſibi,& hared.ſuis*, *& cap.1.de natur.*
20. *ſucceſſ.feud.* Vnde † non valet diſpoſitio, ſeu ordinatio à poſſeſſore facta. *cap.1.in fin.princ.de ſucceſſ.feud.* Quæ duo
21. † ceſſant in feudo hæreditario, quia dominus non ſibi prouidet, ſed recipienti, & ius & cauſam ab eo habentibus, à quibus qui ſuccedunt, feudum obtinent, nec domino con-
22. cedenti ſuccedere dicuntur. Et in hoc feudo † creando neceſſario deſideratur pactum omnino contrarium prouidentiæ iuris feudalis, tantum abeſt, vt cum eo concurrat, vnde non mirum ſi illud dicatur feudum ex pacto & prouidentia, hoc verò hæreditarium.

---

§. II.

SVMMARIVM.

1 *Feudum ex pacto & prouidentia ſic deſcribitur, vt illud ſit, in quo ſucceditur immediatè domino concedenti per omnes in inueſtitura comprehenſos, gradatim tamen & ordine ſucceſſiuo, non autem primo recipienti, ſeu poſterioribus eiuſdem feudi poſſeſſoribus, à quibus gradus accipitur, non ſuccedendi ius.*

2 *Per conceſſionem feudi ex pacto, & prouidentia, quot ſunt perſonæ in inueſtitura vocatæ, tot ſunt conceſſiones à domino factæ.*

3 *Donatio pluribus ſucceſſiuè facta, puta per viam ſubſtitutionis, parit actionem cuilibet in dicta donatione comprehenſo ex proprio capite, quæ naſcitur immediatè ab ipſo donatore.*

4 *Conceſſio feudi ex pacto & prouidentia cenſetur cuilibet in inueſtitura comprehenſo per dominum facta fuiſſe vſque ad tempus, & poſt tempus, ſeu ab aliquo demum tempore.*

5 *Feudum ex pacto & prouidentia cenſetur conceſſum primo recipienti, vſque ad tempus nimirum eius mortis.*

6 *Primo recipiente mortuo, ius dicti feudi ex pacto & prouidentia penitus extinguitur.*

7 *A tempore mortis primi conceſſionarij conceſſio dicti feudi ſuum effectum producere incipit in perſona proximè ſequenti in gradu*

gradu primum concessionarium vitâ functum duratura tantùm ad tempus vsque mortis istius personæ secundo loco vocatæ, & sic deinceps.

8 *Fructuarij ius eius morte in totum extinguitur.*

9 *Qui succedit in feudo, ex pacto & prouidentia, non dicitur subintrare locum præcedentis in gradu, sed proprium tenere locum.*

10 *Mortuo primo concessionario, seu alio vlteriore dicti feudi possessore iuris interpretatione feudum censetur reuerti ad dominum concedentem, & per eum iterum concedi sequenti in gradu.*

11 *Actus reuersionis occultatur gratia coniungendorum actuum, & solus actus restitutionis ab vltimo possessore in eum, qui gradu proximus est, in euidentiam deducitur.*

12 *Descendentes masculi per lineam masculinam à primo recipiente vocantur hæredes sanguinis, quod sanguinem ab ascendente accipiant, & quodammodo iure hæreditario transmissum habeant.*

13 *Successores in feudo ex pacto & prouidentia, nimirum hæredes sanguinis per lineam masculinam descendentes, dicuntur istud feudum tenere à genere, id est, à primo recipiente, seu acquisitore, cuius occasione dominus etiam ipsis concessionem fecit.*

14 *Successores in feudo ex pacto & prouidentia rei veritate inspectâ, ius & causam habent à domino concedente.*

15 *Feudum ex pacto & prouidentia æquiparatur fideicommisso agnatitio & familiari, quod de vno in alium quandiu durat agnatio, peruenire debet.*

16 *Feudum ex pacto & prouidentia sub conditione restituendum venit ei, qui proximior in gradu reperietur vltimo possessori tempore eius mortis.*

17 *Morte vltimi possessoris dicti feudi adueniente non videtur fuisse illius, qui per mortem possidere desiit.*

18 *Possessor feudi ex pacto & prouidentia illud alienans de consensu domini, valet alienatio duntaxat eius vita durante, sed eo mortuo statim euacuatur.*

19 *Resoluto iure datoris resoluitur ius acceptoris.*

Feudum

1. FEudum itaque † ex pacto & prouidentia dicitur illud, in quo ſucceditur immediatè domino concedenti per omnes in inueſtitura comprehenſos; gradatim tamen, & ordine ſucceſſiuo, non autem primo recipienti, ſeu poſterioribus feudum tenentibus, à quibus gradum accipimus non ſuccedendi ius. Dixi, *in quo ſucceditur immediatè domino,*
2. quia † per conceſſionem dicti feudi quot ſunt perſonæ ex inueſtitura vocatæ, tot ſunt conceſſiones à domino factæ,
3. arg. text. *in l.3. C. de donat. quæ ſub mod.* vbi cuilibet † ad bona donata ſucceſſiuè pro illis conſequendis competit actio ex proprio capite deſcendens immediatè ab ipſo donatore.
4. Vnde † conceſſio talis feudi rectè cenſetur per dominum vnicuique facta fuiſſe vſque ad tempus, & poſt tempus, ſeu
5. ab aliquo demum tempore; primo namque † recipienti fit conceſſio vſque ad tempus, nimirum eius mortis, eo enim
6. mortuo, † ius feudi quod illi quæſitum fuerat, penitus extin-
7. guitur. Et ab eo tempore, † ſeu poſt tempus eius mortis, conceſſio ſuum effectum producere incipit in perſona proximè ſequenti in gradu ipſum primum conceſſionarium vitâ functum, duratura tantùm ad tempus vſque mortis iſtius perſonæ ſecundo loco vocatæ, & ſic deinceps exēplo
8. fructuarij, † quo mortuo ius morte eius in totū extinguitur.
9. *l. vxor patrui. C. de legat.* Quod adeò † verum, vt qui ſuccedit in hoc feudo, non dicatur ſubintrare locum præcedentis in gradu, ſed proprium tenere locum. Mortuo namque
10. † conceſſionario, ſeu alio vlteriore feudi poſſeſſore, iuris interpretatione feudum cenſetur reuerti ad dominum concedentem, & per eum iterum dari ſequenti in gradu, in quo
11. actus ille reuerſionis † occultatur gratiâ coniungendorum actuum, argum. text. *in l. ſingularia, ff. ſi cert. pet.* & ſolus actus reſtitutionis ab vltimo poſſeſſore in eum, qui gradus pro-
12. ximus eſt, in euidentiam deducitur, & quia † iſtud feudum à domino conceditur recipienti, & illius occaſione maſculis ab eo per lineam maſculinam deſcendentibus, qui hæredes ſanguinis appellantur, ex notat. *in c. 1. de natura ſucceſſ. feud & in cap. 1. de eo qui ſibi, & hæred. ſuis.* quòd ſanguinem ab aſcendente accipiant, & quodammodo iure hære-
13. ditario tranſmiſſum habeant, non mirum † ſi ea ratione dicantur

dicantur descendentes istud feudum tenere à genere, id est, à primo recipiente, seu acquisitore, cuius occasione dominus etiam ipsis concessionem fecit, arg. *l. 3. ff. de interd. & releg.* licèt † in rei veritate ab ipso domino ius & causam 14.
habeant. Item æquiparatur † istud feudum fideicommisso 15.
agnatitio, & familiari, quod de vno in alterum quamdiu [illegible] agnatio, & sic de gradu in gradum peruenire debet, ex notat. *in l. cum ita. [illegible] fideicommisso. ff. de legat. 2.* Feudum namque † istud ex pacto & prouidentia [illegible]
ne restituendum venit ei, qui proximior in gradu reperie- 16.
tur vltimo possessori tempore eius mortis, qua eueniente † non videtur fuisse illius, qui priùs habebat. Vnde † si 17.18.
possessor alienauerit de consensu domini, valebit quidem alienatio eius vita durante, arg. *l. Statius Florus. §. Cornelio Felici. ff. de iur. fisc. & l. cùm pater. §. hæreditatem. ff. de legat. 2.* sed eo mortuo statim euacuabitur talis alienatio, arg. *l. 3. §. sub conditione. C. comm. de legat.* resoluto enim iure † dato- 19.
ris, resoluitur ius acceptoris. *l. lex de vectigali. ff. de pignor.*

---

§. III.

SVMMARIVM.

1 *Formulæ sub quibus concipitur concessio feudi ex pacto & prouidentia, vtplurimum fieri consueuerunt dum alicui conceditur pro se & filiis, vel pro se & descendentibus, item si pro se & filiis & descendentibus.*

2 *Feudum concessum pro se, & liberis, & successoribus quibuscunque masculis, dicitur feudum ex pacto & prouidentia.*

3 *Idem obtinet si pro se eiusque familia sine posteris concedatur.*

4 *Idem erit, si alicui & proli suæ concedatur.*

5 *Idem si alicui & generi suo, vel alicui, & in omnem eius generationem cum similibus quæ congeruntur à Pinello & Menochio.*

FOrmulæ verò, † sub quibus concipitur feudum ex pacto 1.
& prouidentia, vtplurimum hæc sunt, nimirum si con-

cedatur alicui pro se & filiis, *cap.1.§.& quia de his qui feud. dar. poss.* vel pro se & liberis, vt notat Gail. *lib.2.obser.*154. *num.*1. per text. *in l. liberorum ff. de verb. signif.* Item si pro se & descendentibus. *c.1.§. hoc quoque sciendum, de his qui feud. dar. poss.* Item si pro se & filiis & descendentibus. *§. de na-*
2. *tur. success. feud.* Item † si pro se & liberis, & successoribus quibuscunque masculis, ex Dec. *cons.*411.*num.* [illegible] di-
cendum, † si pro se [illegible], siue posteris, ex Alex.
3. [illegible].*num.*14.*vol.*1. per text. *in l. familiae* 195. *§. communi.*
4. *ff. de verb. signific.* Eodem modo † si alicui, & proli suae, ex
5. Menoch. *cons.*61.*num.*15. vel alicui † & generi suo, per text. *in d. l.3. ff. de interd. & relegat.* vel alicui, & in omnem eius generationem, cum similibus, quae congeruntur à Pinell. *in l.1. part.3. num.*90. *C. de bon. matern.* & Menoch. *d. cons.*61. *à num.*14.

---

§. IV.

SVMMARIVM.

1 *Feudum simpliciter haereditarium dicitur illud, in quo haereditario iure succeditur vltimo feudi possessori, non ex prouidentia iuris feudalis, sed ex dispositione iuris communis Romanorum.*

2 *Ad feudum haereditarium admittitur nedum haeres legitimus & immediatus, verùm etiam extraneus, si à feudi possessore fuerit haeres institutus, & nedum haeres primus, verùm etiam haeres haeredis.*

3 *Feudi haereditarij possessor liberè potest de eo disponere, & alienare in quem voluerit, praesertim in vltima voluntate.*

4 *Haeres institutus qui succedit in vniuersum ius quod defunctus habuit tempore mortis, ex eo succedit in hoc feudo haereditario, quia tale feudum sit res haereditaria, & contineatur in haereditate.*

5 *Haeres, quicumque ille sit, siue testamentarius, siue legitimus, siue praetorius aliàs bonorum possessor, per consequens admittitur ad dicti feudi haereditarij successionem.*

6 Legata

6 *Legatarius licèt sit successor singularis, habetur tamen instar hæredis, & propterea in feudo hæreditario sibi legato succedit.*

7 *Præmissa restringuntur vt fæmina ad feudi hæreditarij successionem admitti non possint, nisi quatenus sint de agnatione primi recipientis.*

8 *Feudi hæreditarij concessio censetur fuisse facta, si concessum sit alicui pro se, & quibus dederit, vel pro se & hæredibus quibuscunque, multo magis si pro se, hæredibus & successoribus quibuscunque, in qua verborum geminatione vnum accipitur pro hærede de iure ciuili, alterum refertur ad successores de iure prætorio, & ob dictionem vniuersalem includuntur etiam successores particulares.*

9 *Idem iuris erit si dictio* extraneis *fuerit adiecta in dicta concessione.*

10 *Verbum* hæres, *aut* successor, *in regno Siciliæ accipitur pro quocumque successore, in quo propterea concessio facta pro se & hæredibus, aut successoribus, idem operabitur, ac si concessio facta fuisset sub dicta geminatione verborum apposita dictione vniuersali.*

11 *Idem dicendum si consuetudo eam interpretationem induxerit, vt in Gallia.*

FEudum autem simpliciter † & absolutè hæreditarium dicitur, in quo succeditur iure hæreditario vltimo possessori, non ex prouidentia iuris feudalis, sed ex dispositione iuris communis Romanorum; ideoque nedum legitimus hæres, † verùm etiam extraneus, si à feudi possessore fuerit institutus, admittetur ad feudi successionem, & nedum hæres proximus, & immediatus, verùm etiam hæres hæredis in eo sucedet. *l. sciendum. ff. de verb. signific. & l. in annalibus. C. de legat.* Libera namque † tale feudum possidente, est facultas de eo pro libito disponendi, & alienandi, præsertim ex vltima voluntate, in quem voluerit, & ex eo hæres † institutus succedit in feudo quod successerit in vniuersum ius, quod defunctus habuit mortis tempore. *l. hæreditas. ff. de regul. iuris. l. nil aliud. ff. de verb. signific.* quia feudum hoc casu sit res hæreditaria, & in hæreditate con-

M 2 tineatur.

5. tineatur. Et ideo hæres, † quicunque ille sit, siue testamentarius, siue legitimus, siue prætorius, qui dicitur bonorum possessor. *l.* 1. *ff. de bonor. possess.* admittitur, ex Bald. *in l.* 1.
6. *q.* 14. *ff. de rer. diuis.* Imò etiam legatarius, † qui licèt sit successor singularis, instar tamen hæredis habetur. *l. id tempus.*
7. §. 1. *ff. de vsucap.* quod tamen † plerique restringunt, vt fœminæ admitti non possint, etiam eo casu, nisi quatenus sint de agnatione primi recipientis, ex latè traditis per Bec. *cons.* 28. *n.* 13. *& seqq.*

Formulæ autem, sub quibus concipitur inuestitura feudi
8. hæreditarij, hæ sunt potissimum, veluti † si pro se & quibus dederit. *cap.* 1. *de feud. non habente propr. feudi natur.* vel si pro se, & hæredibus quibuscunque, ex Bald. *in d. l.* 1. *q.* 14. & nouissimè per Grass. *in* §. *fideicommissum q.* 50. *num.* 2. multo magis si pro se, hæredibus, & successoribus quibuscunque, ob verba geminata, quorum vnum hæredem de iure ciuili, alterum de iure prætorio, & dictionem vniuersalem, quæ successores etiam particulares includat, ex Bertrand. *cons.* 129. *à num.* 1. *vsque ad num.* 18. *vol.* 8. vbi de com-
9. muni testatur. Idem iuris erit † si dictio *extraneis* præterea
10. adiiciatur, vel si † verbum *hæres*, aut *successor*, vt in Regno Siciliæ accipiatur pro quocunque successore, tunc sine dictione vniuersali, & geminatione, id operabitur verbum *hæres*, aut *successor*, simpliciter positum. Et idem dicendum
11. † si consuetudo eam impetrationem induxerit, vt in Gallia.

---

§. V.

SVMMARIVM.

1 *Feudum esse ex pacto & prouidentia, hæreditarium, vel mixtum, elicitur ex mente contrahentium, quæ verbis inuestituræ demonstratur.*

2 *Feudum absolutè hæreditarium constituitur, si ea mens contrahentium verbis inuestituræ fuisse deprehendatur.*

3 *Feudum mixtum constituitur si eius intentionis contrahentes fuisse*

fuisse verba inuestiturae probent.

4 *Feudi ex pacto & prouidentia, tres sunt potissimum termini, prouidentia domini legis feudalis, & occasio recipientis.*

5 *Dominus concedens feudum ex pacto & prouidentia, feudum dat primo recipienti, & illius occasione, seu contemplatione eius posteris.*

6 *Gradus computatur à persona vltimi possessoris ipsius feudi.*

7 *Quandiu supersunt agnati ex linea à qua processit vltimus possessor, caeteri alterius lineae, licèt ab eodem stipite, puta primo acquisitore, descendant excluduntur.*

8 *Qui gradu proximior est vltimo morienti, is praefertur, & admittitur.*

HÆc autem omnia reducuntur ad duas regulas generales, vt nimirum † primò constituatur feudum esse ex 1. pacto & prouidentia, si talis fuisse mens contrahentium verbis inuestiturae demonstretur, quales sunt illae priores formulae, quibus feudum hoc constitui diximus, vnde his similes non excluduntur. Secundò, † vt feudum absolutè 2. haereditarium constituatur, si mens contrahentium verbis inuestiturae ea fuisse deprehendatur, quemadmodum ex his posterioribus formulis, & his similibus deprehenditur. Tertia, quoque † poterit addi regula, vt mixtum feudum 3. existat, si eius intentionis contrahentes fuisse verba inuestiturae probent.

Ad hoc autem vt feudum mixtum faciliùs cognosci possit, sciendum est † in feudo ex pacto & prouidentia tres po- 4. tissimum terminos considerari, prouidentiam scilicet, quae ad personam domini feudum concedentis, & prouidentiam legis feudalis, quae simul concurrunt, vt suprà edoctum fuit, refertur occasionem quae personam primi acquisitoris feudum recipientis respicit, quia † dominus 5. superior illi feudum concesserit, & illius occasione, seu contemplatione eius posteris, ex notat. *in l. quod dicitur. ff. de verbor. obligat.* Et gradum † quem computamus & acci- 6. pimus à persona vltimi feudi possessoris. *cap. 1. in fin. de natur. success. feudi.* vbi † quandiu supersunt agnati, ex linea, 7. è qua processit vltimus possessor, caeteri alterius lineae, li-

cèt ab eodem ſtipite, puta primo acquiſitore, deſcendant,
8. excluduntur, & qui † gradu proximior eſt vltimo morienti, is præfertur & admittitur, iuxta notat. in ſimili *in l. cùm ita. §. in fideicommiſſo ff. de legat. 2.*

§. VI.

SVMMARIVM.

1 *Feudum ex pacto & prouidentia habet annexam qualitatem hæreditariam quatuor potiſſimum in caſibus.*

2 *Filius dum vocatur ad feudum antiquum ex prouidentia dantis, ſi à patre vltimo poſſeſſore fuerit ſcriptus hæres, non poteſt retento feudo in quo ſuccedit iure ſanguinis, hæreditatem paternam repudiare, ſed pro honore patris tenebitur, ſi velit feudum habere, illius hæreditatem adire.*

3 *Honor defuncti notatur qui ſine hærede decedit.*

4 *Filij familias olim inſpecto iure ciuili erant ſui & neceſſarij hæredes patri, licèt de iure prætorio beneficium abſtinendi eis conceſſum ſit.*

5 *Hæreditaria qualitas non transfunditur in feudi ſubſtantiam, ſed feudo tantùm adhæret per accidens, ita vt ab eo abeſſe poßit citra eius corruptionem.*

6 *Feudum ex pacto & prouidentia non eſt de hæreditate, ſed extra eam, & ideo filius patris hæreditatem adeundo hæres quidem ei efficitur quoad bona allodialia, non autem quoad feudum.*

7 *Filius qui hæreditatem adit cum beneficio legis & inuentarij, feudum alio iure, quàm hæreditario ſibi obuentum præcipuum retinebit, & ad onera hæreditaria tenebitur tantùm pro modo bonorum allodialium quæ iure hæreditario habuerit.*

8 *Agnatus qui poſt agnatum poſſeſſorem vocatur ad feudum ex prouidentia legis, non tenetur hæreditatem agnati ſibi delatam adire, ſed retento feudo eam repudiare poteſt.*

9 *Agnatus non ita adſtringitur ad ſeruandum honorem agnati vltimi poſſeſſoris, prout filius patris honorem illæſum ſeruare tenetur.*

His

HIs præmissis quatuor † potissimum casus considerantur, in quibus feuda ex pacto & prouidentia habent annexam qualitatem hæreditariam. Primus est *in cap. I. an cognatus, vel filius*, &c. dum † scilicet filius vocatur ad feudum antiquum ex prouidentia dantis, tunc si à patre vltimo feudi possessore hæres fuerit, puta scriptus, non potest retento feudo, in quo succedit iure sanguinis, repudiare hæreditatem paternam sibi delatam, sed pro honore patris tenebitur adire: notatur † namque honor illius, qui sine hærede decedit. §. I. *Instit. quib. ex caus. manu. non licet.* vnde olim iure † ciuili filiifam. erant sui & necessarij hæredes patri. §. *sui autem*, *Instit. de hared. qualit. & differ.* licèt de iure prætorio abstinendi beneficium eis concessum fuerit. Sed hæc † qualitas hæreditaria non transfunditur in substantiam feudi, sed tantummodo per accidens feudo adhæret, ita vt ab eo abesse possit citra illius corruptionem. Feudum † namque non est de hæreditate, sed extra hæreditatem, arg. *l. pro harede. §. si quid tamen. ff. de adquir. vel amitt. haredit.* & ideo filius hæres quidem efficitur quoad bona allodialia, non autem quoad feudum, vnde si † hæreditatem adiuerit cum beneficio legis & inuentarij, iuxta text. *in l. fin. C. de iur. deliber.* feudum alio iure quàm hæreditario sibi obuentum præcipuum retinebit, & ad onera hæreditaria tenebitur pro modo duntaxat bonorum allodialium, quæ iure hæreditario habuerit, & agnatus qui † post agnatum possessorem ad feudum vocatur ex prouidentia legis, non tenetur illius hæreditatem sibi delatam adire, sed retento feudo eam repudiare potest. *d. cap. I. §. I. an cognat. vel fil.* quia † non ita sit adstrictus ad eius honorem, prout filius patris honorem illæsum seruare tenetur.

1\.
2\.
3\.
4\.
5\.
6\.
7\.
8\.
9\.

---

§. VII.

SVMMARIVM.

1 *Feudi noui primus acquisitor potest de dicto feudo disponere, etiam in praiudicium suorum descendentium, qui vocantur ad*

ad feudum, per dominum concedentem illius occasione, & contemplatione.

2 *Pater arrogator potest disponere de bonis filio arrogato quæsitis ipsius contemplatione, non de aliis aliunde obuentis & quæsitis.*

3 *Qui legem dicit, potest eam reuocare.*

4 *Feudi ex pacto cum domino concedente inito acquisitor, & sic feudum ex pacto & prouidentia in esse deducens, potest illam qualitatem cum assensu domini mutare.*

5 *Ordinatio per primum acquirentem facta de feudo ex pacto & prouidentia, perinde valet, ac si esset de feudo hæreditario.*

6 *Feudum nouum licèt in rei veritate sit ex pacto & prouidentia, respectu tamen primi acquisitoris habetur instar hæreditarij.*

7 *In feudo nouo non succedit nisi qui primo recipienti hæres extiterit, & cum sanguine qualitatem hæreditariam habet annexam, ita vt contra factum primi acquisitoris venire non possit.*

8 *Successor immediatus primi acquisitoris in feudo nouo, prout & omnes alij sequentes in gradu in infinitum, dicuntur semper primo recipienti, non vltimo possessori hæredes existere.*

9 *In feudo paterno, seu antiquo qui succedit, non tenetur factum vltimi possessoris, qui de eo disponere non potuit, ratum habere, nec sibi in aliquo præiudicat.*

10 *Successor in feudo paterno, seu antiquo immediatè succedit domino ex propria persona.*

11 *Successor in feudo paterno, seu antiquo primi recipientis hæres dicitur, cuius occasione à domino comprehensus fuit in prima inuestitura.*

12 *Successor in feudo paterno, seu antiquo, non dicitur hæres vltimi possessoris, cuius locum etiam ratione feudi non subintrat.*

13 *Patri permissum est proprios libertos vni filiorum assignare, quamuis paternos libertos assignare non possit.*

14 *Operæ debentur per libertum patris filio, si hæres sit secus si agatur de liberto aui, sufficit namque si auo hæres sit, licèt patri non existat, dummodo à patre non sit exhæredatus.*

Secundus

SEcundus casus † consideratur in feudo nouo, quod suprà descripsimus esse illud, in quo quis à seipso tantũ, & domino concedente, non autẽ ab alio, ius habet; postquam enim eius descendentes vocantur ad successionem feudi per dominum concedentem occasione & contemplatione ipsius primi acquisitoris, rectè infertur, eum posse de dicto feudo disponere, etiam in præiudicium dictorum descendentium instar patris † arrogatoris, qui disponit de bonis filio arrogato quæsitis, arrogatoris contemplatione. *l. sed si plures. §. in arrogato. ff. de vulg. & pupil.* non autem de aliis aliunde obuentis, seu quæsitis; quia qui † legem dixit, potest eam reuocare, arg. *l. fin. C. si mancip. ita fuer. alienatum.* Sed sic recipiens † cum domino concedente feudum ex pacto, & prouidentia in esse deduxit. Ergo hanc qualitatem mutare poterit cum domini assensu, & ordinatio † per eum de dicto feudo facta perinde valebit, ac si hæreditarium fuisset: vnde † infertur hoc feudum quandiu nouum est, licèt re vera sit ex pacto, & prouidentia, tamen respectu primi recipientis instar hæreditarij habetur, ita vt in eo non succedat, nisi qui ei hæres fuerit, & cum sanguine qualitatem hæreditariam annexam habeat, ita † vt contra factum primi acquisitoris venire non possit. *l. cùm à matre. C. de rei vendicat.* quod locum † habet nedum quoad primum & immediatum successorem, sed quoad omnes alios sequentes in gradu in infinitum, qui semper primo recipienti, licèt non vltimo possessori, hæredes ratione feudi existere dicuntur, quod secus est † in feudo paterno, seu antiquo, de quo per possessorem dispositio facta non valet. *cap. 1. in princ. de success. feud.* nec illius factum successori præiudicat, quippe qui domino, † vt præmissum est, immediatè succedat ex propria persona, ideo non mirum, † si primo recipienti dicatur hæres esse, cuius occasione à domino vocatus fuit. Vltimò licèt † possessori hæres non sit, cuius locum etiam ratione feudi non subintrat, qua ratione videmus patri † permissum esse proprios libertos vni filiorum assignare. *l. 1. §. 1. ff. de assignat. libert.* quod secus est in paternis. *l. liberti. ff. eod.* quæ distinctio confirmatur ex *l. 3. ff. de interd. & relegat.* iuncta *l. 4. ff de iur. patron.*

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

14. *patron.* Prout videmus † operas deberi per libertum patris filio, si hæres sit. *l.cùm patronus.* §. 1. *ff. de oper.libert.* quæ tamen qualitas non desideratur si agatur de liberto aui: sufficit enim quòd auo hæres sit, licèt patri non existat. *l.si operarum. ff.eod.* dummodo ab eo non sit exhæredatus.

---

§. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Verbum* hæres *in materia feudi non transitoria ad extraneos pro filio, seu descendente masculo accipitur.*

2 *Feudum mixtum esse conuincitur, dum conceditur alicui pro se suisque hæredibus ex communi opinione, à qua in consulendo & iudicando non sit recedendum.*

3 *Feudi mixti formulæ sunt, si concedatur pro liberis & hæredibus, pro se & hæredibus masculis, vel vtriusque sexus, vel pro se & hæredibus ex suo corpore legitimè descendentibus, & aliis his similibus.*

4 *Verbum in dispositione positum non debet esse otiosum, sed vt aliquid operetur in illa formula concepta pro liberis & hæredibus, necessariò mixtura inducitur.*

5 *Mixtura quæ procedit à verbis inuestituræ, non à lege feudali, sed ab homine, scilicet domino, sub similibus formulis inuestituram concipiente proficiscitur.*

6 *Ad feudum mixtum soli descendentes per virilem sexum à primo recipiente admittuntur, nisi de fœminis nominatim dictum sit; extranei verò repelluntur.*

7 *In feudo mixto hæreditaria qualitas concurrit cum qualitate sanguinis, & qui feudum obtinere vult, tenetur hæreditatem non solùm primi acquisitoris, sed etiam vltimi possessoris adire; si tamen sibi vel ab intestato, vel ex testamento delata sit.*

8 *Quod non solùm obtinet si agatur de filio vltimi possessoris; verùm etiam si de agnato, qui in dicto feudo succedere debet.*

9 *In feudo mixto quilibet in eo succedens vltimo possessori, eum debet*

debet honorem, quem filius patri, nimirum vt illius hæreditatem adire teneatur, alioquin eam repudiando feudum non habebit.

10 *Proximior in gradu admittitur ad feudi mixti successionem ex prouidentia iuris feudalis, & feudorum iure successorio, etiamsi ab vltimo possessore non fuerit hæres institutus, sed remotiorem agnatum, siue omnino extraneum hæredem sibi fecerit.*

11 *Dum non stat per successorem in feudo mixto quominus hæres sit vltimi possessoris, sufficit eum hæredem esse primi recipientis in dicto feudo saltem mediatè, id est, media persona suorum antecessorum.*

12 *Sufficit etiam quòd successurus in feudo mixto sit hæres tantùm particularis vltimi possessoris, puta in legitima, vel in re certa, vel in quota.*

13 *Successor in feudo mixto, qui ab vltimo possessore non instituitur hæres, per eum legatis & fideicommissis grauari non potest.*

14 *Successor in feudo mixto hæres institutus ab vltimo possessore non succedit in feudo iure hæreditario, sed iure feudorum successorio, illudque consequitur tanquam rem extra hæreditatem positam.*

15 *Feudum mixtum iure successionis feudalis apprehendens, cui qualitas hæreditaria extrinsecus & accidentaliter inhæret, ex eo non dicitur se immiscere oneribus hæreditariis.*

16 *Successor in feudo mixto hæres institutus ab vltimo possessore grauari per eum non poterit ratione feudi, sed ratione tantùm bonorum patrimonialium, in quibus hæreditas consistit, nec vltra vires hæreditarias tenebitur, si cum beneficio legis & inuentarij eam adiuerit, dictumque feudum sibi præcipuum retinebit, ex communi Doctorum opinione.*

17 *Feudi mixti possessor non potest diminuere, nec alienare feudum in præiudicium successoris, qui alienata reuocabit, licèt ab eo fuerit hæres institutus.*

18 *Defunctus non potest hæredi instituto quoad ea in quibus necessariò ei succedere debet, præiudicare, qui nihilominus poterit ipsius defuncti pactum circa eam rem impugnare.*

19 *Successor in feudo mixto, licèt tanquam hæres vltimi possesso-*

ris de euictione teneatur, non propterea minus feudum alienatum reuocabit, & eatenus de euictione tenebitur, quatenus extendentur vires hæreditariæ, & non vltrà.

TErtius casus est dum ex tenore inuestituræ id inducitur, puta quia conceditur alicui pro se suisque hæredibus, tunc enim licèt plerique velint esse simpliciter ex
1. pacto & prouidentia, quòd verbum *hæres* † in hac materiâ ad extraneos non transitoria pro filio, seu descendente masculo accipiatur. *c.1. §.& si clientulus. ff. de alienat. feud. lib.1.& cap.1.§.similiter.vers.profectò ille.de leg.Corrad.* Contrarium aliis sentientibus, nimirum esse simpliciter hæreditarium, præualuit tamen eorum opinio, qui distinguendo conciliarunt dictas contrarias opiniones, dum sci-
2. licet voluerunt † esse feudum mixtum quod de vtroque participet, ex Cacher. *decis.*161. Menoch. *cons.*104.*n.*15. *vol.*1.*& cons.*161.*n.*5.*vol.*2. & Cannet. *in cap.volentes. §.sed quid si fuerit additum,n.*39.*& seqq.* vbi communem firmat, à qua in consulendo, & iudicando non recedatur. quod etiam tenet Clar. *in §.feudum,q.*9.*num.*7. Idem multo magis
3. † dicendum, si pro liberis & hæredibus, ne verbum *hæredi-*
4. *bus* † otiosum maneat, quod etiam si pro liberis acciperetur, vt *in d. §.& si clientulus*, necessariò mixtura inducitur. Idem si pro se & hæredibus masculis, vel hæredibus vtriusque sexus, vel pro se & hæredibus ex suo corpore legitimè descendentibus, & aliàs si sub his & similibus
5. formulis concedatur. Mixtura autem in hoc tertio casu† inducitur non à lege feudali, vt in primo & secundo casu, sed ab homine, scilicet domino sub talibus formulis inuestituram concipiente: hæc autem mixtura sic consideratur,
6. quia † ad huius feudi successionem soli descendentes masculi per virilem sexum à primo recipiente, nisi de fœminis nominatim dictum sit, (*cap.*1.*de eo, qui sibi, & hæred.suis,*) ad-
7. mittuntur, extranei verò repellantur. Sed † præter sanguinis qualitatem concurrit etiam qualitas hæreditaria, quia si velint feudum habere, tenentur hæreditatem nedum primi acquisitoris adire, verùm etiam vltimi feudi possessoris, si tamen sibi vel ab intestato, vel ex testamen-

to.

to delata fuerit, & non solùm † si vltimus possessor pater 8.
fuerit successurus in feudo, vt *in c. 1. an cognat. vel filius*. Verùm etiam, si agnatus tantummodo. In hoc namque
† feudo mixto quilibet in eo succedens decessori, eum ho- 9.
norem debet exhibere, quem filius patri, vt videlicet illius hæreditatem adeat, alioquin si eam repudiet, feudum
non habebit. Et † si forsan vltimus possessor alium sibi hæ- 10.
redem instituat, quàm proximè sequentem in gradu ex prouidentia iuris feudalis, post illius mortem vocatum, siue remotiorem agnatum, siue omnino extraneum instituerit, non propterea minus proximior in gradu ad feudum possessore mortuo admittetur iure successorio feudorum; arg. text. notab. *in l. si quis. C. de incest. nupt.* quia per eum non stat quin pro hærede habeatur. *l. iure ciuili. ff. de condit. & demonstr.* Et eo † casu sufficit quòd hæres sit primi 11.
recipientis in dicto feudo saltẽ mediatè, id est, media persona suorum antecessorum. *l. fin. C. de hæred. instituen.* Et
quamuis † illi foret hæres tantùm particularis, puta in le- 12.
gitima. *§. aliud quoque capitulum. Auth. vt cùm de appellatione cognoscit.* vel in re certa. *l. 1. §. si ex fundo. ff. de hæred. instit.* vel in quota, *l. 2. ff. si pars hæred. petat.* non propterea minus ad totum feudum vocabitur ex prouidentia domini, & occasione, seu pacto primi recipientis. Et dum † hæres non 13.
instituitur ab vltimo possessore, per eum onerari non potest legatis, seu fideicommissis. arg. text. *in l. qui fundum. §. qui filios. vers. dicet aliquis. ff. ad leg. falc. & l. 2. ff. de legat. 3.*
Sin † verò hæres ab eo instituatur, quia non succedit in 14.
feudo iure hæreditario, sed iure successorio feudorum, quod consequitur tanquam rem extra hæreditatem positam, arg. *l. pro hærede. § si quid tamen. ff. de acquir. vel amitten. hæred.* nec ex eo dicitur † se immiscere oneribus hære- 15.
ditariis, maximè cùm qualitas hæreditaria sic feudo extrinsecus, & accidentaliter inhæreat, non essentialiter, non
poterit † grauari ratione feudi, sed ratione tantùm bono- 16.
rum patrimonialium, in quibus hæreditas consistit, ita vt vltra vires hæreditarias non teneatur si cum beneficio inuentarij eam adiuerit, ex *l. fin. §. & si præfatam. C. de iur. deliber.* dictúmque feudum sibi præcipuum retineat, ex notat.

per Clar. *dict.q.9.num.5* Cannet.*vbi suprà, d.num.39.& 40.* vbi communem testatur, à qua in iudicando & consulendo recedi non debeat, quod diffusè, & eleganter traditur à Phanuc. *de inuent.part.6.n.21. verf.vel item, vsque ad n.26.* & rationibus deinde confirmat *num. 27.& seqq.* Quo fit
17. † vt multo magis dicendum sit non teneri hunc successorem per vltimum possessorem gesta in eius vita ad diminutionem, seu alienationem feudi rata habere, quia sit prohibita feudorum alienatio, *tit. de prohib. feud. alienat. per Lothar.& tit.de prohib.feud.alienat.per Frideric.* Et quia in his,
18. † in quibus quis defuncto necessariò succedere debet, præsertim si in cæteris hæres necessariò existit, non potuit ei defunctus præiudicare. *dicta l. si quis.* Imò licèt ei hæres sit, poterit tamen eius factum circa eam rem impugnare, contra regulam *l. cùm à matre. C. de rei vendicat.* ex notab. doctrina Castren. *cons 448.num.3.vol.2.* vt in termi-
19. nis respondit Loffred. *cons.1. num.16.* Licèt enim † de euictione teneantur tanquam hæredes, non propterea minus rem alienatam reuocabunt, & eatenus de euictione tenebuntur, quatenus extendentur vires hæreditariæ, & non vltrà, si inuentarium fecerint.

---

§. IX.

SVMMARIVM.

1 *Feudum mixtum conuenit ferè in omnibus cum feudo ex pacto & prouidentia, quòd hæc qualitas tanquam potentior in eo præualeat.*

2 *Hæres in feudo mixto consideratur in triplici differentia.*

3 *In obtinente feudum iure sanguinis, siue illud sit feudum ex pacto & prouidentia, siue sit mixtum, quinque debent concurrere vt eo nomine admittatur, nimirum quòd sit de sanguine iusto.*

4 *Secundò quòd sit de sanguine habili.*

5 *Tertiò quòd sit de sanguine descendenti.*

6 *Quartò quòd sit de sanguine masculino.*

7 *Quintò*

7 *Quintò quòd ſit de ſanguine fideli.*

8 *Hæreditatis hæres eſt qui in hæreditate hæreditario iure ſuccedit, qualis eſt filius vaſalli, qui patris hæreditatem ſibi delatam adire tenetur.*

9 *Filius hæres patris ſuccedens in feudo quoad feudum, dicitur hæres ſanguinis, in reliquo patrimonio hæres hæreditatis.*

10 *Idem obtinet in quocunque ſiue filio, ſiue agnato hærede vltimi poſſeſſoris, dum de feudo mixto agitur.*

11 *Hæres feudi dicitur is, qui in feudo ſimpliciter & abſolutè hæreditario tanquam verus hæres ſuccedit, & feudum vti rem hæreditariam locum defuncti ſubintrans ſuſcipit inſtar reliqui patrimonij.*

12 *Feudum ſimpliciter hæreditarium venit in hæreditatis petitionem.*

13 *Feudum abſolutè ex pacto & prouidentia, vel mixtum, non venit in petitionem hæreditatis, ſed ſola feudi detentio, quam defunctus habuit.*

14 *Feudum ex pacto & prouidentia, vel mixtum, licèt non ſit hæreditarium, reperitur tamen in hæreditate tanquam piſcis in aqua.*

15 *Hæres ſcriptus, qui petit ſe immitti in poſſeſſionem hæreditatis beneficio legis finalis, vel interdicto,* Quorum bonorum, *etiam dicti feudi in hæreditate reperti aſſequetur poſſeſſionem.*

16 *Quod ita demum verum eſt, ſi feudum non detineatur eo tempore à vero poſſeſſore feudali, ſed ab alio qui titulo pro hærede, vel pro poſſeſſore poſſideat.*

SEquitur itaque ex præmiſſis, hoc feudum † in omnibus ferè conuenire cum feudo ex pacto & prouidentia, quòd hæc qualitas tanquam potentior in eo præualeat, arg. *l. quæritur. ff. de ſtat. hom.* Et ideò † hæres in triplici differentia conſideratur, alius namque dicitur hæres ſanguinis, qui iure ſanguinis tantùm admittitur ad ſucceſſionem feudi, ſiue ex pacto & prouidentia, ſiue mixti. Et quinque † concurrere debent, vt eo nomine admittatur, nimirum quòd ſit de ſanguine iuſto, nam illegitimi excluduntur. *cap. naturales, ſi de feud. defunct. content. ſit* Item † de ſanguine habili: inhabiles namque, puta muti, ſurdi, mente capti, & his

1. 2. 3. 4.

his similes, repelluntur. *c.1. an mutus, vel surdus.* Item de-
5. scendenti, † quia adoptiui non admittuntur. §. *adoptiui. d. tit. si de feudo defunct.* nec collaterales, *c. 1. de duob. fratrib.* ma-
6. sculino, † quòd fœminæ non sint feudorum capaces. *d.*
7. *cap. 1. an mutus.* Fideli, † quòd patre culpam committente, eius filij & descendentes repellantur. *cap. si vasallus culpam,*
8. *d. tit. si de feudo defunct.* Hæres hæreditatis † propriè dicitur ille, qui in hæreditate iure hæreditario succedit, defuncti personam repræsentando, qualis est filius vasalli, qui patris hæreditatem sibi delatam adire tenetur, in illa nam-
9. que † hæres hæreditatis in feudo dicitur hæres sanguinis. *c. 1.*
10. *an cognatus.* Idem in quocunque, † siue filio, siue agnato vl-
11. timi possessoris, si de feudo mixto agatur, hæres feudi † dicitur is, qui in feudo simpliciter & absolutè hæreditario tanquam verus hæres succedit, & feudum vti rem hæreditariam locum defuncti subintrans suscipit, nec diuerso iure in feudo quàm in reliquo patrimonio succedat. Dum
12. autem quæritur, † an feudum veniat in hæreditatis petitionem, siquidem agatur de simpliciter hæreditario, res dubitatione caret, cùm sit res hæreditaria, ex *l. item videndum. §. nunc videamus. ff. de petit. hæred. & l. regulariter, cum*
13. *l. seq. ff. de petit. hæred.* Sin verò † sit mixtum, vel absolutè ex pacto & prouidentia, tunc ius feudi non venit in petitionem hæreditatis; quia non sit hæreditarium, sed feudi detentio, quam defunctus habuit, venire poterit, arg. *l. & non tantùm. ff. eod. tit.* facit *l. cùm hæredes. ff. de acquir. possess.* Etsi
14. enim † non sit hæreditarium, reperitur tamen in hæreditate tanquam piscis in aqua, & ita accipienda *Gloss. fin. in d. §. nunc videamus,* communiter à nostris approbata. Et idcir-
15. co † si hæres scriptus petat se immitti in possessionem hæreditatis beneficio. *l. fin. C. de edict. D. Adrian. tollend.* vel interdicto *Quorum bonorum.* etiam feudi possessionem asse-
16. quetur, dummodo † eo tempore à successore ex prouidentia feudali detineatur, sed ab alio, qui tit. pro hærede, vel pro possessore possidet. *d. l. regulariter*; vel possessio sit vacua. *d. l. fin.* Secus si à vero successore feudali feudum possideretur,

§. 10.

§. X.

SVMMARIVM.

1 *Inuentarium prodest hæredi qui feudum consequitur simpliciter & absolutè hæreditarium in hæreditate comprehensum, vt non teneatur vltra vires hæreditarias.*

2 *Feudum simpliciter & absolutè hæreditarium adscribitur in computatione patrimonij pro metiendis iuribus dictæ hæreditatis.*

3 *Hæres cum beneficio inuentarij non potest feudum simpliciter hæreditarium de hæreditate deducere tanquam alio iure, quàm hæreditario sibi obuentum, sed tenetur onera hæreditaria supportare, etiam ad valorem vsque dicti feudi.*

4 *In feudo ex pacto & prouidentia, seu mixto, non succeditur vltimo possessori, cuius hæres existit iure hæreditario, sed iure sanguinis ex proprio iure, seu capite domino superiori.*

5 *Inuentarium eo casu operatur, vt hæres vltimi possessoris feudum sibi præcipuum retineat tanquam extra hæreditatem, & aliunde sibi obuentum.*

6 *Vires hæreditatis eo casu proportionantur tantùm ad reliquum patrimonium, in quo duntaxat dicto feudo non comprehenso consistit hæreditas.*

7 *Hæres vltimi possessoris qui feudum ex pacto & prouidentia, seu mixtum obtinet, iure proprio hæreditatem sibi ab vltimo possessore delatam sine inuentario suscipiens, tenetur etiam de proprio vltra vires hæreditarias omnia onera supportare, & per consequens de dicto feudo.*

8 *Onera hæreditaria de feudo ex pacto & prouidentia, seu mixto, deduci non possunt, etiamsi dicti feudi possessor, idemque hæres vltimi possessoris hæreditatem simpliciter adiuerit, in præiudicium scilicet futuri successoris, cùm non possit siue inter viuos, siue in vltima voluntate aliquid facere in fraudem futuri successoris.*

9 *Si quid de dicto feudo diminutum fuerit, propter aditionem hæreditatis simpliciter factam, id totum futurus successor reuocabit.*

10 *Publicæ leges per priuatos eludi non debent.*

11 *Propter hæreditatem simpliciter aditam non potest aliquid de feudo diminui in præiudicium eorum, qui post eum sic adeuntem in dicto feudo succedere debent.*

12 *Fructus feudi ex pacto & prouidentia, seu mixti possessi per hæredem vltimi possessoris simpliciter adeuntem hæreditatem, capi tantummodo poterunt pro dictis oneribus supportandis de illis priùs reseruando eidem hæredi simpliciter adeunti, & possessori dicti feudi quod condecenter sufficiat ad exhibendum domino seruitium.*

SEcundo verò loco dum quæritur quid prosit inuentarium hæredi qui feudum consequitur ob mortem vltimi possessoris, cuius hæreditatem adiuit cum beneficio le-
1. gis, & inuentarij, rursus distinguendum erit, † quia si sit feudum simpliciter & absolutè hæreditarium, inuentarium ad hoc tantùm proderit, vt non teneatur vltra vires hæreditarias, *d.l.fin. §.& si præfatam. C.de iur.deliber.* In computatio-
2. ne verò † patrimonij feudum eo casu adscribetur tanquam res hæreditaria, nec deduci poterit tanquam alio iure ei
3. obuentum. *d.l.fin. §.in computatione.* Et sic tenebitur † onera hæreditaria supportare nedum ad valorem vsque cæterorum bonorum, verùm etiam ipsius feudi quod ad hæredem ex substantia defuncti iure hæreditario deuolutum
4. fuit. *d. §. & si præfatam.* Sin verò † fuerit feudum ex pacto & prouidentia, seu mixtum, tunc quia ad eum licèt hæredem non iure hæreditario, sed iure sanguinis ex proprio iure, seu capite à domino superiore, non autem ab vltimo
5. possessore prouenit inuentarium, † hoc casu operabitur vt feudum sibi præcipuum retineat tanquam extra hæreditatem, & aliunde sibi obuentum. *d. §. in computatione.* ita vt
6. † vires hæreditatis proportionentur tãtùm ad reliquum patrimonium, in quo tantùm, non autem in feudo consistit
7. hæreditas: sed si † qui tale feudum obtinet iure proprio hæreditatem vltimi possessoris sine inuentario susceperit, tunc tenebitur etiam de proprio vltra vires hæreditarias omnia supportare onera, & per consequens de dicto feudo;
8. quod tamen † non habet locum si in fraudem futuri successoris

cessoris dispositionem fecerit possessor feudi, siue inter viuos, siue in vltima voluntate, puta donando, legando, &c. Ea † enim reuocabit, quamuis simpliciter hæreditatē adierit, arg. *l.2. C. si in fraud. patron.* quia nimirum † publicis legibus per priuatam illudi non debeat. *§. si autem, in Auth. de nuptiis.* Item & secundò † locum non habet in præiudicium aliorum, qui post eum sic adeuntem in feudo succedere debent, vnde † fructus tantùm feudi capi poterunt pro dictis oneribus supportandis, & de illis etiam quòd sufficiat ad exhibendum domino seruitium condecenter reseruandum ipsi feudatario simpliciter hæreditatem sibi delatam adeunti.

9.
10.
11.
12.

§. XI.

SVMMARIVM.

1 *Feudum simpliciter hæreditarium, præsertim sub ea formula, & quibus dederit, concessum alienari potest irrequisito domino, cuius tamen approbatio ex pòst requiritur, quod signanter hodie vsurpatur in feudis quæ sunt instar patrimoniorum.*

2 *Feudum simpliciter hæreditarium acquirens, inuestituram à domino superiore petere debet, priusquam possessionem actualem accipiat, si ex dispositione inter viuos acquisierit; sin verò in vim vltimæ voluntatis saltim intra annum & diem aliàs à iure suo caderet.*

3 *Feudi hæreditarij possessor potest illud relinquere personæ etiam extraneæ quolibet titulo, siue vniuersali, siue particulari, & in eo fideicommissum etiam perpetuum ordinare, & aliàs de eo disponere, prout de reliquo patrimonio.*

4 *Feudum ex pacto & prouidentia, vel etiam mixtum, alienari non potest inter viuos, nisi licentia domini præcedente, aliàs illius possessor cadit à iure suo, & feudum ad dominum pleno iure reuertitur.*

5 *Feudorum alienationes inhibentur in futurum, & facta tempore præterito annullantur, nulla omnino præscriptione obstante.*

6 *Ordinatio in vltima voluntate si facta sit de dictis feudis in fauorem aliarum personarum, quàm earum, quæ iure feudali vocantur, nulla & inefficax est, & pro non facta habetur.*

7 *Possessor feudi ex pacto & prouidentia, seu mixti, non potest in eo alium hæredem instituere, vel alteri legare, vel per fideicommissum relinquere in fauorem aliorum, præterquam eorum, qui ad illius successionem iure feudali vocantur.*

8 *Dicti feudi possessor nec illud donare, seu pro anima relinquere, vel in dotem constituere potest.*

9 *Bona fideicommisso ab ascendente ordinato subiecta, alienari possunt pro dote constituenda, seu restituenda ex præsumpta mente fideicommittentis.*

10 *Talis præsumptio cessat in dicto feudo quod possessor iure proprio ex concessione domini superioris, ab eo tenet, non autem ex concessione ascendentis ipsius possessoris.*

TErtiò & postremò, dum dubitatur, an feudum possit alienari, similis quoque distinctio adhibetur, quia
1. † si sit feudum absolutè hæreditarium, præsertim sub ea formula, & quibus dederit, concessum, de qua *in cap. 1. de feud. non haben. propr. feud. natur.* poterit alienari irrequisito domino; cuius tamen approbatio ex postfacto requiritur, prout videmus hodie vsurpari in feudis quæ sunt instar pa-
2. trimoniorum, quia semper † qui acquisiuit inuestituram, à domino superiore petere debet; & quidem si ex dispositione inter viuos priusquam possessionem actualem accipiat, ex notat. *in l. 3. C. de iur. emphyteut.* si ex vltima voluntate saltē intra annum & diem aliàs à iure suo caderet. *cap. 1. §. præterea si quis, de proh feud. alien. per Frider.* & ideo
3. † tale feudum poterit possessor illius relinquere personæ etiam extraneæ, titulo institutionis, siue vniuersalis, siue particularis, titulo legati, vel fideicommissi, & in eo etiam fideicommissum perpetuum ordinare, & aliàs de eo disponere prout de reliquo patrimonio.

4. Sin verò † sit feudum ex pacto & prouidentia, seu mixtum, non poterit inter viuos alienari, nisi licentia domini præcedente, aliàs cadit à iure suo, & ad dominum pleno iure

iure redit. *cap.1.de proh.feud.alien. per Lothar.* vbi † in futurum inhibentur alienationes. *& cap.1.de prohib.feud.alien.per Frideric.* vbi etiam annullantur alienationes præterito tempore factæ, nulla omnino præscriptione obstante. Sed † neque in vltima voluntate aliter de dicto feudo, & in fauorem aliarum personarum disponere poterit, quàm earum, quæ iure feudali vocantur, ita vt † neque alium hæredem in d. feudo possit instituere, neque alteri legare, vel eius fideicommissi in eo constituere in fauorem aliorum: ordinatio namque aliter facta nulla manet, & inefficax, & pro non facta habetur. *cap. 1. in fin. princ. de success. feud.* Et propterea † neque donare, seu pro anima relinquere, vel in dotem constituere potest. *cap.1.§. donare.qualit.olim feud.poter.alienar.* quamuis † bona fideicommisso ab ascendente ordinato subiecta possint pro dote constituenda, seu restituenda alienari. *Auth. res quæ. C. comm. de legat.* quia eam fuisse fideicommittentis mentem, lex eo casu præsumat, quæ præsumptio † cessat in feudo quod possessor iure proprio ex concessione domini tenet, non autem eius ascendentis ipsius possessoris.

5\. 6. 7. 8. 9. 10.

§. XII.

SVMMARIVM.

1. *Feudum concessum primo recipienti, mediante pretio, licèt non sit gratuitum, dicitur tamen esse beneficium.*
2. *Feudum concedens mediante pecunia, consequitur in vasallum iura domini, & vasallus tenetur ad omne obsequium, & tale feudum censetur concessum ad fidelitatem exigendam à vasallo, si non prima, saltem secunda intentione.*
3. *Pretium & fidelitas dicuntur esse causa aquè principales concessionis feudalis, imò fidelitatis exigenda ratio, seu causa tanquam potentior praualet.*
4. *Clausula pro se suisque haredibus apposita in feudo acquisito mediante pretio iusto, & aquiualente rei in feudum concessa, efficit vt intelligatur non tantùm de haredibus sanguinis,*

guinis, sed etiam de quibuscunque.

5 *Mixtura beneficij in concessione feudi mediante pretio facta ex eo inducitur, quia concedens oculo sinistro pecuniam respexerit, dextro verò fidelitatis obligationem ex beneficio procedentem.*

6 *Mixtura in dicto feudo sic concesso non inducitur in modo succedendi, si ex concessionis formula sit absolutè hæreditarium, secus si simpliciter pro se receperit, nulla hæredum, seu liberorum mentione facta.*

7 *Mixtura in succedendi modo inducitur, si pretio mediante pro se, liberis & hæredibus receperit.*

8 *Ex tenore concessionis sub ea formula facta soli hæredes sanguinis iure successorio feudorum admittuntur, cum qualitate tamen hæreditaria, iuxta declarationes in feudo mixto suprà relatas ad dicti feudi successionem.*

9 *Idem iuris erit si nullo pretio intercedente sub ea clausula concessio facta fuerit.*

10 *Feudi concessione pro se & liberis simpliciter factâ, etiam pretio intercedente, feudum inde procedens dicitur absolutè ex pacto & prouidentia.*

11 *Fœmina non succedunt in feudo mediante pecunia concesso, sub clausulis quibus feudum ex pacto & prouidentia, seu mixtum constituitur, ex communi & veriori interpretum opinione.*

12 *Feudi naturâ alteratâ in vna parte, non sequitur totam illius naturam alteratam fuisse, imò in cæteris inalterata manet.*

13 *Feudum ex pacto & prouidentia gratis ab initio concessum pro se & descendentibus, si per vnum ex dictis descendentibus iusto pretio alienetur de consensu domini superioris, non alteratur, sed transit cum sua natura in emptorem.*

14 *Consensus domini qui emptorem eiusque descendentes de dicto feudo sic inuestiisse & infeudasse censetur, hoc operatur, vt, si defecerint agnati venditoris à primo stipite & acquirente descendentes, non propterea ad dominum redeat, sed penes emptorem eiusque liberos quandiu supererunt, maneat.*

15 *Feudum quod erat antiquum respectu venditoris, nouum erit respectu emptoris.*

16 *Agnati*

16 *Agnati venditoris si supersint, poterunt dictum feudum sic alienatum reuocare ab emptore eiusque liberis, quamuis dominus non poßit, qui consentiendo sibi praiudicauit; agnatis verò sine facto ipsorum praiudicare non potuit.*

17 *Feudum ex pacto & prouidentia, quale erat penes venditorem, idem quoque manebit penes emptorem, eiusque successores, nisi in approbatione venditionis ea forma mutata, seu alterata fuisset.*

18 *Lex commissoria aequè reprobatur in pignoribus rerum feudalium prout reprobatur in pignoribus rerum allodialium.*

QVartus casus mixturæ consideratur in feudo empto † quod recipienti concessum fuit pretio mediante; licèt enim feudum sit beneficium, seu actio beneuola. *cap.1. §.huius generis, in quib.caus.feud. amitt.* si pecuniâ mediante concedatur, licèt non sit gratuitum, erit tamen beneficium, arg. *l.Titius.ff.de oblig.patron.præstan.* Et eo modo † feudum concedens consequetur iura domini in vasallum, arg. *l. 1. C.de bon.libert.* & vasallus ad omne obsequium domino tenebitur, arg.*l.1.C.de obseq.patron.præstan.* & hoc feudum si non prima, saltem secunda intentione domini concessum fuisse censetur ad fidelitatem exigendam à vasallo, quæ secunda intentio primæ æquiualet. *l.si absentis. C.si cert.petat.* maximè cùm † vtraque causa sit æquè principalis, imò fidelitatis exigendæ ratio præualeat. Vnde ex præmissis infertur, † si quis pretio, præsertim iusto & æquiualente, feudum à domino recipiat pro se suisque hæredibus, tunc non accipi de hæredibus sanguinis, sed de quibuscunque, quia non ex mero beneficio id assequatur, sed ex eo beneficio quod non sit gratuitum, quo casu † mixtura in beneficio consideratur, quia concedens, vt inquiunt Feudistæ, oculo sinistro pecuniam respexerit, dextro verò fidelitatis obligationem ex beneficentia procedentem. In modo verò † succedendi nulla inducitur mixtura, quia constituatur absolutè hæreditarium; quod quidem extendere voluerunt, si simpliciter pro se receperit, nulla hæredum, seu liberorum mentione facta, ex *l. si pactum. ff. de probat.* quod tamen improbatur. Sed mixtura † in succedendi modo rectè

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

rectè eo casu inducetur, si pro se, liberis & hæredibus rece-
8. perit, pretio intercedente, quia † ex tenore concessionis so-
li hæredes sanguinis iure successorio feudorum admittun-
tur, cum qualitate tamen hæreditaria, prout suprà in feu-
9. do mixto declaratum fuit, quod & obtinet † nullo pretio
10. intercedente, secus erit si pro † se & liberis receperit, quia
absolutè ex pacto & prouidentia.

Item infertur secundùm aliquos fœminas esse capaces &
11. habiles ad illius feudi successionem; quod tamen † ex com-
muni & veriori interpretum opinione improbatur, ex Ga-
12. briel. *de verb. sign. conclus. 6. num. 22.* quia † ex alteratione
feudi in vna parte non sequitur in totum naturam illius al-
terari, imò in cæteris inalterata manet. *cap. 1. de feud. non ha-
ben. propr. feudi natur.* Idque magis receptum firmat Kir-
chouius *in Thesaur. comm. opin. sub litera F. & verb. in feudo em-
phyt.* Et consuetudine approbatum testatur Schneideuin *de
feud. par 6. de success. ab intestat. num. 22.*

Quid si feudum ab initio per dominum superiorem fuerit
gratis concessum alicui pro se suisque descendentibus, &
13. sic naturam † recti feudi ex pacto & prouidentia habeat,
ánne illius natura immutetur, si per vnum ex descendenti-
bus primi inuestiti iusto pretio alienetur domini superio-
ris assensu interueniente. Et dicendum erit non immuta-
ri, sed transire in emptorem cum sua natura, in præiudi-
14. cium † domini consentientis, qui emptorem de dicto feu-
do, eiusque descendentes eo modo inuestiisse & infeudasse
censetur. Vnde si defecerint agnati venditoris à primo
stipite, & acquirente descendentes, non propterea ad do-
minum redibit, sed penes emptorem eiusque liberos, quan-
diu erunt, manebit, quibus nouam concessionem fecisse
15. censetur, dum alienationem approbauit. Et ideo † quod
antiquum erat respectu venditoris, nouum erit emptoris
16. respectu; & agnati venditoris, † si supererint, reuocare po-
terunt ab emptore, eiusque liberis, quamuis dominus non
possit, qui consentiendo sibi præiudicauit; agnatis verò si-
ne eorum facto præiudicare non potuit, ex *l. id quod nostrum.
ff. de regul. iur.* Et ideo † quod penes venditorem erat ex
17. pacto & prouidentia, idem quoque erit penes emptorem,
eiusque

eiusque successores, nisi in approbatione venditionis prior forma mutata, seu alterata fuisset, fac.text. *in cap.Titius, si de feud.defunct.conten.sit*, *cap.1. §.sed etiam res, per quos fiat inuestit.cap.1. §.1.de natur.feud.cap.1.quemad. feud. ad fil. pertineat*, cum simil. Nec obstat † text. *in cap. 1. de feud. dat. in vicem leg. commissor.* quia ibi reprobatur ob reprobatam legem commissoriam in pignoribus etiam bonorum allodialium, eo quòd fœneratores ad lucrum tantùm respiciant, non ad honorem, seu fidelitatem. 18.



CAPVT IV.

De feudorum diuisione à causa accidentali.

SVMMARIVM.

1 *Diuisiones à causa accidentali feudi quatuor proponuntur, tres nimirum ab adiuncto quantitatis, vna verò ab adiuncto qualitatis.*

2 *Feudum inspecta causa accidentali aliud est temporale ad certum, vel incertum tempus duraturum, ad annum puta, quale est feudum guardiæ & guastaldiæ, vel ad mortem vsque alterutrius, quale est feudum soldatæ, vel etiam de camera & canena, aut feudum habitationis.*

3 *Aliud perpetuum, aliàs reale, cuius concessio durare debeat quandiu supererunt descendentes, qui sint de sanguine, puta masculino primi recipientis, aut quandiu durant hi, quibus primus recipiens, vel eius hæredes prospicere voluerunt.*

4 *Feudum item ab adiuncto quantitatis aliud dicitur magnum, si magni redditus ex eo percipiantur, aliud modicum, si modicos habeat redditus.*

5 *Feudum item ab eodem quantitatis adiuncto aliud est diuiduum, aliud indiuiduum.*

6 *Feudum diuiduum dicitur illud, quod per rerum naturam diuisionem patitur, quale est feudum quod in re corporea consistit, puta latifundio, castro, eiusque territorio.*

 7 *Feudum*

7 *Feudum consistens in latifundio, seu castro, licèt annexam habeat iurisdictionem, quæ ius est, & quid incorporeum, nihilominus tamen diuiso latifundio, seu territorio per certas regiones, diuisa quoque censetur iurisdictio illi inhærens, tanquam nebula supra paludem, quæ cùm sit accessoria ad feudum corporeum, eius naturam sequitur.*

8 *Feudum diuiduum item dicitur illud, quod sui natura diuidi non potest, quia in re incorporea consistit, sed iuris interpretatione diuisionem recipit, puta dum iurisdictio diuiditur per exercitium quod alternis temporibus per plures fit successiuè.*

9 *Item diuiditur iurisdictio, quamuis sit quid incorporeum, dum illius exercitium tertio committitur, qui nomine communi omnium dominorum exerceat, & à dominis successiuè nominatur alternatis temporibus, vt fit Cauallioni.*

10 *Emolumenta è iurisdictione prouenientia cuique dominorum pro rata eos contingente applicantur.*

11 *Feudum indiuiduum dicitur illud quod licèt sui natura, vel iuris interpretatione diuiduum esset, iure tamen feudali prohibente diuisioni non subiacet, quale est feudum Ducatus, Marchia, Comitatus, seu aliàs feudum regale, vel titulatum.*

12 *Feuda non regalia, & inferiora, si ad plures filios successiuè peruenerint, omnes æqualiter tenentur ad fidelitatem.*

13 *Feudum quod successiuè pluribus delatum fuit, si ad vnum ex illis peruenerit, is tantùm ad fidelitatem tenebitur.*

14 *Regalia licèt diuisioni non subiaceant, inter plures tamen successores ita rectè diuiduntur, si ad vnum ex pluribus feudum regale peruenerit.*

15 *Feuda regalia diuisionem ea ratione non recipiunt, quòd regalem dignitatem habeant annexam in fauorem & honorem Imperij, & ne ista feuda maiora, quibus Imperium augustius redditur, diuisionibus diminuantur.*

16 *Familiæ maiores suum splendorem ita demum retinent, si dicta feuda maiora penes illas integra maneant.*

17 *Ex crebra & repetita diuisione feudorum regalium si non planè intercidunt, familiæ saltem ita attenuantur, vt statum & conditionem suam tueri non possint.*

18 *Nobilitas*

18 Nobilitas sine diuitiis stercus est, & omnino sordescit.

19 Feuda regalia personæ potißimum conceduntur, quia ex sola Principis denominatione quis creatur Dux, Comes, Marchio; feuda verò quæ pro splendore tantæ dignitatis conceduntur, per consequentias eam denominationem accipiunt.

20 Feuda regalia primis temporibus cum persona primi recipientis extinguebantur, nec ad hæredes transibant, licèt postea successio in illis irrepserit.

21 Quod per vnum tantùm, & non per plures poßidetur, diuisioni subiacere non potest, & per consequens, si plures non admittantur ad succeßionem, sed vnus tantùm, diuisioni locus non erit.

22 Feuda maiora postquam in illis succeßio vsu recepta fuit, licèt forsan per abusum diuisio irrepserit, ea tamen in futurum omnino interdicta fuit per Fridericum.

23 Primogenitus filiorum cæteris exclusis solus admittitur ad succeßionem feudi maioris, seu regalis.

24 Primogenitus ita demum admittitur ad succeßionem feudi maioris, seu regalis solus, si sit sapiens & habilis, à cuius nimirum succeßione repellitur mente captus, vel aliàs corpore mancus, puta mutus & surdus, eo quòd non sint apti ad seruitium exhibendum.

25 Mente capti, vel corpore imperfecti, ita demum repelluntur à feudi regalis succeßione, si naturâ tales sint; secus in his qui dum semel admißi fuere, postea casu in furorem, vel similes incidunt morbos, nec enim priuantur feudo maiori semel sibi quæsito, sed retinent.

26 Primogenitus eiusque linea masculina quandiu superest, tandiu secundo, vel vlterius geniti, eorumque descendentes excluduntur, aut interim non admittuntur.

27 Primogenito eiusque linea masculina deficiente, secundogenitus primogeniti locum subintrans ad dicti feudi regalis succeßionem admittitur, & sic deinceps.

28 Feudum regale semper ab vno insolidum poßidetur, & ideo manet indiuisibile.

29 Legitima secundogenitorum, vel dos filiarum de feudi regalis proprietate capi non potest, sed tantùm de fructibus.

30 Id seruatur inconcussè non solùm in feudis titulatis, verùm

etiam in non titulatis, in quibus viuitur iure Francorum, qualia sunt pleraque in regno Siciliæ.

31 *Feuda apud Siculos vsu recepta fluxere à Normannis Siciliam primùm occupantibus, quæ ad solum primogenitum deferuntur, nec diuisioni subiacent.*

32 *Super fructibus feudorum, quæ reguntur more Francorum, ius competit secundogenitis, vt de illis annuatim quid consequantur, quod sufficiat pro eorum vita & militia, propterea domino exhibenda.*

33 *Filiabus verò super dictis fructibus ius competit pro habenda dote congrua, qua mediante possint pari nubere, quæ propterea dicitur dos de paragio apud Feudistas, præsertim Siculos.*

34 *Feuda diuidua & quorum diuisio lege feudali non interdicitur, rectè diuiduntur non solùm si omnes consentiant, verùm etiam vno prouocante, cæteris licèt reluctantibus, instar cæterorum bonorum non feudalium.*

35 *Verba*, si voluerint, *posita* in §. præterea Ducatus, *sunt distributiuè intelligenda, nimirum si omnes, vel aliqui eorum voluerint.*

36 *Feuda regalia, quæ iure feudali prohibente non diuiduntur, si contrarius inualuerit vsus, qualis est ferè in tota Italia, rectè, ad instar cæterorum bonorum, patientur diuisionem.*



Vnc videndum restat de diuisionibus quæ à causa feudi accidentali manant, quæ quatuor
1. † sunt potissimum, tres nimirum ab adiuncto quantitatis, vna ab adiuncto qualitatis.
2. *Prima* † itaque hæc proponitur, vt aliud feudum sit temporale, ad certum videlicet, vel incertum tempus duraturum, puta ad annum, quale est feudum guardiæ, & guastaldiæ. *cap. 1. de feud. guard. & guastald.* vel vsque ad mortem alterius, quale est feudum soldatæ, vel etiam de camera & cauena. *cap. 1. §. fin. quis dicat. Dux, Com. March.* aut feudum habitationis. *cap. 1. de*
3. *feud. habitat.* Aliud verò † sit perpetuum, aliàs reale, cuius concessio extendi debeat, & durare quandiu supererunt descendentes, qui sint de sanguine, puta masculino primi recipientis

recipientis, seu acquirentis. *cap. 1. de his qui sibi, vel hared. suis.* aut quandiu durant hi, quibus primus recipiens, vel eius hæredes prospicere voluerint. *cap. 1. de feud. non haben. propr. feud. natur.* Quæ vlteriùs non explicantur, quia de his abundè dictum suprà in diuisionibus à causa materiali.

Secunda diuisio † ab adiuncto quantitatis, vt aliud dicatur magnum, si magni redditus ex eo percipiantur, aliud modicum, si modicos habeat reditus. 4.

Tertia & præcipua diuisio † ab eodé quantitatis adiuncto, 5.
vt aliud feudum sit diuiduum, aliud indiuiduum. Et diuiduum dicitur † quod per rerum naturam diuisionem patiatur, 6.
quale est feudum quod consistit in re corporea, puta latifundio, vel castro, eiúsque territorio, quod procedit,
† etiamsi annexam habeat iurisdictionem, quæ ius est, & 7.
quid incorporeum: diuiso namque latifundio, seu territorio per certas regiones, diuisa quoque censetur iurisdictio illi inhærens, tanquam nebula supra paludem, ex regula *l. cùm principalis. ff. de reg. iur. & cap. accessorium, eod. tit. lib. 6.*
Diuiduum item † dicitur quod sui natura, non recipit diui- 8.
sionem, quia in re incorporea omnino consistat, sed iuris tantùm interpretatione, puta dum iurisdictio diuiditur per illius exercitium, quod alternatis temporibus per plures fit successiuè, argum. *l. quoties 17. ff. de vsufr. & l. cùm constet. §. fin. ff. de aqua quotid. & astiu.* Vel dum † exercitium ter- 9.
tio committitur, qui nomine communi omnium dominorum exerceat. Si namque iste tertius à dominis successiuè nominetur alternatis temporibus, vt fit Cauallioni pro exercitio iurisdictionis inter Summum Pontificem, & Reuerendiss. Episcopum Cauallionem per alternatas officialium nominationes, iuris interpretatione diuisa censetur iurisdictio, ex notat. per Castren. *in l. Pomponius, num. 6. vers. debent ergo. ff. de re iudicat.* ita vt emolumenta † inde proue- 10.
nientia cuique dominorum pro rata eos contingente applicentur, ex Bald. *in l. si seruus communis, in princ. ff. de stipul. seruor.* & Boer. *decis. 5. num. 2. & num. 6.* Indiuiduum itaque
† dicitur quod licèt sui natura, vel iuris interpretatione di- 11.
uiduum esset, tamen iure feudali prohibente diuisioni non subiaceat, quale est feudum Ducatus, Marchiæ, Comita-

tus, seu aliàs feudum regale, vel titulatum: feuda nam-
12. que † non regalia & inferiora, si ad plures filios successiuè peruenerint, omnes æqualiter ad fidelitatem tenentur. *cap. 1. § omnes filij, si de feud. defunct. content. sit.* præter-
13. quam † si ad vnum ex diuisione peruenerit. *d. §. omnes, in fin.*
14. & inter plures † rectè diuiduntur, licèt regalia diuisioni non subiaceant, *l. Imperialem. §. præterea Ducatus, de prohib. feud. alien. per Frideric.* Cur autem diuidi non possint, hæc
15. affertur † ratio, quòd regalem dignitatem habeant annexam, sic propterea nuncupata, vnde fauore, & honore Imperij, ne ista feuda maiora, quibus Imperium augustius redditur, diuisionibus diminuantur, prohibetur eorum diuisio, ex notat. per Gloss. & DD. *in cap. licèt, in fin. de vot. &*
16. *vot. redemptio.* Familiæ namque † maiores suum splendorem
17. retinere non possunt. Imò ex crebra † & repetita diuisione, si non planè intercidunt, saltem ita attenuantur, vt statum & conditionem suam tueri non possint ampliùs, teste experientia, de qua per Gail. *lib. 2. obseru. 153. num. 2.* Nobili-
18. tas † namque sine diuitiis stercus est, & omnino sordescit.
19. Alia etiam affertur ratio, quia hæc feuda regalia † personæ potissimum concedebantur, ex sola namque Principis denominatione quis Dux creatur, Comes, seu Marchio; res verò, seu feuda, quæ pro splendore tantæ dignitatis conceduntur, per consequentias eam denominationem acci-
20. piunt. *cap. 1. in princ. Quis dicatur Dux, Com. March.* vnde † cum persona primùm recipiente extinguebatur, nec ad hæredes transibat, *cap. 1. de feud. March. lib. 1.* licèt postea successio in illis irrepserit. *cap. 1. in fin. de alienat. feud. lib. 1.* & dum
21. successioni † locus non erat, nec diuisioni per consequens, diuisioni namque subiacere non potest quod per vnum tan-
22. tùm, & non per plures possidetur. Et quamuis † forsan postquam successio in illis vsu recepta fuit, diuisio quoque fuit admissa, abusiuè tamen, ob primam rationem, quæ semper viget, per Fridericum nominatim de cætero inter-
23. dicta fuit. *d. §. præterea Ducatus*, & inde fluxit, † vt ad solum primogenitum filiorum cæteris exclusis deuenirent. *d. cap. licèt, in fin.* & ex notat. *in d. §. præterea.* qui ita demum
24. † admittitur, si sit sapiens & habilis; si quidem mente captus,

ptus, vel aliàs corpore mancus, puta mutus & surdus, non admittuntur ad successionem, ex notat. *in cap. 1. §. fin. An mutus, vel aliàs imperfectus*, &c. eo quòd non sint apti ad seruitium exhibendum, vt dicitur *in d. §. fin.* quod sine dubio procedit † in his, qui à natura tales sunt, secus in his qui dum semel admissi fuere, postea casu in furorem, vel similes incidunt morbos; neque enim priuantur, sed retinent, vt notatur *in d. §. fin.* Et quandiu † superest primogenitus, eiusque linea masculina, tandiu secundo, vel vlterius geniti, eorumque descendentes, excluduntur, aut interim non admittuntur. Eo verò, † eiusque linea deficiente, secundogenitus primogeniti locum subintrans ad successionem admittitur, & sic deinceps. Qua ratione † semper ab vno insolidum possidetur, adeóque indiuisibile manet, vt neque † secundogeniti pro eorum legitima, neque filiæ pro earum dote de feudi proprietate capere possint, sed tantùm de fructibus, quod inconcussè † obseruatur in feudis etiam non titulatis, in quibus viuitur iure Francorum, qualia sunt pleraque in Regno Siciliæ, & quorum vsus † fluxit à Normannis Siciliam primùm occupantibus: ea namque ad solum primogenitum deferuntur, nec diuisioni subiacent. Et secundogenitis † ius in fructibus competit, vt de illis annuatim quid consequantur pro vita, & militia domino feudi exhibenda; filiabus verò † pro dote super fructibus habenda, qua mediante possint pari nubere, quæ propterea dicitur dos de paragio apud nostros Feudistas, præsertim Siculos, seu Neapolitanos. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33.

Feuda autem † quæ diuidua sunt, quorum scilicet diuisio lege feudali non interdicitur, rectè diuiduntur, nedum accedente consensu omnium consortum, quod sonare videntur verba *d. §. præterea Ducatus*, ibi, *si consortes voluerint*; verùm etiam vno prouocante, cæteris licèt reluctantibus, per text. *in l. fin. C. commun. diuid.* nec sit aliqua ratio cur diuersum ius in feudis constituatur, dictaque verba, *si voluerint*, † sint distributiuè intelligenda, nimirum, si omnes vel aliquis eorum voluerit. Et cùm † feuda regalia non diuidantur ob prohibitionem legis, si contrarius inualuerit 34. 35. 36.

rit vsus, qualis est in tota ferè Italia, rectè, ad instar cæterorum bonorum, diuisionem patientur.

---

§. Vnic.

SVMMARIVM.

1 *Postrema feudorum diuisio à causa accidentali manans ab adiuncto qualitatis sumpta ea est, vt aliud dicatur proprium, seu rectum, aliud improprium.*

2 *Feudum proprium dicitur quod ex omni parte ad naturam, seu rationem feudorum communem, quam iure feudali habent, conformatum est.*

3 *Natura feudi, seu communes feudorum proprietates à nonnullis denominantur qualitates feudis naturaliter innatæ.*

4 *Natura recti feudi in tribus potissimum consistit, puta quòd feudum per inuestituram constituatur, aliàs namque, si per inuestituram præsumptam in esse deductum sit, dicitur informe, puta per possessionem longissimi temporis.*

5 *Item vt fidelitas cum iuramento promittatur accepti feudi nomine, aliàs namque iuramento remisso, licèt ad fidelitatem ipso iure maneat obligatio, dicitur improprium.*

6 *Tertiò vt masculi & per lineam masculinam descendentes, soli sint feudi recti successionis capaces, non fœminæ, aut etiam masculi per lineam fœmininam descendentes.*

7 *Fœminæ, aut earum descendentes, etiam masculi, si admittantur ad successionem feudi, erit improprium.*

8 *Item pro subsistentia recti feudi requiritur, vt soli ex legitimo matrimonio nati non legitimati, non legitimi tantùm, aut naturales tantùm admittantur.*

9 *Feudum rectum debet esse præterea perpetuum, non temporale, vt sponte, non coactè, vt gratis & sine pretio concedatur.*

10 *Feudi recti seruitia debent esse incerta, eaque personalia.*

11 *Feudum rectum sine culpa vasalli ei auferri non potest.*

12 *De feudo recto illius possessor nec in vita, nec in morte disponere potest.*

13 *Feudum improprium dicitur quod aliqua sui parte, tametsi non omni*

omni, à communi feudorum natura recessit.

14 ***A communi feudorum natura receditur vel pacto, quod informatiuum, vel iure ipso feudali ita disponente, qualia sunt feuda soldata, & alia his similia, de quibus fusè antea dictum.***

POstrema diuisio † à causa accidentali manans, sumitur ab adiuncto qualitatis, per quam feudum aliud dicitur proprium, seu rectum, aliud improprium. Proprium dicitur † quod ex omni parte ad naturam, seu rationem feudorum communem, quam iure feudali habent, conformatum est, arg. text. *in cap. 1. §. præterea, quid sit inuestitur.* Natura † autem, seu communes feudorum proprietates, quas nonnulli qualitates feudis naturaliter innatas appellant, consistit in his, quæ suprà in prima parte huius tractatus diximus esse de naturalibus feudi, puta quòd † feudum inuestiturâ constituatur. *cap. 1. quib. mod. feud. constitui potest.* aliàs namque dicitur informe. *cap. 1. § si quis per triginta, si de feud. defunct. conten. sit.* quæ distinctio quoad rectum, vel non rectum feudum, ea ratione colligitur ex *cap. 1. de consuetud. rect. feud.* Item vt † fidelitas accepti feudi nomine iurato promittatur. *c. 1. in fin. per quos fiat inuestitur.* quod iuramentum fidelitatis, si remittatur, remanente tamen ipso iure, ad fidelitatem obligato vasallo erit improprium. Item vt † masculi, & per lineam masculinam descendentes soli sint feudi capaces, non fœminæ, aut etiam masculi per lineam fœmininam descendentes. *cap. 1. §. 1. de his qui feud. dar. poss. cap. 1. de natur. success. feud.* si enim † hi posteriores admittantur, erit improprium. *cap. 1. de eo, qui sibi, vel hæred. suis.* Item vt † ex legitimo matrimonio nati non legitimati, non legitimi tantùm, aut naturales tantùm admittantur. *cap. naturales. si de feud. defunct. content. sit.* Item vt sit † perpetuum, non temporale, vt spontè, non coactè. *cap. 1. in quib. caus. feud. amitt.* vt gratis & sine pretio concedatur. *c. 1. de feud. dat. in vic. leg. comm. ff.* vt seruitia † præstentur incerta, eaque personalia. *d. cap. 1. in quib. caus. feud. amitt.* vt sine culpa † vasallo auferri nequeat. *c. 1. de feud. sine culp. non amitten.* vt de eo † neque in vita, neque in morte disponere possit.

Margin numbers (right): 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

sit. *cap.1. de success. feud. & cap.1. §. donare. qualit. olim feud. alien. poter.* vnde ex præmissis infertur, feudum † dici improprium, quod aliqua sui parte, tametsi non omni, à communi feudorum natura recessit. *cap.1. de feud. non haben. propr. natur.* cum *ibi* notat. Et quandoque † à communi natura receditur, vel pacto, quod informatiuum dicitur, *d. cap.1. de eo qui sibi, vel hæred. suis*; vel iure ipso feudali ita disponente, qualia sunt feuda soldatæ, de quibus *in cap.1. §. fin. quis dicat. Dux, March. Com.* & de eorum diuersis speciebus suprà latè dictum fuit.

(Margin numbers: 13. beside "poter. vnde ex præmissis..."; 14. beside "cum ibi notat...")



PARS III.

Quibus modis feudum amittatur, & esse desinat.

CAPVT I.

De modis quibus feudum semel in esse deductum, extinguitur, perit, & finem accipit.

SVMMARIVM.

1 *Feudum in esse deductum in tribus subsistit, in re soli, seu immobili, vel ea, quæ inter immobilia annumeretur. Secundò in persona domini feudum concedentis. Tertiò in persona vasalli.*

2 *Feudum perit per interitum rei in qua subsistit; deficiente namque subiecto, deficit prædicatum.*

3 *Res immobiles interire possunt incendio, terræmotu, vel inundatione quæ perpetuò sit duratura.*

4 *Feudum item extinguitur, si dominus vitâ decedens nullum hæredem reliquerit, qui ipsum iure sanguinis attingeret, vel ad illius successionem ex legis præscripto, vel per edictum*

edictum successorium vocaretur.

5 *Bona decedentis sine hærede à fisco occupantur vti vacantia.*

6 *Feudi proprietas, quæ aliàs dominium directum nuncupatur, ob mortem domini sine hærede consolidatur, cum vtili dominio penes feudatarium existente, & ab eotempore incipit feudatarius rem pleno iure poßidere.*

7 *Dominus directus feudum amittit, si contra vasallum feloniam commiserit, ob quam vasallus feudo priuaretur, si contra eum illam exercuisset.*

8 *Dominus directus feudi & feudatarius ad paria iudicantur.*

9 *Feudatarius feloniam committens feudo priuatur, & eo casu vtile dominium cum directo consolidatur.*

10 *In Gallia per feloniam domini feudum concedentis dominium directum non consolidatur cum vtili dominio feudatarij, sed acquiritur fisco iure bonorum vacantium.*

11 *Feuda alia dicuntur simpliciter & absolutè hæreditaria, alia ex pacto & prouidentia, alia verò mixta, quæ magis accedunt feudis ex pacto & prouidentia.*

12 *Feuda hæreditaria impropriam feudi naturam habent, in quibus succeditur, non inspecto iure feudali, sed ex dispositione iuris communis Romanorum.*

13 *Feudum hæreditarium constituitur iuxta formulas in inuestitura positas, veluti si concessum sit pro se & quibus dederit, &c. signanter adiecta dictione* extraneis.

14 *Feudum hæreditarium efficitur ex consuetudine siue generali, siue particulari eam interpretationem inducente.*

15 *Feuda omnia in tota Gallia, sub ea inclusa patria Occitana, ex generali consuetudine redacta sunt ad instar bonorum patrimonialium.*

16 *Hugo Capetus primus auctor Christianißimorum Galliæ Regum, qui hodie feliciter regnant, edicto generaliter proposito omnia feuda totius regni ad patrimoniorum instar reduxit, vt sibi deuinciret animos Potentatuum & Nobilium.*

17 *Consuetudo generalis totius regni Galliæ, per quam feuda sunt redacta ad patrimoniorum instar, viget in Comitatu Venaissino, prouincia Prouinciæ, Principatu Auraicæ, Delphinatu, Sabaudia, cæterisque Prouinciis, quæ in partibus Citramontanis manserunt sub obedientia Imperij Romani.*

18 *Dicta consuetudo viget etiam in patria Pedemontana, Ducatu Mantuæ, & plerisque ipsius Italiæ Prouinciis.*

19 *Feuda item alta sunt quæ propriam feudorum naturam retinent, scilicet ex pacto vtriusque, tam concedentis, quàm recipientis concepto, secundùm prouidentiam iuris feudalis.*

20 *In feudis ex pacto & prouidentia succeditur primo concedenti per omnes comprehensos in inuestitura successiuè de vno in alium.*

21 *Feudum simpliciter & absolutè hæreditarium redactum patrimoniorum instar, finitur si possessor illius quandocunque sine hærede decesserit.*

22 *Feudatario decedente sine hærede, vtile dominium feudi consolidatur cum proprietate, seu directo dominio ad commodum & fauorem domini superioris.*

23 *Cætera bona feudatarij sine hærede decedentis vti vacantia fisco acquiruntur.*

24 *Contrarium in Gallia vsu receptum fuit, nimirum vt cum cæteris bonis vacantibus vtile dominium feudi acquiratur fisco, ea nimirum ratione, quia in Gallia sint redacta patrimoniorum instar, quæ tamen non concludit, nec ex ea inferri potest dominum propterea priuandum esse iure suo consolidationis.*

25 *Ad temperandam iniquitatem dictæ obseruantiæ in tribunalibus regni Galliæ vsu recepta per ordinationem Philippi constitutum fuit, quòd Rex ea bona sic quæsita non retineat, sed alteri concedat, qui seruitia solita præstet domino superiori.*

26 *Feudum ex pacto & prouidentia, seu mixtum finitur per finitam lineam comprehensorum in prima inuestitura, nemine ex illis superexistente, qui possit in feudo succedere.*

27 *Finita omnino linea comprehensorum in prima inuestitura, feudi concessio, quæ ad certos vsque limites, quandiu scilicet aliquis superesset de comprehensis in prima concessione, facta fuit, finem habet & expirat.*

28 *Dominus superior iure proprio à quocunque possessore feudum, seu res feudales vindicare potest, omnino deficientibus comprehensis in prima inuestitura.*

29 *Vasallus aliquid de feudo statuere non potest quo se defuncto, suaque*

suaque linea finita, dominum obligare valeat.

30 *Ad dominum feudum ob lineam finitam reuertitur, & ipsi domino sic apertum manet sub eius libera dispositione.*

31 *Dominus superior feudum ob lineam finitam sibi semel apertum & quasitum, si velit reinfeudare, non tenetur praeferre consanguineos vltimi vasalli, in cuius persona feudum finem accepit, sed potest illud de nouo concedere personis sibi bene visis.*

32 *Finitur item feudum si possessor illius steterit per 30. annos in libertate non exhibendi seruitia qua ratione feudi deberi possunt.*

33 *Feudi praescriptio 30. annorum computatur à die qua vasallus requisitus per dominum superiorem denegauerit seruitia praestare, credens rem à se possessam ad se pleno iure pertinere.*

34 *Qua ratione per praescriptionem 30. annorum acquiritur, & in esse deducitur qualitas feudalis, eadem quoque, imò maiori fauore libertatis medio dicta praescriptionis res de feudali efficitur libera, qualitate feudali extincta.*

35 *Feudum item extinguitur contrario vtriusque consensu simpliciter interueniente, si res sit integra: re autem non integra per retraditionem, seu retractationem rei gesta pro contractus executione ad instar emptionis & venditionis.*

36 *Vt feudi contractus solo & simplici consensu perficitur, si in puris terminis dicti simplicis consensus steterit; ita quoque solo contrario consensu interueniente dissoluitur.*

37 *Si contractus non steterit in terminis simplicis consensus, sed res feudi nomine concessa tradita fuerit, finitur per refutationem feudi à vasallo in manibus domini superioris factam, illud desamparando, & domino remittendo.*

38 *Vasallus feudum nouum refutare potest in manibus domini etiam eo nolente, ne scilicet vlterius ad seruitium teneatur.*

39 *Feudum paternum per refutationem vasalli non extinguitur, nisi quatenus sit de comprehensis in inuestitura, aut si qui supersint, eorum accedente consensu.*

40 *Refutatio feudi paterni facta per vasallum non consentientibus caeteris, qui supersunt, in dicta inuestitura comprehensis, valebit quamdiu vasallus refutatus vixerit; eo verò*

mortuo, agnati, qui non consenserunt, feudum sic refutatum auocabunt à domino, eiusque hæredibus.

41 *Potest vasallus etiam nolente domino feudum refutare, ad effectum se eximendi à seruitiorum præstatione.*

42 *Feudum ex quorumdam signanter Canonistarum sententia & opinione nolente domino refutari non potest.*

43 *Feudum ex quorumdam sententia ita demum refutari potest nolente domino, si teneatur vasallus ad incertum seruitium, secus si certum sit seruitium quod præstare tenetur.*

44 *Promissio in specie magis stringit, quàm generaliter facta.*

45 *Feudum ex tertia aliorum opinione, siue ex eo certum, siue incertum debeatur seruitium, nolente domino refutari potest.*

46 *Ratio tertiæ opinionis ea est quòd feudum principaliter concedatur fauore vasalli, cui pro libito renuntiare potest.*

47 *Alia & secunda ratio affertur cur feudo vasallus etiam nolente domino pro libito renuntiare possit.*

48 *Seruitiorum præstatio per vasallum feudi domino debita, est quædam species seruitutis.*

49 *Libertatis fauore multa specialia in iure inducta sunt, quæ aliàs non subsisterent.*

50 *Feudum semel concessum dominus reuocare non potest inuito vasallo, in cuius fauorem concessum fuit principaliter.*

51 *Beneficium semel concessum debet esse mansurum.*

52 *Feudum ita demum refutari potest, nolente domino, si tempestiuè fiat, secus si intempestiuè.*

53 *Refutatio feudi dicitur intempestiuè facta, si eam fecerit vasallus postquam sibi iniunctum fuerit de præstando seruitium personale domino ad bellum proficiscenti, & in procinctu existenti, & propterea à seruitij præstatione eo casu non eximitur.*



VT præmissum est initio huius tractatus, feudum instar peculij nascitur, crescit, decrescit & moritur. *l. peculium 40. ff. de pecul.* De modis, quibus feudum in esse deducitur, & in esse deductũ cõseruatur, eiusque effectibus, satis superque dictum fuit *in 1. & 2. parte huius tractatus*; nunc videndum superest, de modis quibus feudum semel in esse deductum extinguitur, perit

&

& finem accipit: vt autem ea in re ordine procedamus, feudum † in esse deductum in tribus potissimum subiectis, 1.
nimirum in re soli, seu immobili, vel ea quæ inter immobilia annumeretur. *cap. vnic. §. sciendum, de feud. cognit.* de qua tanquam subiecto feudum prædicatur. Secundò in persona domini feudum concedentis. Tertiò in persona vasalli, seu feudatarij feudum recipientis sub lege fidelitatis.

Feudum itaque † perit & extinguitur per interitum rei, 2.
in qua feudum subsistit, argumento vsufructus, *§. fin. vers. eo amplius, Instit. de vsufr. l. penult.* §. 1. in illis verbis, *ipsius rei interitu. C. eod.* Item emphyteuseos. *l. 1. vers. itaut si interdum. C. de iure emphyt.* deficiente namque subiecto, deficit quoque prædicatum, per necessariam consequentiam, & res immobiles † interire possunt, puta incendio, vel terræ- 3.
motu, vt exemplificat Iustinianus *in d. §. finali, de vsufr.* vel chasmate. *l. ex conducto, §. 2. vers. sed & si ager terramotu. ff. locat.* vel inundatione, quæ perpetuò sit duratura, ex notat. *in l. qui vniuersas. §. Item quod à mari. ff. de acquir. vel amitt. possess.* signanter si res modis prædictis, vel altero ipsorum ita interierit, vt nusquam sit, per text. *in d. l. ex conducto. §. 2. vers. sed & si ager.*

Ex persona domini concedentis † feudum perit & ex- 4.
tinguitur, si dominus vitâ decedens nullum hæredem sibi superstitem reliquerit ex iis, qui ipsum iure sanguinis attingerent, vel ad ipsius successionẽ ex legis præscripto, vel per edictum successorium vocarentur. Illius namque bona † tanquam vacantia per fiscum eo casu occupantur, exce- 5.
pta proprietate feudi, † quæ aliàs directum dominium, seu 6.
superius nuncupatur, ea namque ob mortem domini sine hærede consolidatur cum vtili dominio penes feudatarium existente, itaut ab eo tempore perempta modo iam dicto qualitate feudi, incipiat feudatarius rem ipsam pleno iure & in plena proprietate possidere; qua enim ratione domino committente † feloniam contra vasallum, & sic delin- 7.
quente in personam vasalli, per quam vasallus amitteret feudum, si eam committeret, proprietas ad vasallum pertinet, siue in vasallum peccauerit, siue in alium. *§. domino*

commit

comitente, sub tit. si de feud. defunct. conten. sit inter dominum & agnat. vasal. & in cap. vnic. sub tit. qualiter dominus propriet. feud. priuetur. cum *ibi* not. per gloss. & DD. quod communiter receptum firmat Rosenthal *in sua feudorum synopsi cap. 11. concl.*
8. 20. cùm in his ad paria † iudicentur vasallus & dominus, per textum *in cap. vnic. §. fin. sub tit. de for. fidelit.* quod latiùs probatur per Zasium *de feudis, part. 10. num. 80.* & nouissimè per Rosenthal *d. cap. 11. concl. 18.* & dispositum in vno, censeatur etiam dispositum in altero, Afflict. *in d. cap. vnic. de form. fidelit.* Aluarot. *in cap. 1. §. praeterea, notabili 2. quid sit inuestitur.* Ita quoque pari & eadem ratione, qua vasalli
9. vtile dominium † in feudo consolidatur cum proprietate, & directo dominio domini superioris, instar vsusfructus, qui cum sua proprietate consolidatur, per text. *in d §. fin. Instit. de vsufr. & in l. si extraneo. ff. eod. & in l. Pater 15. in fin. ff. de castr. pecul.* si nimirum vasallus nullum habeat hæredem, vel successorem, qui ex tenore inuestituræ in feudo succedere possit. Ita quoque in casu conuerso, si dominus nullum hæredem habuerit, qui ei succedere valeat, proprietas feudi acquisita erit ipsi vasallo, seu feudatario vnito, nimirum & consolidato dominio directo, seu superiori cum dominio vtili, quod penes feudatarium reperitur esse ad commodum & vtilitatem ipsius vasalli, & sic ab eo tempore rem ipsam feudatarius pleno iure possidere inci-
10. piat; quod tamen in Gallia † non obtinebit, vt in casu conuerso, & in longè fortioribus terminis subsequenter demonstrabitur.

Ex persona ipsius vasalli feudum recipientis, vt sciatur quomodo feudum perimatur, & finem accipiat, repetenda erit feudorum distinctio supra relata *in secunda part. huius tractatus, cap. 4. §. 1.* per quam nimirum feuda alia di-
11. cuntur † simpliciter & absolutè hæreditaria; alia verò ex pacto & prouidentia; alia denique mixta, quæ magis accedunt feudis ex pacto & prouidentia, & hæreditaria di-
12. cuntur † impropriam feudi naturam habere, in quibus succeditur, non inspecto iure feudali, sed ex dispositione iuris communis Romanorum, vt latè suprà demonstratum
13. fuit *in d. cap. 4. §. 4.* & efficitur hæreditarium, † iuxta formulas

las in inuestitura positas, puta si dominus superior feudum recipienti concesserit pro se, & quibus dederit, *cap. 1. de feud. non hab. propr. feud. natur.* vel si pro se & hæredibus quibuscunque, vel si pro se, hæredibus & successoribus quibuscunque, præsertim adiecta dictione *extraneis*, vel ex consuetudine † siue particulari, siue generali, eam recipiat interpretationem tenor inuestituræ, vt latè suprà demonstratum fuit *in d. §. 4. num. 8.* & poterit exemplum afferri de consuetudine generali, quæ viget in vniuersa Gallia, in qua feuda omnia † redacta sunt ad instar bonorum patrimonialium, quam plerique fluxisse firmant ab edicto generaliter proposito † per Hugonem Capetum primum authorem lineæ Christianissimorum Francorum Regum, qui hodie feliciter regnant, quo sibi deuinciret animos Potentatuum, cæterorumque Nobilium totius regni Galliæ, vt videre est apud Guid. Pap. *decis.* 133. vbi de generali consuetudine patriæ Delphinalis, & *ibi* Apostillator Matthæus, qui eam vigere firmat per Galliam, Sabaudiam & Pedemontium, post Boër. Dec. Cephal. Crauet. Chassan. Grammat. & Tiraq. *ibi* per eum allegatos, quæ consuetudo viguit, † & viget etiam in prouincia Prouinciæ in Comitatu Venaissino, Principatu Auraicæ, Delphinatu & Sabaudiæ, cæterisque Prouinciis, quæ in partibus citramontanis manserant sub obedientia Imperij Romani, & quòd in dictis Prouinciis ea viguerit & vigeat consuetudo, testantur Guid. Pap. *decis.* 59. *num.* 2. qui de Delphinatu loquitur, & nominatim de regno Galliæ, & *ibi* Ranchin. *in addit.* qui eam consuetudinem vigere firmat in toto regno Galliæ, & in tota patria Occitana, & *ibid.* Ferrer. *in principio suæ additionis.* De Pedemontio † Bertrand. *cons.* 15. *n.* 16. *vol. 6. poster.* vbi de regno Galliæ & Delphinatu. Crauet. *cons.* 303. *num.* 4. qui loquitur de consuetudine Sabaudiæ. Bertr. qui de prouincia Prouinciæ, & locis circumuicinis in specie loquitur passim in suis consiliis, signanter *cons.* 383. *num.* 5. *vol.* 4 quam consuetudinem vigere in plerique ipsius Italiæ prouinciis, vt in Mantuæ Ducatu, firmat Mart. *consil.* 192. *num.* 14.

Alia verò feuda † sunt ea, quæ propriam feudorum na- 19.

R turam

14. 15. 16. 17. 18.

turam retinuere, ſcilicet ex pacto vtriuſque, tam concedentis, quàm recipientis, concepta ſecundùm prouidentiam iuris feudalis, quo ſcilicet primo concedenti † per
20. omnes comprehenſos in inueſtitura ſucceſſiuè de vno in alium ſuccederetur, vt diſertè ſuprà deductum fuit *d. cap.* 4. §. 2.

Dum itaque quæritur, quomodo finiatur feudum ſimpliciter & abſolutè hæreditarium redactum patrimonio-
21. rum inſtar, dicendum erit ita demum finem habere, † ſi poſſeſſor illius quandocunque ſine hærede deceſſerit, tunc
22. enim ad dominum redit vtile dominium, † quod cum proprietate, ſeu dominio directo conſolidatur, per text. *in l. ſi quis Presbyter. C. de Epiſc. & cler.* firmat idem Bald. & poſt eum Alexand. *conſ.* 23. *vol.* 1. Oldrad. fusè *conſ.* 7. & paſſim Canoniſtæ *in cap. cùm ſecundùm, de hæret. lib.* 6. quamuis cætera bo-
23. na † ipſius feudatarij ſic ſine hærede decedentis tanquam vacantia fiſco quærantur, per text. *in l.* 1. *& in l. penult.* & paſſim *toto tit.* cum *ibi* notat. *C. de bon. vacant. lib.* 10. licèt
24. contrarium hodie ſeruetur in Gallia, † vt teſtatur Ferrer. *in addit. ad Guid. Pap. deciſ.* 413. *num.* 4. *verſ. contraria tamen,* &c. ea nimirum ratione, quia feuda ſint ibi redacta patrimoniorum inſtar, quæ tamen ratio non videtur ſufficiens, quia dominus non debeat propterea ſuo iure conſolidationis priuari, & ita in iudicando vſu receptum fuit. Ad cuius
25. vſus † & obſeruantiæ iniquitatem quodammodo temperandam per ordinationem Philippi Pulchri conſtitutum eſſe refert poſt Benedictum *in cap. Raynutius, in verb. & vxorem nomine Adelaſiam, deciſ.* 5. *num.* 294. *& num.* 299. *de teſtamentis,* quòd Rex ea bona ſibi ſic quæſita non retineat, ſed alteri concedat, qui ſeruitia præſtet domino ſuperiori, quæ feudatarius ſine hærede vitâ functus præſtare ſolebat.

Si verò quæratur, quónam modo finiantur, & eſſe deſinant feuda ex pacto & prouidentia, ſeu mixta, quorum ea-
26. dem eſt ratio, dicendum erit finiri † per lineam finitam comprehenſorum in prima inueſtitura, ſeu conceſſione, quando ſcilicet nemo ſuperexiſtit de comprehenſis in dicta
27. prima inueſtitura; tunc enim † feudi conceſſio ceſſat, & finem habet, quod certos limites habuit, quibus deficientibus

tibus poterit dominus superior à quocunque † possessore 28.
vindicare feudum, seu res feudales, & ab eo dependentes iure proprio, per text. formalem *in cap. 1. in princ. & §. moribus, si de feud. defunct. content. sit inter dominum, & agnat. vasal. & cap. 1. §. quod ita intelligendum, de success. fratr.* Neque vasallus † de feudo aliquid statuere potest, quo se defuncto eiusque lineâ finitâ ipsum dominum obliget. 29.
cap. 1. §. & si clientulus, de alienatione feudi, & cap. 1. §. rei autem. vers. quid ergo. & §. econtrario, in fin. de inuest. de re alien. fact. & ita tenet in puncto Rot. *in recent. part. 1. decis. 390. n. 2.* & magis expressè *part. 2. decis. 664. num. 8.* vbi reprobata opinione Bart. *in l. 1. §. permittitur. ff. de aqua quotid. & aestiu.* Ex veriori & vsu recepta opinione in praxi post Rom. Gail. Clar. Menoch. *ibi* allegatis feudum † ob lineam finitam ad dominum reuersum, seu domino superiori apertum manere sub libera 30.
ipsius domini dispositione, itavt neque teneatur † reinfeudando præferre consanguineos vltimi vasalli, in cuius persona feudum finem accepit, extraneis exclusis, sed possit de nouo concedere personis sibi bene visis. 31.

Addi poterit tertius modus finiendi feudi, nimirum † præscriptio, si per 30. annos steterit in libertate non exhibendi seruitia, quæ ratione feudi deberi possunt, computandos à die † quo requisitus per dominum superiorem probabiliter credens rem à se possessam ad se pleno iure pertinere, denegauerit dicta seruitia præstare, seu exhibere, per text. cum *ibi* not. *in cap. 1. §. si quis per triginta, d. tit. si de feudo defunct. content. sit.* qua enim ratione † per præscriptionem acquiritur & in esse deducitur qualitas feudalis, vt suprà *in 1. part.* huius tractatus plenissimè fuit edoctum: ita quoque pari & eadem ratione, imò maiori fauore libertatis medio præscriptionis res de feudali efficitur libera, qualitate feudali extincta. 32. 33. 34.

Denique & postremò feudum finitur † contrario consensu interueniente, quemadmodum ab emptione receditur per contrarium consensum re integra, & per retraditionem, si res non sit integra, & emptio nedum simplici consensu perfecta, verùm etiam per traditionem consummata fuerit. *l. ab emptione*, cum *ibi* not. *ff. de pact.* Ita quoque 35.

36. feudi contractus † solo & simplici consensu perfectus contrario dissoluitur consensu, vel si iam sibi traditum fuerit,
37. † per refutationem feudi à vasallo in manibus domini superioris factam illud desamparando, & domino remittendo, quam Cuiac. *in cap. 1. de vasal. decrep. ætat.* renunciationem; Rosenthal verò in sua synopsi feudorum *cap. 9. conclus. 66.* cessionem appellat, idque de plano procedit, & sine dubio domino volente & consentiente, per text. *in d. c. 1.*
38. *de vasal. decrep. ætat.* Imò & nolente † domino vasallũ id refutare posse, ne vlteriùs ad seruitium teneatur, deciditur *in cap. 1. circa fin. vers. quia vasallus, de vasallo qui contra constit. Lothar.* &c. quod locum obtinet indubitanter in feudo nouo quod omnino extinguitur per refutationem in manibus domini à primo acquirente, seu concessionario factam, secus
39. sit feudum paternum, † quod ita demum sic extinguitur, si is qui refutat, sit vltimus de comprehensis in inuestitura, aut si qui supersint eorum accedente consensu, *d. cap. 1. de vasal. decrep. ætat. & cap. vnic. de eo qui fin. fec. agnat. de*
40. *feud. pater.* aliàs namque, si non consenserint, valet, † & effectum habebit refutatio, quandiu vixerit vasallus refutans,
41. etiamsi † refutationem fecerit, nolente domino, ad effectum se eximendi à seruitiorum præstatione; eo verò mortuo, agnati, qui non consenserunt, feudum à domino eiusque hæredibus auocabunt, vt per gloss. singularem *in cap. 1. de alien. feud. pater.* quam communiter sequuntur interpretes, vt videre est apud Mynsing. *obseru. 1. centur. 6. obseru. 23. num. 2.* Rosenthal *d. cap. 9. conclus. 70.* Et in hoc omnes concordare firmat post Cuman. Mozz. *ex quib. caus. feud. amitt. num. 10.*

Conclusio autem superiùs firmata, quòd per vasallum fieri possit efficaciter feudi refutatio, etiam nolente domino, per text. *in d. cap. 1. in fin. de vasal. qui contra constit. Lothar.* licèt deducta fuerit ab interpretibus in conflictum contra-
42. riarum opinionum, quorum alij † censuere nolente, seu inuito domino per vasallum refutari non posse, ea ratione quòd feudum sit contractus vltro citróque obligatorius, non ab vnius, sed ab vtriusque voluntate dependens, vt per gloss. *in cap. 1. in fin. de Capitan. qui cur. vend.* per Canonistas

nistas communiter approbatam *in c. qua in Ecclesiarũ, de constitutionibus, & in cap. 1. de feud.* quam sententiam sibi magis placere firmat Clar. *in §. feudum. quæst. 34. num. 1. vers. contrarium*; alij verò distinguendo † contrarias opiniones conciliant, vt si feudum sit datum ad certum & determinatum seruitium, non possit per vasallum refutari domino inuito; si verò ad incertum & indeterminatum seruitium concessum sit, etiam nolente domino, refutari possit, quam distinctionem eliciunt interpretes ex *d. gloss. in d. c. 1. de Capitan. qui cur. vendid.* atque ita communiter distinguere DD. firmat Moder. Paris. *in consuet. Parisien. §. 1. gloss. 5. n. 3.* eámque vti tutiorem sequendam esse tenet Clar. *in d. §. feudum, quæst. 34. num. 1. vers. esset tamen fortè.* ea nimirum ratione, † vt per Imol. *in d. cap. quæ in Ecclesiarum.* quòd obligatio certorum seruitiorum magis stringat in specie vasallum, quàm incertorum generalis promissio. Demum per alios ea distinctio † reiicitur, qui censent indistinctè posse vasallum, siue velit, siue nolit dominus, omne feudum refutare, siue sub certo, siue sub incerto seruitio teneatur, per text. *in d. cap. 1. de vasal. qui contra constit. Lotharij*, cum *ibi* not. per DD. communiter, *& in d. cap. 1. de Capitan. qui cur. vendid.* quod communiter receptum firmat Panormit. *in d. cap. quæ in Ecclesiarum, num. 19.* Curt. iun. *de feud. part. 4. n. 130.* Rosenthal *de feud. cap. 9 conclus. 67.* & intrepidè sequendum esse firmat Mynsing. *d. centur. 66. obser. 65. num. 7.* ea ratione quòd feudum principaliter † concedatur fauore vasalli, cui ipse pro libito renunciare potest, ex Kirchou. *in commun. opin. sub verb. vasallus renuntiare potest.* Alia poterit addi ratio † quòd nimirum renuntiando feudum vasallus in primam & plenam libertatem restituitur, & se liberum reddit à seruitiorum præstatione, & sic † à quadam specie seruitutis, qua ratione feudi domino adstringebatur; multaque in iure † specialia fauore libertatis inducta sint, quæ aliàs non subsisterent, per text. *in l. 5. §. ingenui. ff. de stat. hom. & in §. sufficit, Instit. de ingen. cum similibus.* & *ibid.* not. per gloss. & DD. Et ex præmissis rectè infertur posse vasallum etiam nolente domino feudum refutare, non tamen posse dominum, † nolente vasallo, in cuius fauorem præcipuè

Marginal numbers: 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50.

feudum concessum fuit, feudum & beneficium semel concessum ad se reuocare, vt elicitur ex *d. cap.1. de Capitan. qui*
51. *cur. vendid.* quia beneficium † semel concessum deceat esse mansurum. *cap. decet. de reg. iur. in 6. cum similibus*, & *ibi* not.
52. Refutari tamen feudum poterit † per vasallum etiam nolente domino, dummodo id tempestiuè fiat, secus si in-
53. tempestiuè, † puta si domino in procinctu existente postquam ei iniunctum fuit de præstando seruitium personale domino in bellum proficiscenti feudum refutare velit, ne dominum sequi necesse habeat, vt videre est apud Mynsing. *d. obseru. 65. num. 12.* & Mozz. *ex quibus cauf. feud. amitt. num. 8.*



CAPVT II.

De modis quibus feudum non tam extinguitur, quàm amittitur.

SVMMARIVM.

1 *Feudum quandoque dum amittitur, per consequentias necessarias extinguitur, & finem accipit.*

2 *Feudum ob culpam à vasallo commissam amissum, & eodem tramite domino superiori quæsitum, & ad ipsum deuolutum, pleno iure penes dominum tanquam omnino finitum & extinctum perpetuò manet.*

3 *Modi quibus feudum amittitur, ad vnicum caput reducuntur, à quo omnes modi profluunt, nimirùm ad culpam, quam Obertus de Orto vocat* ingratitudinem, *& plerique* feloniam.

4 *Culpa dum agitur de feudi amissione, consideratur tam in persona vasalli, quàm domini superioris.*

5 *Culpa dupliciter consideratur, alia quæ in omittendo, alia quæ in committendo consistit.*

6 *Causæ propter quas in culpam incurritur ob factorum varias & innumeras circunstantias, à quibus culpa procedit, sub certa regula*

regula & definitione rotunda comprehendi non possunt.

7 Causæ à quibus culpa procedit, petendæ sunt à iuris feudalis constitutionibus, vel deficiente iure feudali, & non resistente, à iure communi.

8 Culpa in omittendo inducitur si vasallus domino vitâ functo per annum & diem steterit, quo durante hæredem domini non adierit, inuestituram petendo & fidelitatem pollicendo.

9 Item si vasallo vitâ functo filius ipsius, vel alius successor in feudo per dictum tempus inuestituram à domino petere neglexerit.

10 Ob culpam vtroque casu commissam, scilicet omittendo petere inuestituræ renouationem, feudo priuatur vasallus, & illius successor respectiuè.

11 Dies termini non computatur in termino, & idcirco ita demum feudo priuatur vasallus, si per annum & diem steterit & distulerit petere renouationem inuestituræ.

12 Vasallus feudo priuatur ob non petitam inuestituram intra annum & diem, non aliam ob causam, quàm quòd ita moribus receptum fuit.

13 Renouatio inuestituræ cum fidelitatis iuramento petenda est in signum reuerentiæ, quam vasallus domino suo exhibere debet.

14 Vasalli successor feudum obtinet, non tam successione, quàm beneficio domini, & primi acquirentis, & ideo in feudo succedens, & ad illud de nouo admissus, tenetur petere à domino renouationem inuestituræ, quod obtinet in feudo ex pacto & prouidentia, seu mixto, secus in simpliciter & absolutè hæreditario.

15 Tertia ratio cur renouationem inuestituræ petere teneatur, est ne longinquitate temporis, vel ignorantia vasalli ius domini interuertatur.

16 Quarta ratio est, quia promissiones in inuestitura comprehensæ sunt personales, & ideo personâ, quæ promisit, extinctâ, per successores renouationem inuestituræ petendo renouandæ sunt.

17 Fidelitatis iuramentum per inuestitum domino præstitum personale est, & ideo à successoribus renouandum.

18 Renouatio inuestituræ est prima cõfirmatio, & redintegratio, it aut nihil

nihil noui iuris addat, sed quod per primam in esse deductum fuit, confirmetur tantummodo.

19 Omnes qualitates primæ inuestituræ repetitæ censentur in illius renouatione, quæ intelligitur facta secundùm naturam primæ.

20 Si quid diuersum à prima inuestitura in renouatione positum sit, id præsumitur per errorem, seu metum irrepsisse, nisi manifestè appareat ex certa scientia renouationem diuerso modo à prima inuestitura conceptam fuisse.

21 Vasallus, seu illius successor, renouationem inuestituræ intra annum & diem petere debet, etiam non requisitus, nec ad id faciendum per dominum, seu eius successorem admonitus.

22 Vasallus, seu eius successor sponte & vltrò dominum, seu eius hæredem requirere debet, aliàs à iure suo cadit, siue masculus sit, siue fæmina, siue etiam rusticus.

23 Vasallus, seu illius successor requirere debet dominum, vel illius hæredem pro renouatione inuestituræ loco congruo, puta in suo territorio, si ibi reperiatur, vel aliàs in loco commodo. Item tempore conuenienti, de die scilicet, non de nocte extra horam prandij, vel aliàs importunam, & demum reuerenter, & obsequiosè cum obligatione præstandorum.

24 Simpliciter petens renouationem inuestituræ, censetur id fecisse cum oblatione præstandorum.

25 Vasallus petendo renouationem inuestituræ cum interuentu omnium requisitorum, debet de his contestationem facere, quo de sua diligentia constet ad euitandam pœnam amißionis feudi.

26 Dominus sic legitimè requisitus debet aßignare locum tutum, & tempus certum, & commodum, pro concedenda renouatione inuestituræ petita.

27 Renouatio inuestituræ fieri debet coram testibus, licèt non sint pares, & coram Notario curiæ ipsius domini.

28 Vasallus excusatur à pœna amißionis feudi ob non petitam renouationem intra annum & diem, si non dolosè & ex mera negligentia distulerit, sed iusta & legitima causa impeditus petere non potuerit.

29 Causæ iustam vasallo excusationem præbentes, quo se eximat à pœna priuationis feudi, sunt mors superueniens, capitales inimicitiæ

inimicitia, infantia, iusta absentia, & generaliter qualibet iusta causa.

30 *Mortis impedimentum excusat vasallum, licèt contigerit duobus, aut tribus diebus tantùm ante finitum tempus petendæ renouationis, eiusque successori datur integrum anni & diei tempus, ex propria persona, quale sibi concederetur ex capite proprio, si eius author priusquam moreretur, renouationem obtinuisset.*

31 *Mors domini contingens intra annum excusat vasallum, & de nouo conceditur annus, & dies habito respectu ad personam noui domini.*

32 *Inimicitiæ capitales inter dominum & vasallum existentes modò sint sine culpa vasalli, excusant à petenda renouatione intra annum & diem.*

33 *Vasallus ob inimicitias cum domino existentes, non tenetur accedere ad dominum, etiam sub litteris salui conductus sibi à domino datis, nec procuratorem mittere.*

34 *Inimicitiæ capitales existentes inter vasallum & tertium aliquem, propter quas vasallo tutus non pateat accessus ad locum in quo petenda est renouatio, impediunt cursum anni & diei, præsertim si sine culpa vasalli fuerint exortæ.*

35 *Latronum incursiones, bellum sæuiens, pestis periculum, tempestates, inundationes, & his similes causæ, interrumpunt cursum temporis ad petendam renouationem præfixi.*

36 *Infantia vasalli excusat à priuatione feudi ea durante, quæ iure feudali abusiuè accepta non septennio finitur, sed anno decimoquarto completo.*

37 *Impubes existens non tenetur fidelitatem, nec seruitium per se, seu alium, puta tutorem, præstare.*

38 *Minoritas domini non excusat à petenda renouatione intra annum & diem, nisi quatenus sit intra septennium, & nullum habeat tutorem, seu curatorem.*

39 *Annus & dies currere incipit vasallo pro petenda renouatione inuestituræ ab eo tempore, quo dominus infantiam excesserit, vel quo sibi tutor datus fuerit.*

40 *Renouationis petendæ tempus currit à die quo ventri curator datus est.*

41 *Pupillaris ætas de iure feudali finitur anno 14. completo, siue*

agatur de maribus, siue de fœminis, licèt de iure communi finiatur in fœminis anno 12. completo, in maribus verò 14.

42 *Feudum demum ita amittitur ob non petitam inuestituram intra annum & diem, si vasallus maior quatuordecim annis existens, siue sit masculus, siue sit fœmina, eam petere distulerit intra dictum tempus anni & diei.*

43 *Feuda ab eorum primaua origine fuere masculina, & inde quod masculis concessum fuit ne pœnam incurrerent priuationis feudi ob non petitam renouationem inuestituræ intra annum & diem, nisi quatenus essent maiores 14. annis, extensum fuit ad fœminas, quæ ob sexus fragilitatem faciliùs decipiuntur.*

44 *Absentia iusta eximit à pœna amißionis feudi ob non petitam renouationem inuestituræ intra annum & diem.*

45 *Absentia domini qualiscunquè illa sit, siue iusta, siue iniusta, siue probabilis, siue non, à quo renouatio peti, & concedi debet, eximit vasallum ab incursione pœnæ amißionis feudi ob non petitam renouationem intra annum & diem, à quo propterea peti & obtineri non potuit.*

46 *Fallit si dominus absens reliquisset domi procuratorem, seu vicarium, à quo vasallus renouationem inuestituræ petere tenetur.*

47 *Dominus absens à loco suæ solitæ residentiæ, si non sit longè remotus, requirendus erit à vasallo in loco vbi reperitur pro renouatione inuestituræ.*

48 *Absentia vasalli post cœptum anni cursum ita demum eum eximit à pœna priuationis feudi, si sit iusta, puta necessaria, vel probabilis, secus si merè voluntaria, vel temeraria.*

49 *Vasallus qui absens est iusta de causa, procuratorem mittere non habet necesse pro petenda renouatione inuestituræ.*

50 *Vasallus absens ex mera voluntate sine aliqua necessitate, vel probabilitate, si postquam abesse cœperit, mors domini superueniat, tempus sibi non curret pro petenda renouatione vsquequo mortem rescire potuerit, & decursum fuerit tempus, intra quod domum redire potuerit, seu ad locum peruenire, in quo renouatio petenda sit, quod extenditur ad successorem vasalli, qui abesse cœperit ante ipsius vasalli obitum, & n. 53.*

51 *Vasallus eximitur à pœna priuationis feudi, si ex alia iusta causa*

causa renouationem inuestituræ petere non potuerit.

52 Ignorantia iusta, non tamen crassa, seu affectata, excusat vasallum qui mortem domini in partibus remotis vitâ functi, vel successorem vasalli, qui mortem sui authoris in longinquis partibus existens ignorauerit.

54 Ignorantia facti probabilis, non autem iuris, excusat non petentem inuestituram intra annum & diem.

55 Impedimentum si subsit ab initio temporis, intra quod peti debet renouatio, impedit cursum dicti temporis, nisi postquam cessauerit impedimentum.

56 Impedimentum superueniens post cæptum cursum anni & diei, sistit cursum temporis impedimento durante, & eo cessante datur vasallo tempus quod supererat, & reliquum manserat pro complemento anni & diei.

57 Tempus anni & diei vasallo datum ad petendam renouationem ab initio vtile est, postea verò continuum, si post cursum temporis cæptum non superueniat iustum impedimentum.

58 Vasallus si sit paganus, renouationem petere debet intra annum & diem, si miles intra annum & mensem, aliàs eo tempore elapso feudo ipso iure priuatur.

59 Vasallus & miles, secundùm ius feudorum, sunt synonyma, vnum idemque significantia.

60 Cuiacius pro conciliatione censet in cap. 1. quo tempore miles, reponendam esse dictionem diem, vt cùm cæteris textibus conueniat.

61 Restrictio non debet esse vniuersalior ipsa regula.

62 Vasalli omnes militare solent, quippe qui dominum iuuare & ei seruire tenentur, tam in placitis, quàm in guerra, & dominum ad bellum proficiscentem sequi, eique seruitium personale exhibere in bello.

63 Milites non gaudent priuilegiis militibus concessis, nisi quatenus sint in expeditione, extrà verò non.

64 Vasalli, siue milites sint, siue pagani, ob non petitam renouationem inuestituræ intra annum & diem, indistinctè feudo priuantur ex veriore opinione, licèt communis sit in contrarium, contra quam difficile foret in iudiciis obtinere.

S 2 65 Feu

65 *Feudum dum amittitur ob non petitam renouationem, extinguitur, & vtile dominium vasalli consolidatur cum directo dominio superioris.*

66 *Pœna dictæ priuationis feudi ob non petitam renouationem intra annum & diem solo temporis cursu inducta, solet per Principes supremos gratiosè remitti.*

67 *Mora purgatio facillimè à domino admittitur, dummodo fiat antequam dominus caducitatem declaret, ex communiori & æquiori DD. opinione.*

68 *Fidelitas debetur, & iuratò promittitur ratione feudi proprij, seu recti.*

69 *Iuramentum vasallo remitti potest, eo tamen ad fidem ex lege feudali obligato manente.*

70 *Iuramentum pacto dum remittitur, feudum dicitur improprium.*

71 *Vasallus feudum amittit, & per Pares Curiæ feudo priuatur, si ter à domino nolente expectare lapsum anni & diei requisitus, inuestituram pollicendo, interposito spatio septem dierum fidelitatis iuramentum præstare noluerit.*

72 *Interuallum septem dierum de vna citatione ad aliam coram Paribus curiæ fluxit à iure Pontificio.*

73 *Vasallus legitimè per dominum requisitus de præstando seruitio ad quod ratione feudi tenetur, feudum amittit, si seruitium præstare recusauerit, siue sit certum, siue incertum.*

74 *Vasallus ob iustum impedimentum si non possit requisitus seruitium domino præstare, eximitur à dicta pœna priuationis feudi.*

75 *Vasallus ter requisitus de præstando fidelitatis iuramento, sibi pollicitam inuestituram, necnon legitimè requisitus de præstando seruitio, si recusauerit culpam, incurrit non tam in omittendo, quàm in committendo.*

76 *Curiæ Parium vice fungitur in Gallia Curia suprema computorum, plerunque vnita cum Curia subsidiorum: in hoc autem Comitatu Venaissino suprema Curia rectoriatus olim Seneschalia eiusdem Comitatus, vel etiam Curia reuerendæ Cameræ Apostolicæ in eodem Comitatu.*

77 *Vasallus feudo priuatur si dominum in bello existentem, & in vitæ discrimine constitutum deseruerit, quem ad bellum proficiscentem*

ciscentem, & in conflictu existentem comitari tenetur.

78 *Vasallus dominum praeliantem lethaliter vulneratum, multo magis mortuum, comitari vlteriùs non tenetur, imò eo casu eum impunè deserere potest.*

79 *Seniores iure feudali dicuntur domini, vulgò* seigneurs.

80 *Vasalli praesentia in bello non sufficit, nisi cum domino pugnet, si potuerit.*

81 *Vasallus ex forma fidelitatis tenetur domino nedum consilium, verùm etiam auxilium praestare.*

82 *Vasallus domino de vita periclitanti, licèt extra bellum, seu aciem, etiam non requisitus auxilium ferre tenetur, si periculum sciat, & iuuare possit, aliàs feudo priuatur.*

83 *Vasallus si dominum à morte liberare possit, nec faciat, feudo priuatur.*

84 *Vasallus seruitium quod debet ratione feudi, exhibere non tenetur, nisi à domino requisitus fuerit.*

85 *Causae ob quas vasallus excusatur à poena amissionis feudi, si dominum in bello deseruerit, remissiuè.*

86 *Vasallus feudo priuandus est ob culpam omissionis, si nimirum sciuerit conspirari contra dominum, eius personam, honorem, vel bona, nec quàm citò potuerit, si impedire non valeat, domino nuntiauerit.*

87 *Vasallus si sciens prudensque dum periculum domino imminens declinare potest, id dolo, vel fraude, seu negligentia domino celauerit, feudo priuatur, ad quod faciendum tetur ex forma iuramenti fidelitatis.*

88 *Culpa in omittendo commissa similis, vel maior, expressis in vsibus feudorum, an sit efficax, & sufficiens ad hoc, vt ob eam vasallus feudo priuetur, iudicii arbitrio relinquitur.*

89 *Feudum sic concedi potest, vt vasallus praeter homagium teneatur certum quid nomine canonis annuatim domino pendere.*

90 *Feudum licèt per pactum quo teneatur vasallus quid annuum nomine feudi domino praestare, natura feudi alteretur, manet tamen feudum, seu feudi contractus.*

91 *Contractus mandati, locati, depositi, commodati, etiamsi per pacta adiecta illius natura alteretur, non propterea corruit contractus, sed subsistit.*

92 *Vasallus si teneatur praeter homagium quid annuatim soluere*

ex pacto in prima feudi concessione apposito, & lex caducitatis adsit, si in termino canonem non soluat, feudo priuatur.

93 *Simile pactum caducitatis ob non solutum canonem in termino adiectum, fuit in concessione feudi Oppeda, nunc Baronia Comitatu Venaissini.*

94 *Accursius Meynerij, dominus Oppeda, excusatur à caducitate ob non solutum canonem in termino, non obstante simili pacto rigorosè adiecto in concessione feudi Oppeda sibi facta propter suam absentiam Reipubl. causâ.*

95 *Pactum illud rigorosum super caducitatem conceptum ob non solutum canonem in termino, temperatum fuit in erectione dicti feudi in Baroniam, & ampliationibus gratiosè concessis Magnifico quondam domino Baroni Meynerij, Accursij filio.*

96 *Feudum circumscripto simili pacto, pro quo quid annuum præstatur nomine canonis ad instar emphyteusis, si cessatum fuerit per triennium continuum in solutione dicti canonis, nec purgata mora ante litem contestatam amittitur, & ad dominum deuoluitur.*

97 *Mora commissa ob non solutum canonem, durante triennio purgari potest, celeri satisfactione, nimirum ante litem contestatam.*

98 *Author purgauit moram ab eius decessore commissam plurium annorum, arreyragia duorum ducatorum auri de Camera pro feudo de Roays Camera Apostolica debita, soluendorum in promptu & sine aliqua interpellatione.*



FEudum itaque finitur, & finem verè accipit modis suprà proximè relatis. Nunc videndum sequitur de modis, quibus feudum non tam extinguitur, quàm amittitur, licèt quandoque dum amittitur, † per consequentias necessarias extinguatur, & finem ac-
1. cipiat, dum nimirum per feudatarium ob culpam amittitur. † Et eodem tramite domino superiori acquiritur, &
2. ad eum deuoluitur penes ipsum pleno iure perpetuò mansurum.

Modi autem quibus feudum amittitur, † ad vnicum ca-
3. put, à quo omnes profluunt, reducuntur, per text. *in cap. 1. de feud. sine culpa non amitt.* Iuncta etiam rubrica, quam culpam

pam Obertus de Orto *in c.1. in quib.cauf.feud.amitt. & titulis feqq.* per Synecdochem vocat ingratitudinem, † fpecie pofita pro genere, plerique feloniam, quæ confideratur 4.
tam in perfona vafalli, quàm in perfona domini fuperioris, à quo feudum tenetur. Culpa autem dupliciter † confideratur, alia quæ in omittendo, alia quæ in committendo con- 5.
fiftit. Et quamuis † caufæ propter quas in culpam incurritur fub certa regula, & definitione rotunda comprehendi 6.
non valeat, nec certo modo definiri, vt firmat Obert. *in d. cap. 1. in quib. cauf. feud. amitt.* ob factorum varias & innumeras circunftantias, à quibus culpa procedit. Eæ tamen feriatim, † & diftinctè, quo meliùs fieri poterit, per ordinem proponentur, & explicabuntur, repetitæ à iuris 7.
feudalis conftitutionibus, vel etiam à iure communi, dum & quando ius feudale id patietur.

Exordiendum igitur erit à culpa quæ in omittendo confiftit, quarum prima per Obert. proponitur *in cap.1. fub tit. quæ fuit prima cauf. benef. amitt.* fcilicet fi vafallus domino † vitâ functo per annum & diem fteterit, quo durante hæredem domini non adierit, inueftituram petendo, & ei fi- 8.
delitatem pollicendo, vel è conuerfo, fi eo vitâ functo filius † vafalli, vel alius fucceffor in feudo per iam dictum tempus inueftituram à domino petere neglexerit: vtroque 9.
namque cafu † ob culpam in omittendo incurfam, feudo, feu beneficio priuatur, vt difertè deciditur *in cap.1. in princ.* 10.
de capitul. Corrad. & in cap.1. §. præterea fi quis infeudatus, de prohib. feud. alienat. per Fridericum. quæ fuit, fi per annum & diem fteterit † pro decifione illius quæftionis, qua quæritur, an dies termini computetur in termino, vt poft Bor- 11.
cholten *de feudis part.1. cap.7. num.1.* firmat Vulteius *de feud. lib.1. cap.7. num.61.* vbi rationem † iuris fic conftituti quòd vafallus per annum & diem differens à domini hærede, vel 12.
hæres vafalli ab ipfo domino inueftituram petere, feudo priuetur, non aliam afferri poffe cenfet poft Clarum & alios per eum allegatos, quàm quod ita moribus receptum fuerit, licèt *num.58.* quinque rationes afferat poft Curt.iun. & alios authores *ibi* per eum allegatos, id communiter receptum effe affirmantes, propterquas teneatur vafallus, feu ipfius

ipsius hæres, vel successor in feudo à domino, vel ipsius hærede, seu successore renouationem inuestituræ cum fidelitatis iuramento recipere, primam videlicet in signum
13. † reuerentiæ, quam vasallus domino suo exhibere debet:
14. secundam vt intelligat vasallus se non tam † successione, quàm beneficio domini, & primi acquirentis, feudum obtinere; quæ ratio specialis est pro feudo ex pacto & prouidentia, seu etiam mixtò, nec obtinet in feudo simpliciter
15. & absolutè hæreditario terriam, ne longinquitate † temporis, aut ignorantia vasalli ius domini interuertatur. Quar-
16. tam quòd promissiones † in inuestitura comprehensæ hinc inde sint personales, & ideo, personâ quæ eas fecit extinctâ, sunt à successoribus renouandæ. Quintam quòd iura-
17. mentum fidelitatis † per inuestitum domino præstitum sit pariter personale. *cap. veniens, de iureiur.* & idcirco renouan-
18. dum. Renouatio autem inuestituræ † nihil aliud est quàm primæ inuestituræ confirmatio & redintegratio, per gloss. *in cap. 1. per quos fiat inuestitura*, & communiter Feudistas, *in cap. 1. quid præcedere debeat*, &c. Ita vt nihil noui iuris addat, sed quòd per primam inuestituram in esse deductum fuit, tantummodo confirmetur, ex Rosenthal *cap. 6. con-*
19. *clus.* 114. vnde infertur omnes qualitates † primæ inuestituræ repetitas censeri in dicta renouatione, ex Bald. *in l. vnic. num.* 31. *C. quando non peten. part.* & nouissimè Menochius *cons.* 104. *num.* 44. *vol.* 1. Et ideò intelligi factam secundùm
20. naturam primæ, & si quid † à prima diuersum in ea legatur, præsumi id per errorem, seu metum irrepsisse, nisi manifestè appareat ex certa scientia aliter fuisse factam, vt seriatim, & per ordinem hæc omnia dilucidè explicantur à Vulteio *d. cap.* 7. *num.* 59. *& num.* 105. ad quem me refero.

Conclusio autem superiùs firmata, quòd vasallus, seu
21. illius successor, † renouationem petere debeat intra annum & diem, aliàs à iure suo cadat, adeò vera est, vt id facere teneatur etiam non requisitus, nec ad id faciendum per dominum, seu eius successorem admonitus, imò dominum
22. † sponte & vltra de renouanda sibi inuestitura intra annum & diem requirere debet, siue sit masculus, siue sit fœmina, siue sit rusticus, ex Vulteio *loco præcitato*, *num.* 63. *vers.*

verſ. quin autem. quod elicitur ex textu *in cap. 1. quo tempore miles*,&c.*& in cap. 1. de capit. Corrad.* quam facere debet loco congruo, † puta in ſuo territorio, ſi ibi ſit, vel aliàs loco 23.
commodo, tempore conuenienti, de die ſcilicet, non de nocte, extra horam prandij, vel aliàs importunam, & demum reuerenter, & obſequiosè, cum oblatione præſtandorum, quæ cenſentur oblata, † ſimpliciter petendo inue- 24.
ſtituræ renouationem. Et de his omnibus † facere debet 25.
conteſtationem, quo de ſua diligentia conſtet, ad euitandam pœnam amiſſionis feudi. Et dominus ſic legitimè requiſitus † debet aſſignare locum tutum,& tempus certum 26.
atque commodum, pro concedenda dicta renouatione petita,quæ fieri poſtea debet † coram duobus teſtibus,etiamſi 27.
non ſint pares, & coram Notario curiæ ipſius domini, vt hæc omnia ſigillatim & eleganter deducit, & probat Vulteius *loco prætitato, num. 99. vſque ad num.* 105. ad quem me remitto.

Verùm ea concluſio ſuperiùs principaliter firmata, locum habet, ſi dolo, † ſeu per meram negligentiam diſtu- 28.
lerit vaſallus, ſeu illius ſucceſſor intra annum & diem petere renouationem inueſtituræ; ſecus ſi iuſta & legitima cauſa impeditus non potuerit intra dictum tempus eam petere, per textum *in d. cap. 1. quo tempore miles.* vbi inter cauſas † iuſtam excuſationem vaſallo præbentes,quo ſe eximat 29.
à pœna amiſſionis feudi ob non petitam renouationem inueſtituræ intra annum & diem,recenſet mortem, capitales inimicitias, infantiam,iuſtam abſentiam, & generaliter quamlibet iuſtam cauſam, quæ ſimiliter excipitur *in § fin. de probib. feud. alien. per Lothar.* Et ferè ſub iiſdem verbis *in tit. 97. lib. 2. feud.* per Cuiac. repoſito, ex Ardiſon. & Aluaro. Addi poterit textus *in § ſi quis deceſſerit, ſi de feud. defunct. conten. ſit*, &c. Mortis impedimentum † exemplifi- 30.
cari poteſt, ſi ſuperueniat in perſona vaſalli ante finitum annum & diem, fortè dum ſupereſſent adhuc, puta,duo, aut tres dies, tunc à pœna eximitur, eiuſque ſucceſſori ex perſona propria integrum anni & diei tempus concedendum, prout ſibi concederetur ex capite proprio, ſi eius author renouationem inueſtituræ obtinuiſſet, ex notatis

T communi

communiter per Feudistas *in dicto cap. 1. quo tempore miles*, &c. vt firmat Vulteius *loco pracitato num. 86. vers. si vltimus vasallus*, post Iacobin. Curt. Zas. Mozz. & alios in text. per eum allegatos, vbi subiicit post Borcholt. *de feud. cap. 8. n. 8.*
31. idem iuris esse, si mors superueniat † in persona domini, à quo per vasallum petenda erat renouatio inuestituræ ante annum & diem finitum; tunc enim ipsi vasallo habito respectu ad personam noui domini qui priori successit, integer annus & dies concedendus erit, computandus à morte prioris domini.

32. *Secundò* inimicitiæ capitales † inter dominum & vasallum consistentes modò sine culpa vasalli ei præbent legitimam excusationem, ne teneatur intra annum & diem petere à domino inimico renouationem, vt tenent communiter Feudistæ *in d. cap. 1. quo tempore miles*. Ita vt neque
33. fidere † teneatur litteris salui conductus sibi à domino datis, ex Syluan. *de recog. feud. quæst. 45.* cum aliis in id congestis per Vulteium *loco præallegato, num. 75.* itaut neque procuratorem mittere debeat, ex traditis per gloss. & DD. *in d. cap. 1. quo tempore miles.*

34. Inimicitiæ quoque capitales vigentes inter vasallum † & tertium aliquem, signanter si sine culpa vasalli fuerint, propter quas ei non pateat tutus accessus ad locum in quo petenda sit renouatio inuestituræ, impedient cursum anni & diei, ex notat. per Sonsbecc. & Lauden. in id allegatos per
35. Vulteium *vbi suprà num. 82.* Idem dicendum, si † ob alias legitimas causas tutus sibi non pateat accessus, puta ob incursiones latronum, bellum sæuiens, periculum pestis, tempestates, inundationes, & his similes causas, de quibus Rosenthal *cap. 6. concl. 99.* & post eum Vulteius *vbi suprà n. 83.*

36. *Tertiò* propter infantiam † vasalli dictum tempus ei non currit, quæ licèt regulariter septennio finiatur, *l. si infantis cum similibus, de iure delib.* abusiuè tamen *in d. cap. 1. quo tempore miles*, accepta, extenditur vsque ad ann. 14. completum, vt videre licet per text. *in d. §. si quis infeudatus, & in d. §. si quis decesserit*, vbi quòd maior 14. annis feudum amittit si distulerit petere renouationem inuestituræ per annum &
37. diem, & quòd impubes † existens non teneatur fidelitatem,

tem, nec seruitium per se, seu alium, puta tutorem, præstare.

Sed vasallus non excusatur si distulerit petere inuestituram ob domini minorem ætatem, † quia ea non obstante 38.
tenetur petere inuestituræ renouationem, vel ab eo, seu ab ipsius tutore, vel curatore, si habeat, eique iustam præbet excusationem infantia domini duntaxat, si & quatenus infra septennium recipiatur, nec tutorem, seu curatorem habeat, itaut annus † & dies currere incipiat ab eo 39.
tempore, quo dominus infantiam excesserit, vel sibi tutor datus fuerit, vt in puncto notat Rosenthal *cap. 6. concl. 73. & concl. 76.* Idem si ventri curator † datus fuerit quòd ab 40.
eo curatore sit petenda renouatio inuestituræ, ex traditis per Curt. iunior. *part. 4. num. 56.* & Mozz. *de substant. feud. n. 49.* quos refert & sequitur Vulteius *vbi suprà n. 67. in fin.* Quod verò diximus ætatem pupillarem finiri anno ætatis 14. completo de iure feudali, signanter ad propositum nostrum non tantùm habet locum † in maribus, vt de iure 41.
communi definitum est, *l. 5. ff. de testam.* verùm etiam in fœminis, quamuis de iure communi in his pupillaris ætas finem accipiat post completum annum ætatis 12. *d. l. 5. & §. 1. Instit. quib. mod. tut. fin* Idque per text. *in d. §. præterea, si quis*, vbi indistinctè ita demum † amittitur feudum si maior 42.
14. annis distulerit petere renouationem inuestituræ intra annum & diem, quod Feudistæ *in d. §. præterea*, & passim alibi locum habere volunt in fœmina, vt in puncto post multos firmat Vulteius *loco præcitato num. 65.* Cuius rei ea ratio afferri potest, quia feuda de eorum primæua origine † essent masculina, & quòd masculis concessum fuit ad euitandam pœnam, multo magis fœminis quæ ob sexus fragilitatem faciliùs decipiuntur, concedi debuit. Item propter 43.
iustam absentiam, † si non petierit renouationem inuestituræ intra annum & diem, eximitur à pœna amissionis feudi. Et si quidem id facere non possit, † propter absentiam 44. 45.
domini, à quo renouatio sibi concedi debet, qualiscunque illa sit, absentia siue iusta, siue iniusta, siue probabilis, siue non, semper iusto erit impedimento ipsi vasallo, quo nimus inuestituram petere possit pendente ipsius domini

absentia, ex notat. per gloss. & DD. *in d.cap.* 1. *quo tempore miles*, &c.& tenet in puncto Syluan. *de feud. recog. quaest.* 72. *&* 73. nisi dominus absens † domi reliquisset procuratorem, seu vicarium à quo inuestituram petere tenetur, ex Syluan. *d.quaestione* 73. Imò ipse dominus, si non sit longè † remotus, licèt absit à loco suæ solitæ residentiæ, nihilominus requirendus erit, vt commune firmat Rosenthal *cap.6.concl.*88. Sed si vasallus abesse cœperit, post cœptum anni cursum, ita demum excusabitur, si sit absentia † iusta, puta necessaria, vel probabilis; secus si merè voluntaria, vel temeraria, vt per text. *in d.cap.*1. *quo tempore miles.* dum iustam absentiæ excusationem præbere dicit, cum *ibi* notat. per gloss. Et communiter Doctores, adeò vt neque † procuratorem mittere necesse habeat, per text. *in l.sed et si per pratorem.* §.*fin. & in l.necnon. ff.ex quibus caus. maior.* Quòd si ante † mortem domini vasallus abfuerit ex mera voluntate, sine aliqua necessitate, vel probabilitate, vel ipsius vasalli successor ante illius mortem, tunc excusabitur vsquequo mortem rescire potuerit, & decursum fuerit tempus, intra quod domum redire possit, seu ad locum in quo renouatio petenda erit, iuxta not. *in l.*3. *ff.de verborum signific.*

46.

47.

48.

49.

50.

51. Denique, si ex alia iusta causa † intra annum & diem inuestituram petere non potuerit, per text. *in d. cap.* 1. *quo tempore miles*, in illis verbis, *nisi iusta causa interuenerit, quare*, &c.*& in d.* §.*fin.de prohibit.feud.alien.per Lothar.* cui inter cæteras adscribenda erit iusta ignorantia, † non tamen crassa, seu affectata, puta si vasallus mortem domini, qui in partibus remotis decessit, vel si hæres idemque successor vasalli in feudo in longinquis partibus existens mortem sui authoris ignorauerit; tunc enim tempus † anni, & diei currere incipiet à die, quo mortem rescire potuerit, & ad locum destinatum pro petenda renouatione peruenire, vt in simili notatur per gloss. & DD. *in l.* 1. §.*item si qua mihi iusta. ff.ex quibus caus.maior.* Et in puncto tenet Rosenthal *cap.6.concl.*69. qui propterea censet *d.cap.6. concl.*82. ignorantiam facti † probabilem, non autem iuris excusationem præbere non petenti inuestituram intra dictum tempus.

52.

53.

54.

Et

Et generaliter constituendum est, si subsit † impedimentum ab initio temporis, intra quod peti debet renouatio inuestituræ, tunc tempus non currere, nisi demum postquam cessauerit impedimentum; si verò superueniat † postquam tempus currere cœperit, tunc tempus impedimenti durantis non computabitur, sed eo cessante dabitur vasallo tempus quod supererat, & reliquum remanserat de anno & die, ex notat. per Rosenthal *d.cap.6. concl.97.* Et ex præmissis infertur, hoc tempus † anni & diei ab initio esse vtile, postea verò continuum, si post cursum temporis cœptum non superueniat iustum impedimentum, ex not. per Feudistas *in d.cap.1.quo tempore miles*, &c.signanter *ibi n.*10. *& in d.cap.præterea si quis,n.*1. 55. 56. 57.

Superest pro coronide conciliatio antinomiæ inter *d.c.*1. *quo tempore miles*, & text. *in cap.*1. *quæ fuit prima caus. benef. amitt.& in cap.*1*.in princ. de capitul.Corrad.& in d.§.præterea si quis*, in quibus disertè deciditur vasallum, qui per annum & diem distulerit petere renouationem inuestituræ, feudum amittere. In dicto verò *cap.*1. *quo tempore miles*, nominatim statuitur, militem qui distulerit inuestituram petere, damnari, & beneficio priuari, communiter Feudistæ, teste Vulteio *vbi suprà num.*61*.versic. verùm communissima*, pro conciliatione volunt vasallum si sit paganus, † intra annum & diem teneri petere renouationem inuestituræ, aliàs eo tempore lapso feudum ipso iure amittere; si verò sit miles, annum & mensem sibi dari, stante potissimum quod *in d. cap.*1*.quo tempore miles*, nominatim de milite loquatur. Sed ea ratio non subsistit, quia in vsibus feudorum † vasallus & miles sint synonyma, vt post Cuiac. & Hotom. firmat Vulteius *vbi suprà d.num.*61*.vers. nec quoad tempus hoc*, &c. vnde censuit Cuiac. † pro *mens.* reponendam esse dictionem *diem*, vt cum cæteris textibus conueniat, præsertim dum testatur se vidisse libros veteres manuscriptos, in quibus textus *in d.cap.*1*.quo tempore miles*, ita conceptus legebatur, *sancimus vt nemo miles vltra annum, mensem, & diem*, &c. itaut ex puncta dictione *mensem*, retineri debuerit dictio *diem*, quo reduceretur ad conformitatem cum cæteris prællegatis textibus, qui indistinctè & vniuersaliter loquuntur, nec 58. 59. 60.

propterea restringendi ad vasallum, qui miles non sit, sed
61. paganus, quæ restrictio † vniuersalior foret quàm ipsa re-
62. gula, cùm vtplurimum † omnes vasalli militare soleant, quippe qui iuuare dominum & ei seruire teneantur, tam in placitis, quàm in guerra, & dominum ad bellum proficiscentem sequi, eique seruitium personale in bello exhibere, vt postea suo loco latiùs dicetur. Et præmissis addi
63. poterit quòd milites † non gaudent priuilegiis militibus concessis, nisi quatenus sint in expeditione, extrà verò non gaudeant. *l. penult. C. de testam. milit.* §. 1. *Instit. eod.* cum *ibi* notat. per Gloss. & DD. signanter Vigl. vnde lubens sub-
64. scribo eorum sententiæ, qui eam non admittunt † distinctionem, inter quos præter Cuiac. & Hotom. suprà relatos est Zas. *de feud. part. 7. num.* 1. post Cyn. Bald. & Lauden. ab eo relatos, quamuis forsan in iudiciis difficile foret, contra communem distinctionem suprà relatam obtinere.
65. Et eo modo dum amittitur † feudum vtplurimum, pariter extinguitur vnito & consolidato dominio vtili ipsius cum dominio directo domini superioris, quamuis hæc pœ-
66. na † solo temporis cursu inducta, veluti odij & rigoris, plena soleat per Principes supremos gratiosè remitti, vt videre est apud Roland. *cons.* 64. *in fin. vol.* 2. *& consilio vltimo n.* 158. *vol.* 4. Menoch. *cons.* 468. *num.* 13. *& seq.* & post eos cum aliis in id allegatos apud Vulteium *vbi suprà lib.* 1. *c.* 11. *n.* 23. *vers. caterùm*, vbi subiicit eam ob causam ex communiori &
67. æquiori DD. opinione tanto faciliùs eo casu admitti † purgationem moræ, modò fiat antequam dominus caducitatem declaret, ex Afflict. Guid. Pap. & aliis in id per eum allegatis.

Secundus modus amittendi feudi à primo suprà proximè relato, non valde dissimilis refertur per Obert. *in d. tit. qua fuit prima causa benefic. amitt.* §. 1. vbi de feudo proprio, seu
68. recto loquitur, ratione cuius † nedum fidelitas debetur, sed etiam iuratò promittitur quod regulare est *cap. vnico.*
69. §. 1. *in fine, per quos fiat inuestitura*, licèt iuramentum † remitti possit vasallo, tamen ad fidem ex lege feudali obligato manente. §. 1. *in fin. qua fuit prima causa beneficij amittendi, & dicto* §. 1. *in fin. per quos fiat inuestitur.* videlicet si tale

tale iuramentum † pacto remittatur, quo casu feudum non 70.
dicitur rectum, seu proprium, sed improprium, vt dictum
fuit suprà *in 2. part. huius tr. cap. 4. §. vnic. n. 5.* quando nimirum
dominus nolens † expectare lapsum anni & diei, requirit 71.
vasallum de præstando fidelitatis iuramento, inuestituram
pollicendo. Si namque ter requisitus interposito spatio
septem dierum, quo dierum † interuallum fluxit à iure 72.
Pontificio *can. præsenti 5. quæst. 2.* & sic ter citatus coram Paribus Curiæ ipsius domini, si iurare noluerit, tunc per Pares feudo priuandus erit. *d. §. 1. quæ fuit prima caus. benef. amitt. & tit. 76. lib. 2. feudorum*, prout in simili vasallus legitimè † per dominum requisitus de præstando seruitio, ad 73.
quod ratione feudi tenetur, siue sit certum & determinatum, de quo *in §. fin. sub tit. de Capitan. qui cur. vendid.* siue incertum & indeterminatè promissum. *§. fin. in quib. caus. feud. amitt.* si præstare recusauerit, feudo priuatur. *§. 2. vers. sed non est alia iustior. eod. tit. quæ fuit prima caus. benef. amitt.* nisi forsan † iustum subsit impedimentum, ob quod seruitium 74.
domino debitum requisitus præstare non potuerit, *d. vers. sed non est alia, in fin.* quia vtroque casu maior subsit ratio vasallum beneficio priuandi, quàm in primo, in quibus non sola omissionis † simplicis culpa, vt in primo considera- 75.
ratur, sed commissionis culpam quodammodo admixtam habeat, scilicet denegando peruicaciter id, ad quod de iure tenetur, & curiæ Parium, de qua † sæpiùs mentio ha- 76.
betur in vsibus feudorum, signanter in iuribus proximè allegatis, vice fungitur in Gallia Curia suprema Computorum, quæ plerumque reperitur vnita cum Curia suprema subsidiorum; in hac verò patria Comitatus Vanaissini Curia, quam supremam vocant Rectoriatus, olim Senescallia eiusdem Comitatus, vel etiam Curia reuerendæ Cameræ Apostolicæ in eodem Comitatu.

Tertius modus amittendi feudi per omissionis culpam, est si vasallus dominum † in prælio existentem, & in vitæ dis- 77.
crimine constitutum deserat, tunc enim ob domini desertionem, quem ad bellum proficiscentem comitari debet, *cap. 1. §. 2. Item qui dominum, in d. tit quæ fuit prima caus. benef. amitt.* vbi quòd ea de causa feudo priuetur. Idemque
deciditur

deciditur *lib. 1. tit. 5. quibus modis feudum amittatur*, in illis verbis, *si vasallus cum morantem in prælio non mortuum, nec ad*
78. *mortem* † *vulneratum, dimiserit. & eod. lib. sub tit. 17. quibus*
79. *mod. feud. amitt.* ibi, *si seniores*, † vulgò seigneurs, *in bello dimiserint, & eod. libro tit. 21. in fin.* ibi, *si in pugna dominum*
80. *suum dimiserit, & cum eo non laborauerit.* † Vnde infertur non sufficere solam vasalli præsentiam, nisi etiam cum eo pugnet, si potuerit, *& in cap. 1. in fin. quot test. sint necessar.* si qui-
81. dem ex forma fidelitatis † tenetur domino nedum consilium, verùm etiam auxilium præstare. *cap. vnico. §. id non sufficit, de forma fidelitatis; & in cap. 1. §. & si sciuero, de nou. form. fidel.*

Eadem pœna amissionis feudi locum habebit, si domi-
82. num de vita periclitantem, † licèt extra bellum, seu aciem non adiuerit, si sciat vasallus, & auxilium illi ferre possit, nec faciat, etiam non requisitus, feudum amittit. *cap. vnico. §. licèt vasallus, si de feud. defunct. content. sit.* Itaut si do-
83. minum † à morte liberare potuerit, nec fecerit, feudo priuandus sit. *cap. 1. §. fin. de alienat. feud. pater.* quamuis, serui-
84. tium, † quod ratione feudi debet exhibere, non teneatur nisi à domino requisitus fuerit. *d. §. licèt vasallus.* Quænam
85. autem causæ † vasallum excusent, si dominum in bello deseruerit, propter quas eximitur à pœna amissionis feudi, sigillatim recensentur & explicantur à Rosenthal *cap. 10. concl. 9. 10. 12. & 13.* ad quem me remitto, ne transcribantur de charta in papyrum.

Additur *quartus modus* feudum amittendi *in d. §. 2. quæ fuit prima caus. benef. amitt.* per culpam omissionis, si nimirum va-
86. sallus † resciuerit conspirari contra eius dominum, scilicet eius personam, honorem, vel bona, nec quàm citò potuerit, si impedire non valeat, domino nunciauerit, seu reue-
87. lauerit, vt sciens prudensque † periculum declinare possit, idque dolo, vel fraude, seu negligentia domino celauerit; tunc enim ea de causa feudum amittit, ea ratione, quia contrauenerit his, quæ iuratò promisit, aut aliàs ad quæ tenetur ex noua forma fidelitatis, de qua *in cap. vnico, de noua forma fidelitatis.* signanter *in vers. & si sciuero, vel audiero, & in vers. & si impedimentum præstare nequiuero*, &c. facit textus

in

in cap. vnic. §. fin. de alien. feud. pater. Et hæc dicta sufficiant de causis, propter quas vasalli ob culpam in omittendo commissam, feudo priuantur, omissis aliis, quæ his similes, † vel etiam maiores à solerti & discreto iudice æquitati 88.
obsecundare sollicito, considerari possunt, quas sufficientes esse cognouerit ad vasallum feudo priuandum, vt in simili dicit Obert. *in d. tit. quæ fuit prima causa benef. amitt. §. sed quia naturalis.*

Præmissis tamen pro coronide poterit addi causa omissionis, propter quam vasallus feudo priuatur, si in prima dicti feudi concessione pacto expresso cautum sit, vt vasallus teneatur † præter homagium, in quo fidelitas & feudi 89.
qualitas essentialis continetur, soluere domino certum quid annuatim nomine canonis, tali namque pacto alteratur quidem natura feudi, † non tamen propterea minus feu- 90.
dum manet, vt in aliis contractibus de iure fieri videmus, puta in mandato, † locato, deposito, commodato. *l. 1. §. si* 91.
conuenerit. ff. depositi. l. naturalis. §. sed si facio. ff. de prascript. verb. eo namque casu † si canonem non soluat in termino 92.
conuento, & adsit lex caducitatis expresse adiecta, ob non solutum canonem in dicto termino, vt in feudo Oppedæ, † nunc Baronia Comitatus Venaissini feudum amit- 93.
tit, vt videre est apud Decium *consil.* 138. in quo concludit † Accursium Meynerij dominum Oppedæ excusari 94.
à dicta caducitate, & ab ea releuari debere, eo quòd soluere cessauerit eo demum tempore, quo ab hac patria Legatus missus per Christianissimum Francorum Regem, cuius pacti nimium rigorosi † moderationem obtinuit Ma- 95.
gnificus Dominus Ioannes Meynerij eius filius, & in dicto feudo successor, & Protopræses dum viueret in prouincia Prouinciæ in ampliationibus primæ concessionis, & erectione dicti feudi in Baroniam sibi gratiosè concessis per summos Pontifices, qui successiuè fuerunt, quæ omnia per me visa sæpiùs fuerunt, & examinata in litibus, & causis, quas patrocinando & consulendo in eius victoriam reportauit tam hîc Auenioni, quàm in Vrbe pro Perillustri & Excellentissimo domino Vincentio Anna de Meynerij, eiusdem Ioannis ex Anna filia pronepote, nunc primo

Præside dignissimo & integerrimo in prouincia Prouinciæ contra homines incolas & habitatores loci Oppedæ,
96. eius subditos homaniales. Et circunscripta † huiusmodi lege rigorosa si per triennium cessauerit instar emphyteu-
97. tæ, non purgata mora ante litem contestatam, † iuxta no-
98. tat. *in cap. potuit, extrà de locat.* prout ego purgaui † moram per authorem meum commissam soluendo in promptu, & sine aliqua interpellatione arreyragia plurium annorum canonis duorum ducatorum auri de Camera, qui annuatim soluuntur in festo Beatorum Petri & Pauli Apostolorum immediatè decursa, qua de re videndus in puncto Curt. iunior *de feud. part. 4. num. 179. in fin.*



CAPVT III.

De causis quæ fluunt ex culpa in committendo commissa.

SVMMARIVM.

1 *Culpa in omittendo commissa, & illius causa, non egreditur terminos delicti feudalis; culpa verò in committendo commissa quandoque extra terminos delicti feudalis consideratur, & quandoque illius terminos, seu limites non egreditur, feudum nempe respiciens, & illius occasione tantummodo commissa.*

2 *Delicta ratione feudi, siue in omittendo, siue in committendo admissa, & propter quæ vasalli feudo priuantur, veniunt feloniæ appellatione tam quoad vasallum, quàm quoad dominum, cùm vterque dicatur respectiuè feloniam incurrere.*

3 *Felonia militare est vocabulum, à verbo Græco φήλωμα, vel φήλωσις deriuatum, ex sententia Cuiacij, quo significantur inuestitura, deceptiones, fallaciæ, & his similia.*

4 *Felonia vocabulum secundùm alios dicitur esse barbarum, quod à Francis Orientalibus, vel Longobardis, eorum vicinis, fluxit.*

5 Franci

5 *Franci Orientales fuere primi feudorum authores, qui in Gallias eorum vsum introduxerunt anno salutis 420. vnde Gallia Franciæ nomen sibi assumpsit.*

6 *Longobardi primi feudorum vsus introduxere in eam Italiæ partem, quæ ab ipsis hodie Lombardia denominatur, anno salutis 572.*

7 *Apud Gallos* felon *is dicitur, qui in corde perfidiam, ingratitudinem, & his similia mala machinatur, vocabulum apud ipsos vsu receptum vnà cum feudorum vsibus.*

8 *Delicta quædam à vasallis committuntur extra causam feudi, quæ cæteris feuda non obtinentibus communia sunt.*

9 *Delicta feudalia remissiuè recensentur.*

10 *Vasallus feudo priuatur, si dominum cucurbitauerit, id est, si cum eius vxore concubuerit, vel cum ea concumbere se exercuerit, vel si cum ea turpiter luserit.*

11 *Vasallus feudo priuatur nedum si adulterium consummauerit, vxorem domini carnaliter cognoscendo, verùm etiam, si id facere attentauerit.*

12 *Vasallus dicitur attentare adulterium, si vxorem domini comprimere conatur, ad proximum actum deueniendo.*

13 *Vasallus dicitur turpiter cum vxore domini ludere, puta per manuum immissionem in sinum, vel ad pectus, vel ad loca inferiora, vel etiam per osculum signanter luxuriosum.*

14 *Apud Italos turpis ille lusus exactè & rigorosè punitur, licèt apud Gallos Auenioni, & in patria Comitatus Venaissini rigor ille sit valde temperatus, ob licentiam tales lusus exercendi, quam iuuenes vsurparunt cum mulieribus etiam virginibus familiariter conuersantes.*

15 *Conuersatio iuuenum cum puellis & mulieribus fieri consueuit vt plurimum sine honestatis detrimento, quæ tamen non caret periculo si nimis frequenter fieret, præsertim in secreto.*

16 *Iudex pro sua prudentia æstimare debet circunstantias eiusmodi lusum, & quo animo & intentione id factum fuerit, si palàm iuxta regionis consuetudines, vel in occulto.*

17 *Vasallus feudo non priuatur si verbis turpibus fuerit allocutus vxorem domini.*

18 *Pudicitia non dicitur tentari per verba turpia, sed potiùs iniuriâ inferri.*

19 *Vasallus feudo priuatur si litteris amatoriis munerum illecebris pudicitiam vxoris domini sui sollicitet, custodes & familiam corrumpendo, aliisque artibus ad expugnandam eius pudicitiam vtendo.*

20 *Vasallus dans consilium vxori domini sui, de se prostituendo, vel eam alteri adulterandam tradens, puta domum sua habitationis, vel alicuius amici accomodando, quo se inuicem viserent & colloquerentur, & inde ad ipsum actum deuenirent, feudo priuatur.*

21 *Ob adulterium commissum, seu attentatum in persona vxoris domini, pœna priuationis feudi locum habet, si in sponsa domini etiam nondum ad domum traducta, commissum, vel attentatum fuerit.*

22 *Nuptia prohibentur inter me & eam qua fuit simpliciter sponsa patris, vel inter patrem, & eam, qua fuit sponsa filij ratione publica honestatis.*

23 *Species nuptiarum domini per vasallum dehonestari non debet.*

24 *Vasallus stuprum committens, vel attentans in persona vidua ipsius domini sub eius nomine vitam vidualem agentis, ex quorumdam sententia priuatur feudo, licèt contraria opinio sit verior, benignior & aequior, & propterea in iudicando, & consulendo sequenda.*

25 *Pœna contra vasallum statuta ob adulterium commissum, seu attentatum in persona vxoris & sponsa, locum habent, si committatur, vel attentetur stuprum in persona filia neptis ex filio, nurus, vel sororis in capillo existentis.*

26 *Soror in capillo iuxta constitutiones & consuetudines Regni Sicilia, dicitur ea, qua in domo domini innupta manet, & cui propterea dos de paragio sit assignanda, vt secundò genitis vita, militia, signanter de feudis qua reguntur more Francorum.*

27 *Vasallus feudum non amittit, si domini sororem nuptam, vel viduam, etiamsi cum domino inhabitet, cognouerit carnaliter, vel iniuria atroci affecerit, & n.29.*

28 *Vasallus ob sororem domini nuptam, vel viduam, carnaliter cognitam, non tam dicitur domino iniuriam inferre, quàm eius marito, seu mariti haredibus.*

29 *In*

29 *Intereſt domini ſororem innuptam non ſtuprari, dum eam ſemel corruptam non tam facile, nec cum mediocri dote nuptui tradere valeat.*

30 *Ampliatur dicta pœna priuationis, ſi in perſona matris domini ſimile quid attentatum, vel commiſſum fuerit.*

31 *Mater & vxor ad paria iudicantur, præſertim in honoribus exhibendis.*

32 *Pœna amiſſionis feudi contra vaſallum ordinata locum habet, ſiue volentes, ſiue nolentes fœminæ vaſallum ad complexus venereos admiſerint, cùm vtroque caſu dominus iniuria afficiatur.*

33 *Iuris interpretatione fœminæ licèt volentes ad complexus venereos vaſallum admiſerint, cenſentur in eam voluntatem condeſcendiſſe per ſollicitationes vaſalli qui eas compreſſerit.*

34 *Vaſallus nón priuatur feudo, etiamſi cognouerit prædictas mulieres inhoneſtè viuentes, præſertim ſi vulgares fuerint.*

35 *Dominus permittens eius vxorem, filiam, nurum, ſororem, & alias ſuprà relatas, turpiter & inhoneſtè viuere, earum adulterium, aut malos mores non vindicare, dum facere poteſt, tacitè pati dictos malos mores, & illis conſentire videtur.*

36 *Ob domini tacitam voluntatem & conſenſum vaſallus dictas mulieres carnaliter cognoſcens, feudo non priuatur.*

37 *Pœna amiſſionis feudi non intrat contra vaſallum ſe commiſcentem cum dictis mulieribus ſolutis & vulgaribus exiſtentibus.*

38 *Vaſallus ſe commiſcens cum vxore domini, quæ vulgariter ſe proſtituit ob probabilem ignorantiam quòd ſit vxorata, feudo non priuatur.*

39 *Deprauati mores & vita deprauata dictarum mulierum in contumeliam & iniuriam domini initium non habuere à vaſallo, qui eas ſe publicè proſtituentes cognouit carnaliter, ſed ab aliis, cum quibus antea malè viuere cœperant, & ea potiſſimum de cauſa feudo non priuatur.*

40 *Vaſallus ſe commiſcens cum aliis mulieribus præter ſuperiùs expreſſas, licèt in domo domini maneant, feudo ea de cauſâ non priuatur.*

41 *Pœnæ non sunt extendendæ, sed restringendæ.*

42 *Vasallus feudo non priuatur si compresserit pedissequam in domo domini manentem, licèt ea de causa dicatur honoris dominici temerator.*

43 *Vasallus feudo non priuatur, si concubinam domini compresserit.*

44 *Concubinatus hodie damnatus est, nec aliquo modo permissus, signanter de iure Pontificio.*

45 *Ius Pontificium omnino sequendum est in omni foro, dum agitur de animæ salute.*

46 *Hodie in concubinatu nulla potest attendi honestas, ob quam violatam vasallus feudo priuari debeat.*

47 *Ob huiusmodi cucurbitationes, signanter ratione vxoris, non solent personæ nobiliores, quales sunt domini vasallorum, accusationes iudicialiter proponere, ne propriam quodammodo detegant turpitudinem, & ne iudicibus aliisque iustitiæ ministris sint risui, sed aliis modis sibi bene visis vindictam sumere solent.*

48 *Vasallus feudo priuatur, si dominum assilierit per vim, vel per insidias vicum, seu oppidum, in quo sciat dominum, vel dominam esse, per vim, vel insidias aggressus fuerit, licèt oppidum ad dominum non pertineat.*

49 *Vasallus aggrediens castrum, seu oppidum ad dominum non pertinens, dum in eo dominus, seu domina inclusi reperiuntur, feudo priuatur.*

50 *Verbum* incolume, *quod apponitur in forma iuramenti fidelitatis, hoc operatur, ne vasallus sit in damno domino suo de corpore, id est, de vita, seu membri alicuius amissione, seu personæ læsione.*

51 *Aggressio castri ad dominum pertinentis, domino, seu domina absentibus, respicit contrauentionem iuramento fidelitatis, & ea de causa feudo priuatur.*

52 *Promissio facta in iuramento fidelitatis, per quam vasallus promittit domino non fore in damno de possessionibus suis, aggrediendo castrum domini, etiam eo absente, dicitur contrauenire dictæ promissioni, & propterea feudo priuatur.*

53 *Vasallus dominum interficiens, seu vulnerans, feudo priuatur.*

54 *Vasal*

54 *Vasallus feudo priuatur si impias manus in dominum vbicunque iniecerit, vel alias graues & inhonestas iniurias intulerit, siue reales, siue verbales sint.*

55 *Iniuria an sit atrox, necne, iudex æstimare debet.*

56 *Vasallus feudo non priuatur, ob leuiorem iniuriam domino illatam.*

57 *Vasallus feudo priuatur, non solùm ob atroces iniurias domino illatas, verùm etiam si eius vxori, nurui, sorori, in capillo existenti, liberis sub eius potestate positis, & aliis personis eius affectui subiectis.*

58 *Vasallus inferens domino, seu personis prædictis, graues & atroces iniurias, dicitur contrauenire iuramento fidelitatis, dum promittit se ex sua persona scienter numquam aliquid facturum quod pertineat ad domini & suorum iniuriam, vel contumeliam.*

59 *Vasallus feudo priuatur si domino alapam inflixerit, secus si manum tantùm leuauerit, nec eum percusserit.*

60 *Si quis contra aliquem manum leuauerit, non percutiendo, eo nomine vtili iniuriarum actione tantummodo tenetur, non directâ.*

61 *Vasallus manum leuans contra dominum, non percutiendo, propterea feudo non priuatur, sed iniuriarum vtili actione tantummodo tenetur, & eo nomine pœnam incurrit arbitrio iudicis æstimandam.*

62 *Vasallus feudum amittit si personam domini quocunque armorum genere, læserit, vel eius vitæ fuerit insidiatus, puta gladio, veneno, vel aliter quomodocunque.*

63 *Vasallus dominum offendens, se aduersùs eum necessariò defendendo, & quo se à periculo vitæ sibi per dominum illato liberet, feudum non amittit.*

64 *Vim vi repellere licet.*

65 *Dominus sine iusta causa vasallum aggrediens, feudi proprietate priuatur, quæ ipsi vasallo acquiritur.*

66 *Vasallus & dominus ad paria iudicantur.*

67 *Vasallus qua ratione domino fidelis esse debet, aliàs feudo priuandus, eadem quoque & pari ratione dominus vasallo fidelitatis vicem reddere debet.*

68 *Vasallus feudo non priuatur ob solam & nudam cogitationem,*

licèt

licèt per se solus animo conceperit etiam iuramento interposito, dominum offendere in persona, vel ipsum interficere.

69 *Iuramentum de offendendo dominum vasallo nocet, si fiat cum aliis, facta in id conspiratione, vel si ad aliquem actum proximum deuenisset, quamuis postea ab eo destitisset, vel superatus dominum offendere non potuisset.*

70 *Voluntas ad actum deducta, non autem exitus, attenditur.*

71 *Vasallus domini secreta, id est, dicta, vel facta sibi commissa, vel aliter sciens reuelans animo nocendi, feudo priuatur.*

72 *Credentiam manifestare nihil aliud est, quàm secretum sibi à domino commissum in ipsius damnum, vt ei noceat, reuelare.*

73 *Vasallus secreta domini aliter sciens, quàm per credentiam sibi à domino commissam animo nocendi scienter propalans, ita demum feudo priuatur, si ex ea propalatione dominus reuera damnum senserit, vel graue dispendium sustinuerit.*

74 *Vasallus secreta sibi à domino commissa scienter animo nocendi reuelans, licèt dominus damnum non senserit, feudo priuatur.*

75 *Vasallus qui secretum sibi à domino confidenter commissum scienter animo nocendi reuelat, dicitur esse in maiori perfidia, & quodammodo in proditione constitutus, & delinquit contra expressum tenorem iuramenti fidelitatis sub verbo tuto.*

76 *Vasallus vtroque casu, siue secretum sibi confidenter commissum, siue aliter sciens reuelauerit, eo nomine iudicialiter à domino interpellatus etiam, dicens, se non malitiosè reuelasse, non eximitur à pœna, nisi quatenus probauerit abfuisse dolum, fraudem, seu animum damnificandi, cùm versemur in prohibitis.*

77 *Vasallus feudo priuatur, si dominum detulerit in causa criminali, eum accusando, vel denunciando, vel ipsius crimen occultum propalando, in iudicium criminale detruserit.*

78 *Vasallus feudo priuatur, si in causa ciuili non modica, sed magni momenti ipsi domino scienter & dolo malo litem suscitauerit.*

79 *Vasallus feudo priuatur, si in causa criminali, vel ciuili magni momenti testimonium dixerit contra dominum, vnde honoris, vel in bonis, seu eorum maiori parte dispendium sustinuerit.*

80 Textus

80 *Textus* in cap.vnic. §. fin. de consuet. rect. feud. *authore Cuiacio appositè emendatur per transpositionem dictionis* modica, *eam reiiciendo à prima parte, & transferendo in secundam partem d.§.fin.*

81 *Causæ propter quas vasallus feudo priuatur, ferè eadem sunt cum causis ingratitudinis, propter quas parens filios exhæredare potest.*

82 *Vasallus dictis de causis feudo priuatur, ita suadente tam naturali, quàm ciuili ratione, vt infertur ex nouella constitutione Iustiniani, iustas exhæredationis causas recensente, & aliis veteribus constitutionibus iustas ingratitudinis causas pro repudio & reuocatione donationum semel perfectarum in se continentibus.*

83 *Vasallus dominum criminaliter accusando feudo non priuatur, si suam suorumque iniuriam prosequeretur, quo nomine multa specialia de iure introducta fuere.*

84 *Vasallus itidem feudo non priuatur, si ciuiliter pro suo interesse agat contra dominum, quamuis per sententiam notam infamiæ incurrere debeat, quia prius ipse à domino fuerit offensus.*

85 *Vasallus dominum criminaliter accusando feudo non priuatur, si id faciat ex necessitate officij sibi incumbentis, puta quia fisci promotor, vel si ageretur de vindicanda nece eius cui hæres extitit.*

86 *Vasallus prudentiùs faciet si in officio existens abstineat se à tali accusatione, alium loco sui subrogando.*

87 *Nullus iudex tam durus, qui vasallum circunscripta officij necessitate prout decet recusantem, cogat ad suscipiendam aduocationem causæ siue criminalis, siue ciuilis non modicæ aduersùs eius dominum.*

88 *Vasallus item excusatur, si præcisè absque conclusionis suspicione à iudice, vel magistratu cogatur ad patrocinandum, vel testimonium ferendum contra dominum, etiam in causa criminali.*

89 *Vasallus item excusatur, si dominum accusauerit, vel contra eum testimonium dixerit pro crimine læsæ maiestatis contra Principem, seu Rempublicam per dominum admisso.*

90 *In iuramento fidelitatis quod per vasallum domino præstatur,*

semper iuris interpretatione excipitur Rex, seu Imperator, vel aliàs is, penes quem suprema maiestas residet.

91 *Multa specialia inducta fuere pro conseruatione supremæ authoritatis, & ipsius status, quæ per authorem recensentur in suo tractatu de crimine læsæ maiestatis.*

92 *Antiquior dominus licèt supremus non sit, iuris interpretatione censetur pariter exceptus in dicto iuramento fidelitatis.*

93 *Vasallus feudo priuatur, si iudex existens contra dominum, sententiam iniquam dolo, vel lata culpa tulerit, vel aliàs iustitiā desuper legitimè requisitus domino reddere noluerit.*

94 *Vasallus feudo priuatur, si à domino interpellatus pro recognitione feudi negauerit esse feudum in totum, vel pro parte, vel ipsius feudi conditionem scienter & dolo malo, vel sciens dubitanter responderit.*

95 *Vasallus dubitanter respondens super feudi conditione excusatur si eam probabiliter ignoret.*

96 *Vasallus liberatur à pœna per negationem incursa si pœnitentia ductus domino se submittat, paratus feudum ab ipso recognoscere, iuxta petitionem domini, refundendo litis impensas, & resarciendo damnum quod dominus per inficiationem passus fuerit.*

97 *Vasallus moram per inficiationem, seu dubiam responsionem ab eo incursam purgare potest ex communi Feudistarum opinione, etiam post litis contestationem, siue generaliter, siue specialiter, negando litem contestatus fuerit, dummodo ante sententiam.*

98 *Vasallus domini ius interuertendo, alterum puta in dominum recognoscens, eique fidelitatem sponte iurans, feudum omnino amittit.*

99 *Vasallus grauius delinquit alium recognoscendo in dominum, & sic ius veri domini interuertendo, quàm si simpliciter negando litem contestetur.*

100 *Vasallus metu coactus, vel per armorum impetum, cui resisti non potest, alium in dominum recognoscendo, feudum non amittit.*

101 *Vasallus cum inimico, multo magis cum hoste domini sui, amicitias si contraxerit, animo nocendi domino suo, non metu coactus feudum amittit.*

102 *Va*

102 *Vasallus metu coactus, aut vi armorum deficiens à vero domino, feudum non amittit.*



Idendum itaque restat de causis quæ fluunt ex culpa in committendo commissa, † propter 1.
quas vasalli beneficium, seu feudum amittunt. Et quidem causæ suprà proximè relatæ, non egrediuntur terminos delictorum feudalium, sed sub eorum limitibus omnino continentur; hæ verò causæ, de quibus nunc agendum est, quædam dominum feudi respiciunt, & ratione feudi committuntur à vasallo, ideoque limites delictorum feudalium non egrediuntur,
sed sub illis includuntur, quæ delicta † ratione feudi, siue 2.
in omittendo, siue in committendo, admissa, & propter quæ vasalli feudo priuantur, veniunt appellatione feloniæ, scilicet, quoad vasallum delinquentem, *in cap. vnico. vers. & ideo, de vasall. qui contr. constit. Lothar.* Et quoad vasallum & dominum feudi respectiuè *in cap. vnic. qualiter dominus feud. propriet. priuet. & in § domino committente, sub tit. si de feud.*
defunct. content. sit. quod feloniæ vocabulum † Cuiac. *in cap.* 1. 3.
quibus mod. feud. amitt. firmat esse militare vocabulum, à Græco φήλωμα, vel φήλωσις deriuatum, quo significantur imposturæ, deceptiones, fallaciæ, cuius sententiæ lubens subscribo; non improbans tamen eos, qui censuere illud vo-
cabulum † barbarum esse, forsan à Francis Orientalibus, 4.
qui † primi fuere feudorum authores, eorumque vsum in 5.
Gallias introduxere anno salutis 420. & eorum vicinis
Longobardis vulgò nuncupatis, † qui in eam Italiæ partem 6.
vulgò ab ipsis Lombardiam nuncupatam feuda primùm introduxere anno salutis 572. vt suprà *in Prolegomenis* abun-
dè fuit demonstratum *num.* 5. *&* 6 vnde apud Gallos, † qui 7.
nunc Franci denominantur, vulgari idiomate *felon* is dicitur, qui in corde perfidiam, ingratitudinem, & his similia mala machinatur, quod vocabulum apud ipsos receptum fuit vnà cum feudorum vsibus.

Quædam verò delicta † committuntur à vasallis extra 8.
causam feudi, quæ communia sunt cæteris hominibus feudum minimè obtinentibus.

9. Et quidem varia delicta † feudalia recensentur per Obert.*vbi suprà proximè, in d.tit. quæ fuit prima cauſ. benefic. amitt.* §.2.*verſ.rurſus,& ſeqq.* necnon in titulis *de form.fidelit. & de nou.form.fidel* in quibus tenor iuramenti fidelitatis cum eius capitibus, ad quæ vaſallus iuratò ſe ſpecialiter & diſertè adſtringit, *& in tit.*57.*& 97.lib.2.feudorum*, & per Gerardum de Nigro *lib.* 1.*feudorum tit.* 5. *tit.* 17. *& tit.* 21. Et
10. *primò* quidem feudo priuatur vaſallus, † ſi dominum cucurbitauerit, id eſt, cum eius vxore concubuerit, vel concumbere ſe exercuerit, vel cum ea turpiter luſerit.*cap.vn.* §. *item ſi fidelis*, *eod.tit.*5. *tit.* 17. *& tit.* 21. §.*fin. verſ. vel ſi concubuerit lib.*1.*& tit.*38.*verſ. eum fortè cucurbitando*, *& tit.* 57.*verſ. vel ſi eum cucurbitauerit, lib.* 2. quibus addi poterit conſtitutio Henrici II. Imperatoris ſecunda in ordine à Cuiac.poſita ſub *lib.* 5. *feudorum*, in illis verbis, *vel eum*
11. *cucurbitauerit.* Vnde feudo priuatur, nedum ſi † adulterium conſummauerit, vxorem domini carnaliter cognoſcendo, verùm etiam, ſi id facere attentauerit, modis puta relatis *in l.item apud Labeonem.* §. *ſi quis virginis. & §§.ſeqq.ff.de in-*
12. *iuriis*. Vel etiam dum conatur eam comprimere † ad proximum actum deueniendo, *d.§.item ſi fidelis*, vel cum ea tur-
13. piter luſerit, † puta per manuum immiſſionem in ſinum, vel ad pectus, vel ad loca inferiora, per gloſſ. *in d.§.item ſi fidelis*, *ſub verb.luſerit*, & præterea per oſculum ſignanter luxurioſum, de quo Roſenthal *cap.*10. *concl.*54. & Doctores
14. paſſim *in rubr.C. de eden.* quod apud Italos obſeruatur † exactè, licèt apud Gallos in hac patria non ſemper, nec ita rigoroſè ſeruetur, ob maximã licẽtia tales luſus exercendi, quam iuuenes vſurparũt cũ mulieribus, etiam virginibus fa-
15. miliariter conuerſantes, quæ vtplurimum † ſine honeſtatis detrimento ſolet exerceri, licèt non careat periculo. Si nimium frequentes forent eiuſmodi luſus, ſignanter in ſe-
16. creto, & inde iudex † pro ſua prudentia æſtimare debet circunſtantias eiuſmodi luſuum, & quo animo & intentione id factum fuerit, ſi palàm iuxta regionis conſuetudi-
17. nes, vel in occulto. Neque priuabitur feudo, † ſi verbis turpibus allocutus fuerit vxorem domini, quibus non di-
18. citur † tentari pudicitia, ſed potiùs iniuria inferri, *d.l.apud*

Labeo

Labeonem. §. qui turpibus. Secus tamen dicendum, † si litteris amatoriis, aut munerum illecebris eius pudicitiam sollicitasset, custodes & familiam corrupisset, aliisque artibus ad expugnandam eius pudicitiam vsus fuisset, vt notat in puncto Schenck Baro *in d. §. item si fidelis, num.* 11. Multo magis, si consilium † ei dederit se alteri prostituendo, vel eam alteri adulterandam tradiderit, puta domum suæ habitationis, vel alicuius amici accomodando, quo se viserent & colloquerentur, & inde ad ipsum actum deuenirent, per textum *in l. etsi amici. ff. ad leg. Iul. de adulter.* cum *ibi* not. per gloss. & DD. & in puncto Rosenthal *d. c. 10. concl.* 54.

19. 20.

Quæ de vxore dicta fuere, locum etiam habent † in sponsa domini, etsi nondum traducta sit ad domum mariti, vt commune firmat Rosenthal *dict. c. 10. concl.* 55. per textum *in l. si qua mihi vxor. §. 1. & 2. ff. de ritu nuptiarum*, vbi ob rationem publicæ honestatis prohibentur nuptiæ † inter me & eam, quæ fuit simpliciter sponsa patris, vel eam quæ fuit sponsa filij, cum aliis iuribus & authoritatibus in id allegatis, cùm neque species † nuptiarum domini per vasallum dehonestari debeat.

21. 22. 23.

Et idem iuris obtinere plerique censuere in vidua † ipsius domini sub eius nomine vitam vidualem agente, quos post gloss. *in c. 1. §. fin. de feud. sine culp. non amitt.* refert Vulteius *de feudis lib. 1. c. 11. num.* 31 *vers. quid de vidua domini*; qui tamen eos non sequitur, ob text. ex diametro repugnantem, *in d. §. fin* in illis verbis, *si concubuerit cum vxore domini sui, domino viuente.* Sed contrarium sentientes ab eo *ibidem* subsequenter relatos, quorum ego sententiam vti veriorem, benigniorem & æquiorem in iudicando & consulendo sequendam arbitror.

24.

Præterea idem iuris statuitur, si vasallus filiam † domini, neptem ex filio, nurum, vel sororem in capillo existentem stuprauerit, vel cum illis concubuerit, per text. *in d. §. item si fidelis, & in d. §. seu vers. rursus.* circa cuius articuli explicationem lubentissimè sequor Vulteium *vbi suprà proximè, d. num.* 31 *. vers. sed non in vxorem duntaxat reprobata emendatione.* textus *in dict. §. item si fidelis*, per Cuiac. *ibidem*, proposita præsertim quoad rationem diuersitatis inter neptem ex filio, &

25.

neptem ex filia, & quoad interpretationem illorum verborum sororis in capillo existentis, quæ iuxta consuetudines
26. † & constitutiones regni Siciliæ dicitur innupta,& cui propterea de fructibus dos de paragio sit assignanda, prout & secundogenitis vita, militia, signanter ea quæ reguntur more Francorum, vt suprà *in Prolegomenis. §. 1. num. 5. & in 2 part. c. 4. num. 29. vsque ad num.* 33. dictum fuit. Et illorum præterea verborum, *aut sorori in domo adhuc manenti,* quæ in capillo dicitur, indeque infertur, si fuerit nupta,
27. † vel forsan vidua, licèt cum fratre inhabitet, ob eam stupratam, seu carnaliter cognitam per vasallum,feudum non
28. amitti, quia non tam † iniuria domino fuerit illata, iuxta illa verba, *ad tuam tuorumque contumeliam*, de quibus in iuramento fidelitatis *d. cap. vnico, de forma fidelit. cap. vnico, de nou. for. fidel.* quàm eius marito, seu illius hæredibus. Et
29. quia domini etiam intersit † sororem innuptam non stuprari, dum eam semel corruptam non tam facilè, nec cum dote mediocri nuptui tradere valeat. Et præmissa ad ma-
30. trem † extenduntur, ex Rosenthal *dict. c.* 10. *concl* 56. licèt in feudalibus textibus nulla habeatur mentio, argumento textus *in §. si autem, Auth. de Consulibus.* vbi mater Consulis
31. † æquiparatur eius vxori, & in honoribus exhibendis ad
32. paria iudicantur. Et pœna iam dictæ amissionis † feudi locum habebit, siue volentes, siue nolentes dictæ fœminæ vasallum ad complexus venereos admiserint; vtroque enim casu dominus iniuria afficitur argumento text. *in l. 1. §. vsque.*
33. *ff. de iniur.* maximè cùm iuris interpretatione † censeantur in eam voluntatem condescendisse per sollicitationes vasalli, qui eas compresserit. Dum verò quidam ex interpretibus indistinctè voluere eam pœnam locum habere, siue dictæ mulieres honestè, siue inhonestè viuant, id non facilè admiserint, præsertim si vulgares fuerint, quæ palàm
34. & publicè † se prostituant, quia dum permittit dominus
35. eius vxorem ita turpiter † viuere, nec eam, seu eius adulterium & malos mores vindicare voluerit, prout poterat. *l. si vxor. §. sed & in ea. ff. de adulter.* tacitè pati & consentire
36. videtur, quo casu ob tacitam voluntatem † domini concurrentem pœna amissionis feudi locum non habebit, ex Rosen

Rosenthal *d. cap.* 10. *concl.* 58. qui *concl.* 57. *in littera F.* in ea fuerat sententia, vt si mulieres istæ solutæ fuissent, † & 37.
vulgares, dicta pœna non intraret, per textum *in d. §. sed & in ea, circa finem.* nec loquitur ille textus de vindicando adulterio contra se commiscentes † cum vxore, quæ vulgaris 38.
effecta fuerat, cuius qualitatis probabilem ignorantiam etiam prætendere poterant. Et ea poterit etiam ratio afferri, quia deprauati mores, † & vita deprauata dictarum 39.
mulierum in contumeliam & iniuriam domini non habuere initium ab eo, qui eas se publicè prostituentes carnaliter cognouit, sed ab aliis cum quibus antea malè viuere cœperant, nec incurreret pœnam amissionis † feudi, si cum 40.
aliis fœminis præter superiùs expressas etiam domino suo attinentibus, & in eius domo manentibus se commiscuerit, cùm de ipsis in vsibus feudorum nulla omnino mentio habeatur, nec pœnæ † sint extendendæ, sed restringendæ. 41.
l. cùm quidam. ff. de liber. & posth. vnde multo magis nec ea pœna locum habebit in vasallo, † qui compresserit pedissequam, vel famulam in domo domini manentem, ex communi Feudistarum opinione, *in d. §. item si fidelis,* licèt ea de causa dicatur honoris dominici temerator, per glos. *in can. de forma* 22. *q.* 15. quod à fortiori locum habere debet, si concubinam † domini compresserit, stante potissimum, quòd 43.
hodie concubinatus † sit omnino damnatus, nec aliquo 44.
modo permissus, ex Nouella Leonis 91. signanter de iure Pontificio, quod in istis † sequendum est, in quibus agitur 45.
de salute animæ, postquam ea de causa in concubinatu nulla † possit attendi honestas, ob quam violatam vasallus feudo 46.
priuari debeat, & ex Lauden. *in d. §. item si fidelis,* quem refert & sequitur Vulteius *vbi suprà num.* 31. *vers. vxori iure ciuili,* & signanter *in vers. nam quia,* &c. Verùm aduertendum est ob eiusmodi † cucurbitationes, præsertim dum de 47.
vxore domini agitur in iudiciis, non solere dominos agere ad priuationem feudi, quia non consueuerunt personæ nobiliores, quales sunt domini vasallorum, eiusmodi causas in iudicium deducere, ne propalando turpitudinem personarum ita strictè sibi attingentium propriam quodammodo detegant, & ne sint risui iudicibus, aliisque iustitiæ

mini

neptem ex filia, & quoad interpretationem illorum verborum sororis in capillo existentis, quæ iuxta consuetudines
26. † & constitutiones regni Siciliæ dicitur innupta, & cui propterea de fructibus dos de paragio sit assignanda, prout & secundogenitis vita, militia, signanter ea quæ reguntur more Francorum, vt suprà *in Prolegomenis. §. 1. num. 5. & in 2. part. c. 4. num. 29. vsque ad num.* 33. dictum fuit. Et illorum præterea verborum, ***aut sorori in domo adhuc manenti***, quæ in capillo dicitur, indeque infertur, si fuerit nupta,
27. † vel forsan vidua, licèt cum fratre inhabitet, ob eam stupratam, seu carnaliter cognitam per vasallum, feudum non
28. amitti, quia non tam † iniuria domino fuerit illata, iuxta illa verba, ***ad tuam tuorumque contumeliam***, de quibus in iuramento fidelitatis *d. cap. vnico, de forma fidelit. cap. vnico, de nou. for. fidel.* quàm eius marito, seu illius hæredibus. Et
29. quia domini etiam interfit † sororem innuptam non stuprari, dum eam semel corruptam non tam facilè, nec cum dote mediocri nuptui tradere valeat. Et præmissa ad ma-
30. trem † extenduntur, ex Rosenthal *dict. c. 10. concl* 56. licèt in feudalibus textibus nulla habeatur mentio, argumento textus *in §. si autem, Auth. de Consulibus.* vbi mater Consulis
31. † æquiparatur eius vxori, & in honoribus exhibendis ad
32. paria iudicantur. Et pœna iam dictæ amissionis † feudi locum habebit, siue volentes, siue nolentes dictæ fœminæ vasallum ad complexus venereos admiserint; vtroque enim casu dominus iniuria afficitur argumento text. *in l. 1. §. vsque.*
33. *ff. de iniur.* maximè cùm iuris interpretatione † censeantur in eam voluntatem condescendisse per sollicitationes vasalli, qui eas compresserit. Dum verò quidam ex interpretibus indistinctè voluere eam pœnam locum habere, siue dictæ mulieres honestè, siue inhonestè viuant, id non facilè admiserint, præsertim si vulgares fuerint, quæ palàm
34. & publicè † se prostituant, quia dum permittit dominus
35. eius vxorem ita turpiter † viuere, nec eam, seu eius adulterium & malos mores vindicare voluerit, prout poterat. *l. si vxor. §. sed & in ea. ff. de adulter.* tacitè pati & consentire
36. videtur, quo casu ob tacitam voluntatem † domini concurrentem pœna amissionis feudi locum non habebit, ex

Rosen

Rosenthal *d. cap.* 10.*concl.* 58. qui *concl.* 57. *in littera F.* in ea fuerat sententia, vt si mulieres istæ solutæ fuissent, † & vulgares, dicta pœna non intraret, per textum *in d.* §. *sed & in ea, circa finem.* nec loquitur ille textus de vindicando adulterio contra se commiscentes † cum vxore, quæ vulgaris effecta fuerat, cuius qualitatis probabilem ignorantiam etiam prætendere poterant. Et ea poterit etiam ratio afferri, quia deprauati mores, † & vita deprauata dictarum mulierum in contumeliam & iniuriam domini non habuere initium ab eo, qui eas se publicè prostituentes carnaliter cognouit, sed ab aliis cum quibus antea malè viuere cœperant, nec incurreret pœnam amissionis † feudi, si cum aliis fœminis præter superiùs expressas etiam domino suo attinentibus, & in eius domo manentibus se commiscuerit, cùm de ipsis in vsibus feudorum nulla omnino mentio habeatur, nec pœnæ † sint extendendæ, sed restringendæ. *l. cùm quidam. ff. de liber. & posth.* vnde multo magis nec ea pœna locum habebit in vasallo, † qui compresserit pedissequam, vel famulam in domo domini manentem, ex communi Feudistarum opinione, *in d.* §. *item si fidelis*, licèt ea de causa dicatur honoris dominici temerator, per glos. *in can de forma* 22.*q.*15. quod à fortiori locum habere debet, si concubinam † domini compresserit, stante potissimum, quòd hodie concubinatus † sit omnino damnatus, nec aliquo modo permissus, ex Nouella Leonis 91. signanter de iure Pontificio, quod in istis † sequendum est, in quibus agitur de salute animæ, postquam ea de causa in concubinatu nulla † possit attendi honestas, ob quam violatam vasallus feudo priuari debeat, & ex Lauden. *in d.* §. *item si fidelis*, quem refert & sequitur Vulteius *vbi suprà num.* 31. *vers. vxori iure ciuili*, & signanter *in vers. nam quia*, &c. Verùm aduertendum est ob eiusmodi † cucurbitationes, præsertim dum de vxore domini agitur in iudiciis, non solere dominos agere ad priuationem feudi, quia non consueuerunt personæ nobiliores, quales sunt domini vasallorum, eiusmodi causas in iudicium deducere, ne propalando turpitudinem personarum ita strictè sibi attingentium propriam quodammodo detegant, & ne sint risui iudicibus, aliisque iustitiæ mini

37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47.

ministris, sed vindictam sumunt aliis modis sibi bene visis. Et hæc de cucurbitatione dicta sufficiant.

Secunda causa, seu culpa, quæ in committendo consistit, & ob quam feudum amittitur, per Obertum proponitur *in dict.cap.1. §.porrò, quæ fuit prima caus. benef. amitt.* si vasallus
48. dominum † assilierit per vim, vt *in dict.§ porrò*, vel per insidias, vt *in cap.1.§.si voluerit, de Capitan. qui cur. vendid.* quod etiam deciditur *in c.1. in fin. lib.1. tit.17. quib. mod. feud. amitt.* vel vicum, seu oppidum, in quo sciat dominum, vel dominam esse, per vim, seu insidias fuerit aggressus, *d.§.porrò*, vel castrum ipsius domini, *cap.1. §.similiter lib. 1. feudorum tit.5. quibus modis feudum amitt.* quod crediderim locum habere, etiamsi dominus, seu domina in eorum castro non fue-
49. rint, quia aggressio facta vici, † seu oppidi, ad dominum non pertinentis, dum in eo præsentes includuntur, perti-
50. net ad contrauentionem † factam iuramento fidelitatis, quo inter cætera promittit, ne sit in damno domino suo de corpore suo, sub *verb. incolume, cap. vnic. de form. fidelit.* id est, de vita, membri alicuius amissione, seu personæ læsione.
51. *cap.1. vers. ego iuro, de nou. form. fidelit.* Castri verò † ipsius domini eo absente aggressio respicit contrauentionem eidem iuramento, quo præterea promittit non fore ei in dam-
52. no † de possessionibus suis. *d.c.1. vers. vtile, de form. fidelit. & tit. seq. de nou. form. fidelit. vers. & si contigerit.* quod etiam confirmatur per constitutionem Henrici II. Imperatoris præallegatam, in illis verbis, *vel contra ea quæ in fidelitate nominantur, fecerit.* Et eadem ferè verba leguntur *in cap.1. de feud. sine culp. non amitt.* scilicet, si ex culpis iis, vel causis conuictus non fuerit, quas milites vsi sunt nominare, &c. & ita distinguendo disertè & eleganter explicat post alios Vulteius *vbi suprà cap. 11. num.38.* Inde infertur vasallum
53. feudo † priuari, si dominum interfecerit, seu vulnerauerit, vt disertè exprimitur per Henricum II. *in dicta constitutione præcitata*, & sic in eius vita, vel persona eum læserit, contra ab eo promissa in dicto iuramento fidelitatis, sub tit. *de form. fidel. & de nou. form. fidelit.* & nominatim deciditur *in d.*
54. *§.porrò.* vel impias manus † in dominum iniecerit, vel alias graues, vel inhonestas iniurias intulerit, quod nedum de-

de realibus, verùm etiam de verbalibus iniuriis accipiendum erit, ex Rosenthal *d. cap.* 10 *concl.* 21. Et an fuerint † graues, seu atroces, necne, æstimabit iudex ex circunstantiis, de quibus *d. l.* 7. *§. atrocem. ff. de iniuriis. §. atrox, Instit. eod. & in l. aut facta. ff. de pœnis*, quia certum sit † ob iniuriam leuiorem vasallum feudo non priuari, ex Mozz. *ex quibus cauf. feud. amitt. num.* 26. nec incurrit solùm eam pœnam amissionis ob iniuriam atrocem ipsi domino, verùm etiam, si personis † eius potestati, vel affectui subiectis, quales sunt liberi sub eius potestate positi, vxor, nurus, iuxta *l.* 1. *§. item aut per semetipsum. ff. de iniur. §. patitur, Instit. eod.* quod extendendum erit ad sororem domini in capillo existentem, & alias personas, de quibus *in d. §. rursus, quæ fuit prim. cauf. benef. amitt.* quod videtur nominatim decisum per textum *in d. §. porrò*, dum *ibi* Obertus generaliter loquitur, per verba supradicta, vel alias graues, vel inhonestas iniurias intulerit, & manifestè probatur † per textum *in d. cap. vnic. circa fin. de nou. form. fidel.* in illis verbis, *& numquam faciam scienter aliquid ex persona mea quod pertineat ad tuam tuorumque iniuriam, & contumeliam.* 55. 56. 57. 58.

Vnde fluxit ea conclusio apud Feudistas communiter recepta *in d. cap.* 1. *§. porrò, quæ fuit prim. cauf. benef. amitt.* ita referente Vulteio post Afflict. Zas. Mozz. & Rosenthal ab eo in id allegatos *d. cap.* 11 *num.* 24. *verf. septimò vasallus*, &c. si vasallus † domino alapam inflixerit, feudo priuari, secus si contra dominum manum duntaxat leuauit, nec eum percusserit. Et quamuis in hac vltima parte videatur ab illis dissentire post Curt. iun. *de feud.* 4 *part. cauf.* 12. per textum *in d. l. item apud Labeonem. §.* 1. *ff. de iniur.* quia textus ille potius fauet dictæ conclusioni, quàm repugnet, postquam eo casu non directam, † sed vtilem tantùm iniuriarum actionem eo nomine dari deciditur. Et sic ex eo rectè infertur, † domino quidem dari ea de causa iniuriarum actionem, quæ tamen non tendat ad pœnam priuationis feudi, sed aliam arbitrio iudicis, perpensis circunstantiis, imponendam. Et præmissa procedunt quocumque armorum † genere personam domini læserit, vel eius vitæ fuerit insidiatus, puta gladio, veneno, vel aliter quomodocunque, 59. 60. 61. 62.

vt sonant verba textus *in d. §.porrò, circa finem.*

63. Limitatur autem, si vasallus † dominum offenderit, se aduersùs eum necessariò defendendo, quo se à periculo vitæ sibi per dominum illato liberaret, quia cuique per-
64. missum est vim vi † repellere. *l. vi vim*, cum *ibi* not. per gl.
65. & DD. *ff. de iustit. & iur.* Imò dominus † sine iusta causa vasallum aggrediens, proprietate feudi priuabitur acquirenda
66. ipsi vasallo, cùm dominus † & vasallus ad paria iudicen-
67. tur. Qua enim ratione vasallus † domino fidelis esse debet, aliàs feudo priuandus; eadem quoque, & pari ratione dominus vasallo fidus esse debet, & in his omnibus, ad quæ tenetur vasallus ex iuramento fidelitatis vicem reddere, *d. cap. vnic. §. fin. de form. fidelit.* & ita disertè & expresè deciditur *in c. 1. §. domino committente, si de feud. defunct. content. sit, & in cap. vnic. qualiter dominus propriet. feud. priuet.* Limi-
68. tatur secundò, si vasallus in terminis † nudæ cogitationis steterit. *l. cogitationis pœnam. ff. de pœn.* puta si vasallus per se solus animo conceperit, etiam iuramento interposito dominum offendere in persona, vel ipsum interficere, ex Ro-
69. senthal *d. cap. 10. concl. 23.* secus si † iuramentum fieret cum aliis in id conspiratione factâ. Rosenthal *d. concl.* 23. vel si ad aliquem actum proximum deuenisset, quamuis ab eo postea destitisset, vel superatus dominum offendere non
70. potuisset, quia eo casu non tam exitus, † quàm voluntas ad actum deducta attenditur. *l. Diuus Adrianus. ff. ad leg. Corn. de sicar.* textus est rotundus ea de re *in cap. 1. §. si voluerit,* cum *ibi* not. per gloss. & DD. *de Capitan. qui cur. vendid.*

Tertia causa, seu culpa in committendo consistens, ob
71. quam vasallus feudo priuatur, est si domini secreta, † id est, dicta, vel facta sibi commissa, vel aliter sciens reuelauerit, & scienter manifestauerit animo nocendi domino.
72. *cap. 1. quib. mod. feud. amitt.* vbi credentiam † manifestare nihil aliud est, quàm secretum sibi à domino commissum in illius damnum, vt ei noceat, reuelare, vel aliàs quomodocunque sciuerit, scienter animo nocendi propalare;
73. si tamen dominus † ex ea propalatione damnum reuera senserit, *d. cap. 1. §. item si delator, quæ fuit prim. caus. benef. amitt.* in illis verbis, *& per suam delationem graue dispendium*

eum

eum sustinere fecerit. quod tertium requisitum † omnino necessarium arbitror in delatione secreti sibi à domino non commissi, quamuis in delatione secreti sibi à domino commissi duo illa requisita, si concurrant, hoc tertio circunscripto sufficerent ad feudi amissionem: in qua sententia fuere Gigas *de crim. læsæ maiest. quæst.* 21. *num.* 8. & Borcholt, *de feudis cap.* 8. *num.* 26. *in fin.* Ratio diuersitatis inter vtrunque casum ea potest afferri, quia hoc posteriore casu in maiori perfidia † dicitur esse vasallus, qui secretum sibi à domino suo confidenter commissum scienter & animo nocendi reuelat, delinquendo contra expressum tenorem iuramenti fidelitatis. *d. cap. vnic. in verb. tutum*, *de form. fidelit.* & aliquid propterea nedum perfidiæ, verùm etiam proditionis admixtum habeat: vtroque tamen casu † vasallus ea de re iudicialiter interpellatus domino instante cùm versemur in prohibitis se domini secreta non malitiosè reuelasse dicens, non eximitur à pœna, nisi quatenus probauerit abfuisse dolum, fraudem, seu animum damnificandi. 74. 75. 76.

Consequenter & quarta poterit addi causa, propter quam vasallus feudo priuatur, si dominum detulerit, † id est, in causa criminali eum accusauerit, seu denuntiando, eius crimen occultum propalando in iudicium criminale eum detruserit, vel in causa ciuili † non modica. Sed magni momenti ipsi domino scienter & dolo malo litem suscitauerit, vel in dictis causis † testimonium dixerit contra dominum, vnde honoris, vel in bonis, seu eorum maiori parte dispendium sustinuerit, feudo priuatur, prout plerique in eo sensu accipiunt text. *in d. §. item si delator.* & nominatim ita deciditur *in cap. vnic. §. fin. de consuet. rect. feud.* iuxta emendatam, † seu purgatam lectionem Cuiacij, per transpositionem dictionis *modica*, *in prima part. d. §. fin.* positæ, eam reiiciendo *ad* 2. *part.* itaut prohibeatur vasallus dominum accusare, vel contra eum dicere testimonium in causa ciuili, aut criminali, cum modificatione quæ statim subiicitur: quidam tamen dicunt in criminali non licere in ciuili modica licere, ita Cuiac. legit, & res tota perspicua redditur. Et ita declaratur text. *in Nouel.* 115. *cap.* 3. §. 7. dum causas ingratitudinis recenset, propter quas licèt parenti- 77. 78. 79. 80.

81. bus filios exhæredare, quæ ferè eædem, † quæ superiùs expressæ sunt; propter quas vasallus feudo priuatur, vnde non mirum si Obertus *in d. tit. quæ fuit prima caus. benef. amitt. in §. prædictis modis*, subiiciat modis suprà relatis, vasallum
82. feudo priuandum esse, † idque suaderi tam naturali, quàm ciuili ratione, vt colligitur & elicitur ex nouella constitutione iustas exhæredationis causas enumerante, nimirum *d. Nouel* 115. *cap.* 2. & aliis veteribus constitutionibus iustas ingratitudinis causas in se continentibus pro repudio & renouatione donationum semel perfectarum.

83. Quod tamen limitandum erit, nisi vasallus † criminaliter dominum accusando suam suorumque iniuriam prosequeretur, quo nomine multa specialia iure introducta fuere. *l.* 2. *&* *l.* 11. *cum simil. ff. de accusationibus*. facit text. *in cap.*
84. *qui cùm maior. §. si patris. ff. de bon. libert.* Vel ciuiliter † pro suo interesse ageret, quamuis per sententiam infamiæ notam incurreret, puta interdicto *Vnde vi*, ea nimirum ratione, quia priùs ipse à domino fuerit offensus, quam affert Vulteius *vbi suprà, d. cap.* 11. *num.* 27. *vers. quod de causa criminali hactenus*, &c. *in fin.* & facit textus *in cap. vnic. §. fin.* cum *ibi* notat.

85. Item & secundò limitatur, si ex necessitate † officij sibi incumbentis id faceret, quia fisci promotor. *l. post legatum. §. aduocatum. ff. de his quæ vt indignis*, vt in puncto tenet Sonsbecc. *de feudis par.* 12. *num.* 48. *vers.* 2. fallit, vel nisi ageretur de vindicanda nece eius, cui hæres extitit, ex Sonsbecc.
86. *part.* 10. *num.* 36. quamuis prudentiùs faceret, † si in officio existens abstineret, & alium loco sui subrogaret.

87. Nec tam durum iudicem † fore arbitror, qui vasallum, prout decet, reluctantem, circunscripta officij necessitate cogat ad suscipiendam aduocationem causæ siue criminalis, siue ciuilis, præsertim si non sit modica aduersùs eius dominum, itaut prætextu similis coactionis possit se vasallus excusare à pœna priuationis feudi: si tamen præcisè co-
88. geretur † absque collusionis suspicione, crederent eum à dicta pœna excusari, ex notat. per Rosenthal *cap.* 10. *concl.* 35. Idem erit si vasallus à magistratu præcisè cogatur ad ferendum testimonium, etiam in causa criminali, contra eius

eius dominum, vt per gl. *in d.* §. *item si delator.* & *ibi* DD. quos cum aliis authoritatibus in id congerit Rosenthal *d. cap.* 10. *concl.* 34. quod sæpissimè contingere solet.

Limitatur tertiò, si vasallus dominum accusârit, † vel contra eum testimonium dixerit, vel aliàs eum denunciarit pro crimine læsæ maiestatis contra Principem, seu Rempublicam per dominum admisso, eo quòd in iuramento † fidelitatis per vasallum præstito eius domino immediato, semper excipitur Rex, seu Imperator, vel aliàs is, penes quem suprema maiestas & authoritas residet. *cap. vnic.* §. 1. *de nou. form. fidel. & cap.* 1. §. *fin. de prohib. feud. alienat. per Fridericum*, pro cuius supremæ authoritatis & ipsius status conseruatione multa specialia † inducta fuere, ex not. *in l. quisquis. C. ad leg. Iul. maiest.* & per me seriatim deducuntur in meo tractatu *de crim. læs. maiest.* Imò & antiquior dominus, † licèt non sit supremus, censetur exceptus, *dict. cap. vnic.* §. *fin.* 89. 90. 91. 92.

Præmissa etiam procedunt, vt vasallus iudex † existens in causa sui domini, feudo priuetur, si contra eum sententiam tulerit iniquam, dolo, seu lata culpa, ex Rosenthal *d. cap.* 10. *concl.* 39. vel aliàs illi iustitiam reddere voluerit desuper legitimè requisitus. *cap. vnic. sub verb. honestum, de form. fidel. d.* §. *porrò, vers. illud tamen, & cap.* 1. §. *fin. de prohibita feud. alien. per Fridericum.* 93.

Quinta causa, seu culpa in committendo consistens, propter quam vasallus feudo priuatur, est si vasallus † à domino interpellatus pro recognitione feudi quod à domino habet, negauerit esse feudum in totum, vel pro parte, vel ipsius feudi conditionem, seu qualitatem, scienter & dolo malo, vel sciens dubitanter responderit, vt ea de re sunt text. disertissimi formales, & expressi *in cap.* 1. §. *vasallus, si feudum, & in* §. *vasallus feudum, si de feudo defunct. content. sit*, in quorum vltimo vult eximi à pœna † amissionis, si probabiliter ignorans, vel dubitanter responderit, secus si sciens & dolo non malo negauerit, sed etiam dubitanter responderit, per text. *in cap.* 1. §. *fin. de leg. Corrad.* poterit tamen se ab eiusmodi pœna † per negationem, vt præmissum est, incursa liberare, si pœnitentia ductus se domino submittat, paratus 94. 95. 96.

feudum ab ipso recognoscere, iuxta petitionem domini, ex Cacher. *decis.* 29. *num.* 13. *& seq.* & Bursat. *cons.* 49 *num.* 20. *vers. quinimo*, *vol.* 1. si tamen domino refundat expensas litis, & resarciat damnum quod ob inficiationem passus est, ex not. per Feudistas communiter *in d. §. vasallus*. affirmantes vasal-
97. lum id facere posse etiam † post litis contestationem, dummodo ante sententiam, quos sigillatim refert Vulteius *in d. cap.* 11. *num.* 28. *vers. & verò illa*, eamque probat sententiam non obstante aliquorum contradictione, quod procedit nedum si generaliter domini intentionem negauerit litem contestando, verùm etiamsi in specie negauerit.

98. Sed si vasallus† domini ius interuertendo alterum in dominum recognouerit, eique fidelitatem sponte iurauerit, feudum omnino amittit, quia longè magis deliquerit,
99.100. † quàm simpliciter negando, nisi metu coactus, † vel ob armorum impetum, cui resisti non potest, id fecerit, ex Rosenthal *d. c.* 10. *concl.* 78.

101. Idem dicendum, si vasallus cum inimico, † multo magis si cum hoste domini sui, amicitias contraxerit, animo & intentione domino nocendi, ex eo namque feudo priuatur. *cap. vnic. quot testes sint necessarij.* & ita interpretantur glos. & DD. *in d. §. item si fidelis*, *& in d. §. porrò.* quos cum aliis refert & sequitur Vulteius *d. cap.* 11. *num.* 29. vbi post eos
102. communem esse firmat, nisi forsan † iusto metu coactus & vi armorum id fecisset, vt eodem num. subiicit, *vers. sanè si iusto metu*, &c quo casu testatur ex communi Doctorum sententia eum excusari, & à dicta pœna eximi.

---

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Vasallus feudo priuatur, si atrox aliquod crimen commiserit, puta fratrem proprium, vel eius filios interficiendo, vel denique vnam ex his personis, quæ enumerantur* in l. 1. ff. ad legem Pomp. de parricid.

2 *Vasallus feudo priuatur si aliud crimen commiserit quod appellatione*

pellatione felonia continetur, & ratione cuius in Curia stare non possit.

3 *Vasallus committens crimen quod parricidij appellatione continetur, feudum amittit.*

4 *Fratres vtplurimum impelluntur ad interficiendum fratrem, seu eius filios, quo consequantur totam hæreditatem, bona, seu feuda fratris, vel eius filiorum, ideo non minus si ob interfectum fratrem, vel eius filios, feudo priuentur.*

5 *Vasallus interficiendo fratrem, seu fratris filios, etiam cessante ea causa impulsiua, non propterea minus feudo priuatur, quia tale flagitium parricidij appellatione venit.*

6 *Parricida inter honoratas personas stare non potest.*

7 *Vasallus qui parricidium committit, auaritia ductus, vt bona consequatur, quæ prætulit auaritia ductus proprio sanguini, multo magis feudo priuatur, & inter personas honoratas stare non potest.*

8 *Vasallus qui per insidias, vel proditoriè, maximè si veneno aliquem interfecerit, inter personas honoratas stare non potest, & propterea feudo priuatur.*

9 *Veneni præparatio sola ad actum aliquem deducta pro actu consummato habetur, & pari pœna punitur ob criminis atrocitatem.*

10 *Qui veneno necare aliquem tentat, proditoriè insidias parat alterius vitæ sub prætextu amicitiæ.*

11 *Vasallus efficitur infamis, signanter per assassinium & per homicidia qualificata, proditionem, vel insidias secum admixta habentia, & ideo inter personas honoratas in curte versari, nec admitti debet.*

12 *Vasallus qui simplex homicidium commiserit, puta cum militibus & personis honoratis conflictum habendo, se in eo actu honorificè gerens, ea de causa non propterea minus stare potest inter personas honoratas, & ideo feudo non priuatur.*

13 *Vasallus excusatur à pœna amissionis, licèt fratrem domini sui interfecerit, modò in illo actu honorificè se gesserit, multo magis ab ea pœna omnino eximitur, si personas omnino extraneas interfecerit.*

14 *Vasallus incestum cõmittens cum fœminis sibi artiori consanguinitatis,*

nitatis, seu affinitatis vinculo coniunctis, puta matre, sorore, nepte, filia, vel nuru, feudo priuatur.

15 *Vasallus ob simile incestum commissum desinit esse de numero personarum honoratarum, & propterea inter eas sine dedecore in curia domini stare non potest, vnde ea de causa feudo priuatur.*

16 *Vasallus carnaliter cognoscens sobrinam, vel propiorem sobrinâ, non ex eo apud Pares curiæ infamatur, quominus inter eos stare & comparere possit.*

17 *Incestus cum Monialibus commissus punitur eadem pœna, imò maiori, qua incestus commissus cum fœminis sibi arctiori consanguinitatis, vel affinitatis vinculo coniunctis.*

18 *Incestus cum Monialibus commissus, quæ Deo consecratæ sunt, grauiùs punitur, quòd per huiusmodi incestum Deus directò offendatur.*

19 *Vasallus ob stuprum & adulterium cum aliis mulieribus commissum, præter enumeratas, & iure feudali prohibitas, non subiicitur pœnæ amissionis feudi.*

20 *Vasallus conuasallum occidens, incidit in pœnam amissionis feudi, quòd inter se ius fraternitatis quodammodo habere videantur.*

21 *Vasallus incidens in crimen læsæ maiestatis, siue diuinæ, siue humanæ, feudum amittit, & cum eo alia bona.*

22 *Vasallus incurrens crimen læsæ maiestatis, quod omnium grauissimum est, etiam ex sola illius suspicione inter honoratas personas, signanter in curte domini, multominus Principis supremi, stare non potest.*

23 *Vasallus feudum amittit si maximam, vel mediam capitis diminutionem patiatur.*

24 *Vasallus per maximam capitis diminuationem eximitur à numero liberorum hominum, seruus pœnæ effectus.*

25 *Vasallus ob mediam capitis diminutionem numero ciuium exclusus, peregrinus, extorris factus ciuitatem amittit.*

26 *Vasallus seruus pœnæ effectus, vel peregrinus & extorris factus, stare non potest inter honoratas personas, & inter eas admitti in curte domini, & idcirco feudo priuatur.*

27 *Vasallus feudo non priuatur ob delicta per quæ eius opinio non multum grauatur, quod iudicis arbitrio committitur, quo minus*

minus stare possit inter honoratas personas in curte domini.
28 *Vasallus feudo non priuatur, si deierauerit extra causam feudalem.*

PRoponitur & *sexta* causa amittendi feudi apud Obert. *in dict. cap. 1 quæ fuit prim. caus. benef amitt. §. denique. vers. si verò non in dominum*; si nimirum atrocius aliquod crimen † admiserit, puta fratrem proprium, vel eius filios inter- 1.
ficiendo, vt dicitur *in d. cap. 1. §. item si fratrem, quibus mod. feud. amitt. tit. 5. & in cap. vnic. an ille qui interfec. frat. domini sui*, &c. vbi idem deciditur, vel aliud flagitium † admise- 2.
rit, quod ibi appellatione feloniæ continetur, puta hominem tradendo, ratione cuius amplius in curia stare non possit, vt ea de causa vasallus feudum amittat, secus esse dicit, si fratrem ipsius domini interfecerit, & si vnam ex his personis interfecerit quæ enumerantur *in l. 1. ff. ad leg. Pomp. de parricid.* & crimen † denique admiserit, quod par- 3.
ricidij appellatione continetur. *d. §. denique. vers. si verò non in dominum.* vbi exemplificando loquitur de vasallo qui, fratrem proprium interfecit, vel fratris filium, ad quod crimen perpetrandum vt plurimum fratres impelluntur † ad 4.
hæreditatem totam, vel bona, seu feuda fratris, vel eius filiorum consequenda. Ideo *in dict. cap. 1. an ille qui interfecit fratrem domini*, exprimitur illa causa, per ea verba, *ad hoc vt totam hæreditatem consequatur.* qua tamen causa cessante, † non propterea minus ob parricidium à se 5.
commissum, fratrem simpliciter, vel filium fratris occidendo, feudo priuabitur, cùm parricida † non possit 6.
stare inter personas honoratas, quod multo magis locum † habebit, si eos interfecerit ad consequenda bona, quæ 7.
prætulit auaritiâ ductus proprio sanguini. Idem dicendum erit, si per insidias, vel proditoriè † aliquem interfecerit, 8.
multo magis si veneno necauerit, in quo ob atrocitatem criminis sola veneni præparatio † signanter ad actum ali- 9.
quem deducta pro actu consummato habetur, & pari pœna punitur. *l. 3. ff. ad leg. Corn. de sicar.* Cùm hîc plerunque non solùm insidiæ parentur alterius vitæ, sed etiam proditoriè † id fieri soleat sub prætextu amicitiæ, multo magis, si ho- 10.

micidium per assasinos committeretur, per talia namque
11. homicidia qualificata † proditionem, vel insidias secum admixta habentia efficitur vasallus infamis, itaut inter personas honoratas in curte versari nec admitti debeat, secus
12. in eo qui simplex homicidium † commiserit cum militibus & personis honoratis, cùm ea de causa nihil de honore detrahatur, si se honorificè in eo actu gesserint, vnde vasal-
13. lus, qui fratrem domini sui † honorificè interfecerit, propterea feudo non priuatur, *d. cap. 1. an ille qui interfecit fratrem domini.* & sic multo magis ab ea pœna eximitur, si personas omnino extraneas & domino minimè attinentes simpliciter occiderit.

14. Priuabitur etiam feudo, si incestum commiserit † cum fœminis sibi arctiori consanguinitatis, seu affinitatis vinculo coniunctis, puta matre, filia, sorore, nepte, vel nu-
15. ru. Ex eo namque desinit esse † de numero personarum honoratarum, itaut inter eas sine dedecore in curia domini stare non possit, vt in puncto tenent authores per Vulteium citati, *in d. cap. 11. num. 36. vers. hinc etiam.* signanter Cuiac. *in d. cap. 1. §. 1. quibus mod. feud. amitt. vers. & idem si so-*
16. *rorem.* Si namque rem habuisset cum sobrina, † vel propiore sobrina, non ex eo apud Pares Curiæ infamaretur, quominus inter eos stare & comparere posset. Supradicta con-
17. clusio multo magis procederet, si cum Monialibus † incestum commisisset, quod incestum legibus & moribus valde odiosum est, & non minus, quàm si cum matre, filia, vel
18. sorore commissum fuisset, quippe quòd † Deum directò & principaliter offendat, cui sunt consecratæ, propter stu-
19. prum & adulterium † cum aliis mulieribus commissum, præter enumeratas, & iure feudali prohibitas *in d. §.* Rursus non subiicitur pœnæ amissionis feudi, ex not. in puncto per Rosenthal *d. c. 10. concl. 67.*

Quod de vasallo fratrem suum occidente suprà firmatum est, vt ex eo feudum amittat, extendunt Feudistæ in iuribus præallegatis, vt dicta pœna amissionis feudi locum ha-
20. beat, si conuasallum † occiderit, quia inter se ius fraternitatis quodammodo habere videantur. *l. verum. ff. pro soc.* facit textus *in l. omne delictum. §. si quis. ff. de re milit.*

Sed

Sed si in crimen † læsæ maiestatis, siue diuinæ, siue humanæ, inciderit, extra communem contrauersiam est eum priuari feudo, & omnibus aliis prætera bonis. *d. l. quisquis. C ad leg. Iul. maiest.* & cùm sit omnium grauissimum, † nec de eo suspectus possit stare inter honoratas personas, signanter in curte domini, & multominus ipsius Principis supremi, vt in puncto notant Afflict. & Mozz. allegati per Vulteium *d. num. 36. vers. sed nec de crimine*, &c. vbi *in vers. idem est*, &c. ampliat locum habere pœnam iam dictam amissionis feudi, si vasallus patiatur † maximam, vel mediam capitis diminutionem, quia per illam eximitur † de numero liberorum hominum seruus pœnæ effectus; per hanc verò † ex numero ciuium peregrinus & extorris factus ciuitate amissa. *§. 1. & 2. instit. de cap. diminut.* multo minus ergo admitti poterit † inter honoratas personas, & cum eis stare in curte domini. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

Ex omni itaque delicto † per quod opinio vasalli non multum grauatur quominus stare possit inter honoratas personas in curte domini sui, quod iudicis arbitrio committitur, non priuatur feudo, puta si deierauerit † extra causam feudalem, *d. cap. 1. §. 2. vers. illud enim est certum*, vt sunt pleraque alia quæ in libris feudorum dispersa leguntur. 27. 28.

---

§. II.

SVMMARIVM.

1 *Vasallus feudum, vel res à feudo dependentes alienans, feudo priuatur.*

2 *Corradus tertius successor fuit immedtatus Lotharij in Imperio Romano, & ipsius Corradi successor immediatus Fridericus.*

3 *Fridericus Lotharij & Corradi eius decessorum constitutiones super prohibita feudorum alienatione nedum confirmauit, verùm etiam ampliauit ad præterita negotia pro annullatione alienationum antea factarum.*

4 *Feudum alienare poterat vasallus ante leges editas per Lotha-*

 rium

rium, Corradum & Fridericum Imperatores, certis tamen casibus, & certis tantùm de causis.

5 *Vasallus stante necessitate, puta famis, vel alia simili, qua premitur, feudum pro dimidia parte vendere poterat, id est, libellario nomine in alium transferre, etiam inscio & inuito domino, quo sibi suisque necessitatibus succurreret, secundùm vsum in plerisque curiis feudalibus vtplurimum receptum.*

6 *Vasallus iuxta vsum in quibusdam curiis receptum, qualis erat curia Mediolanensis, totum feudum vendere, id est, libellario nomine dare poterat.*

7 *Vasallus stante causa necessitatis poterat feudum pro medietate libellario nomine alienare, vel pignori obligare.*

8 *Vasallus feudum libellario nomine alienans, vel pignori obligans, infra medietatem stante necessitate, nullam eo nomine pœnam incurrebat.*

9 *Vasallus vltra medietatem feudum alienans, vel pignori obligans, signanter si transactum, id est, pignoris distractionem permittebat, feudo priuabatur.*

10 *Feudum pignoris nomine obligatum, dum distrahebatur pignus,* consultum *dicebatur.*

11 *Feudi alienatio, siue in totum, siue pro parte, omnino prohibita fuit per constitutiones Lotharij Corradi, & Friderici.*

12 *Lotharius Imperator, cuius constitutio inserta legitur in libris feudorum, non tertius, sed secundus eius nominis fuit, & Imperium rexit ab anno 1125. vsque ad annum 1139. & propterea emendandi textus feudales, in quibus tertius eius nominis appellatur.*

13 *Corradus tertius Lotharij successor Imperium rexit ab anno 1139. ad annum 1152.*

14 *Fridericus primus, vulgò dictus Aenobarbus, Imperium suscepit de anno 1152. illudque rexit vsque ad annum 1191.*

15 *Fridericus primus cum Henrico sexto eius filio, & pro Imperij regimine successore destinato apud Constantiam pacem composuit, & firmauit cum ciuitatibus Lombardiæ, Marchiæ & Romandiola, de anno 1183. septimo Kalendas Iulij.*

16 *Aliæ constitutiones eiusdem Friderici primi insertæ reperiuntur in dictis libris feudorum.*

17 *Fri*

17 *Friderici II. constitutio ea est, quæ prima inseritur post librum quintum feudorum cum breui confirmatorio Honorij Papæ tertij.*

18 *Fridericus II. suscepit Imperium anno Domini 1212.*

19 *Honorius III. ad Pontificatum promotus fuit eodem ferè tempore.*

20 *Ex iam dicta Friderici II. constitutione varia & diuersa deprompta fuere per Irnerium Authentica, quæ ab eo disposita leguntur sub variis & diuersis titulis Codicis Iustiniani, prout seriatim notatur in margine dictæ constitutionis per Gothofredum.*

21 *Post dictas constitutiones Lotharij, Corradi & Friderici primi Imperatorum, omnino prohibita fuit feudi alienatio, siue in totum, siue pro parte, siue iure pignoris, siue libellario nomine fieret, quamuis medietatem feudi non excederet. Sed sic alienans feudo priuabatur, prout ante dictas constitutiones feudum amittebat, qui vltra medietatem feudum etiam modis prædictis alienauerat.*

22 *Libellario nomine fieri dicitur alienatio dum pretium iustum pro re vendita non numeratur, sed iusto pretio inferius, & qui eo nomine rem accipiebat, licèt plenum dominium assequeretur, promitteret soluere annuum quid, fructibus quodammodo saltim pro maiori parte respondens.*

23 *Venditio facta libellario nomine sub vilissima pensione annua & perpetua, puta duorum denariorum, non subsistit tanquam facta in fraudem.*

24 *Contractus libellarij renouatio fieri debet certo condictoque tempore, puta de nouennio in nouennium, certo soluto pretio, vel arbitrario, & de eo necessariò conficitur scriptura.*

25 *Libellarius contractus nomen accepit à scriptura quæ necessariò requiritur, & in libello continetur pro illius subsistentia.*

26 *Libellarius contractus conuenit cum censuali, quia per vtrunque plenum dominium transfertur in accipientem.*

27 *Qui censum soluit vigore contractus censualis, dicitur censum soluere de suo.*

28 *Censum dicitur soluere de suo, si agatur de censu per summum Pontificem imposito per Ecclesias annuatim soluendo Pontifici de rebus earum propriis in recognitionem priuilegiorum*

eis à summo Pontifice concessorum.

29 Pensio soluitur de re aliena: census autem de re propria.

30 Contractus censualis in Gallia paßim vsu recepti, sunt ferè similes cum emphyteusi, præsertim ratione iurium dominicalium, puta retentionis iure prælationis, concessionis inuestituræ cum receptione laudimij, & his similium, & idcirco census qui eo nomine soluitur, non dicitur eo casu solui de re sua propria.

31 Contractus censuales in Gallia differunt ab emphyteusi.

32 Alienatio feudi prohibita per constitutiones Lotharij, Corradi & Friderici primi, ita demum pœnam priuationis feudi secum annexam habet, si facta fuerit consensu superioris domini.

33 Ante constitutiones dictorum Imperatorum permittebatur alienatio altero de duobus modis, puta libellario nomine, vel iure pignoris infra medietatem, etiam inscio & nolente domino.

34 Alienans feudum post dictas constitutiones inscio, vel non consentiente domino, quocunque modo id fecerit, feudo priuatur, multo magis si nolente domino id fecerit.

35 Vasallus feudum alienans inscio, vel inuito domino, licèt sub titulo colorato, & iure feudali permisso, feudo priuatur semper & omni casu.

36 Emptor & venditor tali casu feudum amittunt, & pretium fisco applicatur, si emptor scienter feudum contra legis prohibitionem emerit.

37 Pœna amißionis feudi propter alienationem illius, incurritur tribus requisitis concurrentibus, nimirum si alienans sciuerit rem alienatam esse feudum. Item si alienatio sit consummata, scilicet per translatam possessionem, & sufficit quòd fictè tradita fuerit, puta per clausulam Constituti.

38 Feudum impunè alienari potest inscio & irrequisito domino in Gallia, patriâ Comitatus Venaißini, prouinciis circumuicinis, & aliis, in quibus feuda redacta sunt patrimoniorum instar.

39 Feudum simpliciter & absoluitè hæreditarium impunè alienari potest inscio domino, quia ab initio dominus licentiam alienandi consensisse videatur, præsertim si in prima conces-

sione

sione adsit clausula, & quibus dederit.

40 *Vasallus vigore dictæ consuetudinis, siue particularis, siue generalis, per quam feuda redacta sunt patrimoniorum instar, censetur licentiam habere alienandi, inscio & irrequisito domino, & idcirco alienando pœnam priuationis non incurrit.*

41 *Vasallus feudum alienans ex sui prima concessione, vel vigore consuetudinis, & illud respectiuè acquirens, ita demum à priuationis pœna eximitur, si acquisitor illius realem possessionem non apprehendat, nisi priùs habita inuestitura solutis iuribus laudimij, & præstito homagio cum iuramento fidelitatis.*

42 *Nouus acquisitor feudi simpliciter & absolutè hæreditarij, altero de duobus modis in se alienati, ad euitandam pœnam priuationis feudi, iuxta vsum in praxi receptum priùs debet inuestituram à domino recipere, soluto iure laudimij, cum præstatione homagij & iuramenti fidelitatis, vt author fecit post acquisitum suum feudum de Roays.*

43 *Bona emphyteuticaria solent hodie alienari irrequisito domino impunè, dummodo nouus acquisitor, priusquam realem possessionem apprehendat, recipiat à domino inuestituram cum solutione iurium, quod maximè obtinet in Gallia, vbi lex commissi locum non habet.*

44 *Regula generaliter constituta quòd feudum alienans inscio, irrequisito, vel inuito domino feudo priuatur, limitatur non habere locum in feudo simpliciter & absolutè hæreditario altero de duobus modis.*

45 *Feudum alienans pro parte, inscio & inuito domino, feudo priuatur pro ea tantùm parte, quæ alienata fuerit, non autem pro alia parte, quam penes se retinuerit.*

46 *Tertium requisitum ad hoc, vt dicta pœna priuationis feudi locum habeat, est declaratio per dominum facienda, qualiter intendit feudum sibi iure commissi quæsitum fuisse.*

47 *Caducitas licèt incurratur ipso iure, suum non sortitur effectum, nisi demum domino volente, & ita declarante.*

48 *Caducitatis pœna euanescit si dominus alienationem se inscio factam ex pòst approbet.*

49 *Vasallus*

49 *Vasallus item excusatur à dicta pœna, si sincerè, bona fide & sine fraude feudum alteri subinfeudando alienauerit; & hæc est secunda limitatio ad dictam regulam generaliter stabilitam, per quam feudum alienans irrequisito domino feudo priuatur.*

50 *Subinfeudando, sincerè tamen, bona fide & sine fraude, iure feudali nedum ante leges Lotharij, Corradi, & Friderici, verùm etiam post eas permissa fuit etiam inscio, vel irrequisito domino facta absque aliqua incursione pœna.*

51 *Subinfeudatio facta in fraudem vsus & consuetudinis feudalis, non sustinetur, sed sic subinfeudans pœnam priuationis incurrit.*

52 *Sinceritas ita demum interuenire dicitur in subinfeudatione facienda, si subinfeudationis titulus fictè non interueniat, seu concipiatur, dum in rei veritate venditio celebratur.*

53 *Subinfeudationis titulus fictè dicitur concipi, seu simulatè, & in rei veritate venditio celebratur, dum pretium rei subinfeudatæ à subinfeudante recipitur.*

54 *Subinfeudatio quæ à iure feudali permittitur, fieri debet bona fide, vt si feudum obtinens sit miles, subinfeudet militi, & sic persona æqualis, vel etiam maioris conditionis quæ possit æquè ac subinfeudans exhibere seruitium quod ratione feudi debetur.*

55 *Subinfeudatarius debet esse talis, qui priore & subinfeudante propria culpa, vel aliter feudum amittente possit in illius locum priori domino seruire, & feudum retinere, superiore domino ita volente & consentiente.*

56 *Fraus in subinfeudatione considerari potest ratione domini ad quem feudum reuerti debet, eo quòd subinfeudans desperet de liberis, nimirum masculis suscipiendis, tunc enim dominus feudo ad se reuerso ob defectum masculorum subinfeudationem reuocat, & cum inde secutis in irritum deducit.*

57 *Fraus etiam consideratur ratione agnatorum qui sint de comprehensis in prima inuestitura; ij enim, casu contingente, quo ipsi vocantur ad feudi successionem, non habita ratione dictæ subinfeudationis admittuntur.*

58 *Fraus etiam ratione domini consideratur si non subinfeudetur sub iisdem modis, qualitatibus, & constitutionibus, sub quibus*

quibus subinfeudanti concessum fuerat.

59 *Causa quæ exprimitur in proœmio alicuius legis, seu depositionis, dicitur esse causa finalis.*

60 *Ratio prohibitæ alienationis feudorum ea dicitur esse in proœmiis dictarum constitutionum, quia vasalli feudis sibi concessis in totum, aut pro maiori parte medio dictarum alienationum exhaustis, seruitia suorum seniorum, signanter expeditionis tempore debita subterfugerent, nec præstare valerent, etsi domini seruitia sibi debita amitterent.*

61 *Secunda ratio prohibitionis alienationis in consequentiam prioris dicitur.*

62 *Tertia ratio in consequentiam priorum.*

63 *Subinfeudatio semper & omni tempore permissa fuit.*

64 *Subfeudum deriuatur à feudo principali, sicut aqua à suo fonte.*

65 *Subfeudum retinet naturam sui feudi principalis, cùm sit eius membrum, seu pars & res integralis.*

66 *Feudum inspecta rei veritate non est quid diuersum, & separatum à subfeudo.*

67 *Seruitia debita senioribus, seu maioribus valuasoribus, vel aliis quibus de iure feudali permissum est vasallos sub se habere, per subinfeudationem non subducuntur.*

68 *Conditio seniorum, seu maiorum valuasorum, &c. pinguior efficitur per subinfeudationem ab eorum vasallis sincerè, bona fide, & sine fraude factam.*

69 *Seniores, seu maiores valuasores, & quibus de iure feudali permissum est sub se vasallos habere dum requirunt eorum vasallos de exhibendo seruitia sibi ratione feudi debita, si per se præstare non valeant, aut minus sufficienter requirendo suum subfeudatarium eiusdem conditionis existentem, facilius domino superiori seruitia debita præstabunt, vel per seipsos cum auxilio sui subinfeudatarij, vel per ipsum subuasallum, si ipse per se non posit.*

70 *Per subinfeudationem seruitium senioribus debitum non subducitur nec honor Imperij, nec complementum expeditionis ipsius Principis minuitur; quæ tamen inconuenientia per alios modos alienationum contingere consueuerat.*

71 *Vasallus feudum alienando inscio & irrequisito domino contra*

Aa *dicta*

dictarum constitutionum prohibitionem dicitur dominum contemnere, & in pœnam contemptus ipso iure feudum amittit.

72 *Feudum itidem amittitur, si vasallus feudum deteriorauerit, & deteriorando notabiliter læserit, ad perpetuum ipsius feudi damnum.*

73 *Feudum amittit vasallus, si supra modum sæuierit in homines sibi ratione feudi commissos, & subditos, eosque tyrannicè, & non paternè, prout tenetur, rexerit.*

74 *Dum vasallus feudo priuatur ipso iure, siue ob culpam in omittendo, siue in committendo commissam, sufficit sententia declaratoria delicti commissi, & pœna propterea incursæ.*

75 *Vasallus feudo ipso iure priuatur ob non petitam renouationem inuestitura, intra annum, & diem, ob feudum alienatum sine consensu domini, ob crimen læsæ maiestatis, ob lineam finitam, ob statuta edita contra libertates Ecclesiæ per vasallum ipsius Ecclesiæ, ob inhabilitatem superuenientem in persona vasalli; & denique, si ita pacto in prima concessione posito caueatur.*

76 *Sententia delicti declaratoria eò tendit, vt possessio feudi, quæ est quid diuersum à iure feudi, quo occidit, auferatur à feudum occupante sine titulo.*

77 *Vasallus si ob culpam ab ipso commissam ipso iure feudo non ceciderit, sed feudo priuandus sit, requiritur sententia qua feudo priuetur.*

78 *Vasallus regulariter, certis casibus exceptis, ob culpam ipso iure feudo non priuatur, vnde in dubio opus erit sententiâ declaratoriâ.*

79 *Sententia siue declaratoria, siue condemnatoria, ferri debet cum causæ cognitione.*

80 *Vasallus vtroque casu potest allegare & probare culpam, vel ingratitudinem expressè, vel tacitè à domino sibi remissam fuisse, & sic vtroque casu causæ cognitio necessaria est.*

81 *Ingratitudo, vel culpa à domino remitti potest post culpam amissam, secus si futura remitteretur, quod fieri non potest.*

82 *Vasallus non potest dici conuictus de culpa, propter quam incidat in pœnam priuationis feudi, nisi probetur per quinque testes idoneos summæ & integræ opinionis concludenter*

denter & manifestè probantes.

83 *Interuentus dictorum quinque testium ad probandam culpam, ob quam vasallus feudo priuandus sit, omnino requiritur, iuxta naturam feudi, & ita vsu receptum & practicatum est, signanter in Senatu Gratianopolitano.*

84 *Vasallus feudum à se legitimè possessum de facili ex leuioribus probationibus amittere non debet, idcirco in re tam graui numerus quinque testium omnino desideratur.*

85 *Multa specialia vsibus feudorum introducta fuere, quæ de iure communi non obtinent, signanter circa delicta feudalia.*

86 *In delictis communibus, ius commune seruatur & attenditur, non autem ius feudale.*

PRoponuntur præterea tres causæ amittendi feudi, quæ rem ipsam feudalem, seu res † à feudo dependentes di- 1.
rectò & principaliter respiciunt, & illarum occasione ipsum dominum, quarum vna nimirum, si feudum alienetur sine voluntate domini, apud Obertum proponitur *in d. tit. quæ fuit prima caus. benef. amitt. §. illud enim, in fin. & §. fin. in fin.* iuxta costitutiones Lothar, *in tit. 52. de probib. feud. alienat. per Lothar. lib. 2. feudorum,* de qua mentio habetur *eod. lib. 2. tit. 9. qualiter olim feud. poter. alienar. tit. 38. de vasal. qui contra constit. Lothar.* &c. *& tit. 44. quid iur. si post alienat. feud.* &c. quæ confirmata fuit per Corradum III. † eiusdem Lotha- 2.
rij successorem immediatum, quæ habetur *in tit. 34. de leg. Corrad. & tit. 40. de capitul. Corrad. eod. lib. 2.* Et successiuè per Fridericum I. dicti Corradi pariter immediatum successorem, à quo nedum confirmatæ † fuere constitutiones 3.
Lotharij, & Corradi, verùm etiam ampliatæ ad præterita negotia pro annullatione alienationum antea factarum, quæ extat *in tit. 55. eod. lib. 2. de probib. feud. alienat. per Frider.* & Corradi constitutionis habetur mentio *in tit. 1. §. 1. vers. Cùm verò Corradus, de his qui feud. dar. poss. lib. 1. & lib. 2. d. tit. 9. in fin. tit. 6. de controuers. feud. in princ.* & de legibus Corradi & Friderici mentio fit *dict. tit. lib. 2. tit. 3. per quos fiat inuestitur. §. 1. circa med.*

Certum est autem ante † leges editas per Lotharium, 4.

Corradum , & Fridericum Imperatores, permissum fuisse vasallis feudum alienare, certis tamen casibus, & certis tantùm de causis.

Quarum vna refertur *in d.tit.qualiter olim poter.feud.alien. cap.1.in princ.vers.necessitate namque.* dum stante necessitate,
5. † puta famis, vel alia simili, qua premebatur vasallus feudum pro dimidia parte vendere, id est, libellario nomine in alium transferre, etiam inscio, vel inuito domino, poterat secundùm iustum & verum vsum, quo sibi suisque
6. necessitatibus succurreret. Et in quibusdam curiis † iuxta vsum in illis receptũ, qualis erat curia Mediolanensium, totum feudum vendere, id est, libellario nomine dare poterat, vt disertè dicitur *in d.c.1.vers.necessitate namque.* & magis
7. expressè ea diuersitate † consuetudinum pro curiarum diuersitate, relata *in cap.vnic. in princ. de alienat.feud.tit.13. lib.1.& tit.18.eod.lib.cap.vnic.§.fin.* in illis verbis, *siue totum, siue partem.& in cap.1.in princ.lib.2.tit.44.quid iur.si post alie-*
8. *nat.* &c. Et quòd sibi liceret † medietatem feudi alienare libellario nomine, vel pignori obligare, text. est *in d.cap.1. §.aut si libellario nomine amplius medietate, &c.quib.mod.feud. amitt.tit.5.lib.1.* Si namque infra medietatem sic alienaretur, vel pignori obligaretur, id impunè fiebat; sin verò
9. vltra medietatem, † signanter si transactum, id est, pignoris distractionem permitteret, feudo priuabatur, *d. §.aut si*
10. *libellario nomine*, &c. quod pignus *consultum* † dicitur *cap.1. §.fin.in fin.de inuestitura de re alien.fact.*

Sed omnino prohibita fuit quælibet feudi alienatio, siue in totum, siue pro parte per iam dictas leges Lotharij,
11. † qui Tertius dicitur, licèt in Chronologia secundus esse legatur, vt si apparet eius constitutionem editam fuisse sub datum die 7. Nouembris 1136. vt videre est *in d tit.52.* in sui prima parte, & sic non ad alium Lotharium, quàm
12. eum, qui † secundus apud Chronologos in ordine describitur, & Imperium rexit Romanum ab anno 1125. vsque ad annum 1139. Item Corradi III. eius successoris, qui
13. Imperium † rexit à dicto anno 1139. vsque ad annum 1152.
14. Et post eum Friderici I. † vulgò dicti Ænobarbi, qui Imperium suscepit, videlicet de dicto anno 1152. Et cum Henrico

rico VI. eius filio, † & pro Imperij regimine successore de- 15.
stinato, & quibusdam Nobilibus Alemanniæ ex vna, conuentionem fecit apud Constantiam, seu pacem composuit & firmauit cum ciuitatibus Lombardiæ, Marchiæ & Romandiolæ de anno 1183. 7. Kalend. Iulij, quippe qui vitam finiit cum Imperio de anno 1191. vt legitur post librum quintum feudorum, sub tit. libri, *De pace Constantiæ*, &c. quæ inserta reperitur vltima in ordine. Et eiusdem Friderici
† aliæ constitutiones notantur *eod. lib. 5.* & inter cæteras pri- 16.
ma *de feud. non alienan. in d. tit. 55. de prohib. feud. alienat. per Frider.* quarum in ordine quarta ad longum inseritur, sub datum, seu actum Nuremberg anno 1187. ab Incarnatione 3. Kalend. Ianuarij, & sic durante Imperio eiusdem Friderici I. nec Friderici II. alia constitutio legitur, † præter 17.
eam, quæ prima inseritur post *d. lib. 5. feud.* cum breui confirmationis Honorij, Papæ nimirum III. quorum ille ad
Imperium promotus † fuit circa annum Domini 1212. hic 18.
verò ad Pontificatum † eodem ferè tempore, aut paulo 19.
pòst, è qua Friderici II. constitutione † variæ & diuersæ 20.
depromptæ fuere per Irnerium Authenticæ, quæ ab eo dispositæ leguntur sub variis & diuersis titulis Codicis Iustiniani, vt in margine dictæ constitutionis seriatim notatur per Gothofredum.

Vnde post dictas leges editas † per Lotharium, Corra- 21.
dum & Fridericum Imperatores, non fuit permissa feudi alienatio, siue in totum, siue pro parte, neque iure pignoris, neque libellario nomine, etiamsi talis alienatio medietatem feudi non excederet, sed vt ante dictas constitutiones alienatio prædictis modis facta medietatem feudi excedens inducebat feudi priuationem. *d. § aut si libellario nomine*, &c. cum aliis iuribus in id præallegatis, & ne per ignota procedamus, breuiter & incidenter videndum quid veniat appellatione alienationis, quæ libellario nomine fieri dicitur, pro cuius rei perfecta cognitione recurrendum est ad textum *in cap. 1. de feud. alienat. lib. 1. tit. 13. & in cap. 1 § donare, qualiter olim poter. feud. alienar.* vbi quòd titu-
lo venditionis, licèt † non veræ, fieri consueuerat, & id- 22.
circo pretium quod numerabatur, non erat iustum, sed

iusto pretio inferius, & qui rem eo nomine accipiebat, licèt plenum dominium ipsius rei acquirebat tanquam sibi traditæ ex titulo habili ad transferendum dominium. *§. per traditionem, & §. vendita verò res, Instit. de rerum diuisione*, promittebat soluere annuam pensionem fructibus quodammodo pro maiori parte respondentem. nam si sub vilissima,
23. puta † duorum denariorum perpetuò concederetur, non subsisteret tanquam in fraudem alienatum. *d. §. donare, vers. quis enim dubitat*, per textum *in l. si quis conduxerit 46. ff. loc. l. si vsusfructus 66. in fin. ff. de iur. dot. & l. si quis antè conduxerit 10. §. fin. ff. de acquir. vel amitt possess.* Et præterea vt certo
24. condictoque tempore † renouatio dicti contractus fieri debeat, puta de nouennio in nouennium, certo soluto pretio, vel arbitrario, & quia de eo conficitur scriptura necessa-
25. riò ab ea quæ † in libello continetur, libellarij contractus nomen accepit, ita in puncto Vulteius *in d. tract. cap. 10. num. 49. & cap. 12. num. 9.* post Sonsbecc. Mozz. & Clar. per eum allegatos *d. c. 10. n. 49.*
26. Et in eo conuenit contractus libellarius † cum censuali, quia per censualem æquè plenum transfertur dominium in accipientem, vt per libellarium, & ideo dicitur soluere
27. † censum de re sua propria. *cap. constitutus, circa fin. de religios. domib.* cum *ibi* not. per glossam & Canonistas, & per Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt 10. n. 1.* quod tamē accipien-
28. dum erit de censu qui per Summum Pontificem † imponitur per Ecclesias de rebus earum propriis soluendus annuatim, in recognitionem priuilegiorum à Summo Pontifice eis concessorum, vt videre licet apud gloss. & Cano-
29. nistas *ibid.* vnde fluxit illud vulgatum, pensionem † de re aliena, censum verò de re sua propria solui.
Nec propterea id extendendum erit ad contractus cen-
30. suales, qui in Gallia passim vsu recepti, † sunt omnino ferè similes cum emphyteusi, præsertim ratione iurium dominicalium, puta retentionis iure prælationis, concessionis inuestituræ cum solicitatione laudimij, & his simi-
31. lium, non tamen ratione commissi, quod † in eiusmodi contractu censuali non admittitur, & sic ob deficientem qualitatem essentialem ipsius emphyteuseos, quæ in lege commissi

commissi consistit, ab ea differt, vt doctissimè animaduertit Modern. Parisiens. *in consuetud. Parisien. tit.* 2. §. 51.

Et ex præmissis sequitur generaliter † concludendum 32. post leges Lotharij, Corradi & Friderici Imperatorum, sine consensu domini superioris vasallo interdictam fuisse feudi alienationem, siue in totum, siue pro parte, quocunque modo ea fieret, etiamsi libellario nomine, vel iure pignoris, quod ante dictas constitutiones † ad medietatem 33. permittebatur, altero de duobus illis modis, etiam inscio & inuito domino. Et si quis feudum † à se pos- 34. sessum inscio, vel nolente domino alienauerit, siue in totum, siue pro parte, inscio domino, multo magis nolente, quocunque modo id fecerit, feudum amittit, *d. cap. 1. in princ. vers. hortatu itaque, de prohib. feud. alienat. per Lothar. cap. 1. in princip. vers. præterea, de capitul. Corrad. & cap. 1. §. quapropter*, vbi nominatim interdicitur alienatio feudi libellario nomine, vel iure pignoris. Et §. *callidis*, vbi quòd neque pretio accepto in feudum dare possint, *de prohib. feud. alienat. per Freder.* per quas constitutiones vasallus semper † & omni 35. casu feudum alienans inscio, vel inuito domino, licèt sub titulo colorato, & iure feudali permisso, feudo priuatur, ita vt emptor † & venditor feudum amittant. *d. §. callidis, in* 36. *fin.* & sciat venditor se pretio cariturum, vt scriptum est in lege Lotharij *d. cap. 1. vers. hortatu, in fin. de prohib. feud. alienat. per Lothar.* Et quòd ita seruatum fuerit, apparet ex *cap. 1. §. denique, in fin. si de feud. defunct. content. sit*, &c. quod in pœnam vtriusque fisco applicandum est, si scienter feudum contra legis prohibitionem emerit.

Tria autem requisita † concurrere debent ad hoc, vt pro 37. pter alienationem quis feudo priuetur. *Primò*, vt alienans sciat rem alienatam esse feudum. *dict. cap. 1. §. si vasallus, si de feud. defunct. content. sit. Secundò*, vt alienatio sit consummata, & suum effectum sortita, ex not. per gloss. & Feudistas *in cap. 1. quid sit iur. si post alienat.* quod communiter receptum firmat post authores ab eo cumulatos *in dict. cap. 11. num. 42.* adeò vt velint sufficere, etiamsi traditio non realiter, sed fictè facta fuerit, puta per clausulam *Constituti, l. quod meo. ff. de acquir. vel amitt. possess.* quod tamen in Gallia, † prout 38.

&

& in hac patria, & prouinciis circumuicinis, & aliis, de quibus suprà, in quibus feuda sunt redacta patrimoniorum instar, prout & in feudis simpliciter & absolutè hæreditariis, quæ inscio & irrequisito domino alienare licet, quia
39. dominus † ab initio licentiam alienandi concessisse videatur, præsertim si in inuestitura adsit clausula, *& quibus dederit*, vt plenè suprà demonstratum fuit *in 2. part. huius tract.*
40. *cap. 5. §. 4. num.* 8. vel eam habere dicitur † vasallus vigore dictæ consuetudinis, itaut possit inscio & irrequisito domino impunè alienare, dummodo tamen nouus feudi acqui-
41. sitor † non apprehendat realem & actualem possessionem feudi per ipsum acquisiti, nisi priùs habita inuestitura, solutis iuribus laudimiorum propterea debitorum, & præstito homagio cum iuramento fidelitatis. Et ita seruatur in
42. praxi, † prout ego feci post acquisitionem feudi mei de Roays, & instrumentum acquisitionis omnes clausulas translatiuas possessionis & dominij, signanter clausulam
43. *Constituti* in se continens, & ita quoque seruatur † in acquisitionibus bonorum emphyteuticariorum, multo magis in Gallia, vbi lex commissi in dictis bonis locum non habet, vt suprà proximè dictum fuit.

44. Et hæc sit prima limitatio † ad conclusionem generaliter stabilitam, qua vasallus feudo priuatur ob illius alienationem à se factam, siue in totum, siue pro parte, inscio, vel inuito domino.

45. Ea tamen priuationis pœna restringitur ad eam † duntaxat partem, quæ alienata fuerit, non autem ad id, quod restans penes per se retinuerit, per textum formalem *in c. 1. de vasall. qui contra constit. Lothar.*

46. *Tertium* requisitum est declaratio † per dominum facienda, qualiter intendit sibi feudum iure commissi quæsitum
47. fuisse: licèt namque vasallus † alienans inscio domino, cadat & priuetur ipso iure feudo, ex not. per gloss *in d. §. callidis*, à Feudistis communiter receptam, vt post Curt. iunior. Clar. & Mozz. testatur Vulteius *dict. cap.* 11. *num* 45. ea tamen caducitatis non sortitur effectum, nisi volente & ita declarante domino, vt post Bursat. *consil.* 40. *à num.* 31. *vsque ad num.* 40. signanter *num.* 33. *lib.* 1. & alios, firmat Vulteius *vbi*

vbi suprà d. num. 45. *vers. hoc tamen procedit*, &c. & *ibi* subiicit ex Bursat. *dict. num.* 33. domino postea consentiente, † & alienationem feudi ipso inscio factam approbante, caducitatis pœnam euanescere. 48.

Secundò limitatur dicta conclusio superiùs posita, si vasallus alteri † feudum subinfeudando alienauerit, dummodo id fiat sincerè, bona fide & sine fraude, quæ species alienationis † permissa fuit iure feudali, nedum ante dictas leges Lotharij, Corradi & Friderici Imperatorum, verùm etiam post eas, *dict. cap.* 1. *§. si verò vel totum. vers. si autem*, in illis verbis, *quod etiam ipsum sincerè hodie*, &c. *qualiter olim feud. poter. alienar. cap.* 1. *§. per feudum tamen, per quos fiat inuestit.* nisi fieret † in fraudem consuetudinis & vsus feudalis, vel nouæ legis Lotharij, seu Friderici Imperatorum, vt *in eod. text.* disertè subiicitur, quod etiam exprimitur *in d. cap.* 1. *§. callidis, de prohib feud. alienat. per Fridericum.* Sinceritas † itaque requiritur in dicta subinfeudatione facienda, ne concipiatur alienatio sub nomine ficto subinfeudationis, dum in rei veritate venditio celebratur. *d. §. callidis*, dum scilicet pretium † accipitur pro subinfeudatione facienda, in illis verbis, *pretio accepto.* Item bona fides, vt si ipse † sit miles, subinfeudet militi, & sic personæ æqualis conditionis, vel etiam maioris, quæ possit æquè ac subinfeudans seruitium exhibere, quod ratione feudi debetur. *cap.* 1. *§. beneficium, si de feudo defunct. content. sit, & in cap.* 1. *§. similiter, de leg. Corrad.* in illis verbis, *ad hoc vt feudum si contigerit domino similiter seruire, vt & prior possit.* Et qui subfeudatarius priore † & subinfeudante propria culpa, vel aliter feudum amittente, possit in illius locum priori domino seruire, & sic feudum retinere, ita volente & consentiente priore domino, & non aliter, ex Vulteio *d. cap.* 11. *num.* 107. *vers. tametsi nonnulli*, post Afflict. Clar. & Pistor. Neque contrariam opinionem, quæ communis dicitur, in praxi obtinere, seu admitti posse, verè existimauerim, dummodo tamen vasallus velit ab eo feudum recognoscere, *d. cap.* 1. *§. si tamen.* 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55.

Denique quòd fiat sine fraude, puta ipsius domini, † ad quem feudum reuerti debeat, eo quòd subinfeudans despe- 56.

 ret,

ret de liberis, nimirum masculis suscipiendis, & sine fraude agnatorum, qui sint de comprehensis in prima inuestitura, tunc enim dominus feudo ad se reuerso ob defectum masculorum ipsius subinfeudantis, dictam subinfeudationem reuocat, & cum inde sequutis in irritum deducit. *cap.*
57. *vnic. de alienat. feud. tit.* 73 *lib.* 2. vel agnati, † in quorum fraudem talis subinfeudatio tendit, eam reuocant demum casu contingente, quo ipsi vocantur ad dicti feudi, sicut præmissum est, subinfeudati successionem; per text. *in cap.* 1. *§. si verò, qualiter olim feud. poter. alienar.* quod sine hæsitatione ab Interpretibus receptum fuisse, post Pistor. testatur Vulteius *d. cap.* 11. *n.* 105. *&* 106.

58. Denique vt sine fraude fiat, debet subinfeudatio † fieri, sub iisdem modis, qualitatibus & conditionibus, sub quibus feudum subinfeudanti concessum fuit, ex Menoch. *consil.* 148. *num.* 19. *& seqq.* signanter *à num.* 41. *ad num.* 47. vbi distinctè & disertè docet, qualiter eodem modo dici possit facta subinfeudatio, quo concessum fuerat feudum principale.

Ratio autem cur cæteri modi alienationum fuere prohibiti, sola verò subinfeudatio permissa inscio & irrequisito domino, exprimitur disertè in proœmiis, seu præfationibus dictarum constitutionum Lotharij & Friderici Impe-
59. ratorum, vnde elicitur † causa finalis earundem constitutionum, iuxta text. cum *ibi* notat. *in l. fin. ff. de hæred. instit.*
60. quia scilicet per alios modos † alienationum, quibus vasalli in totum, siue pro parte, inscio, vel irrequisito domino feuda sibi concessa distrahebant, omnibus, aut pro maiori parte exhaustis, in quibus feuda consistebant suorum seniorum seruitia signanter expeditionis tempore debita subter-
61. fugerent, nec præstare valerent, & sic † domini seruitia sibi debita amittebant, nec poterant Proceres, seu maiores valuasores Imperij suos milites, id est, vasallos suis exutos beneficiis ad felicissimam Imperatoris, seu Principis supre-
62. mi expeditionem secum traducere, vnde viribus † Imperij ea de causa maximè attenuatis, honor Imperij & ipsius Principis felicissimæ expeditionis complementum mi-
63. nuebatur, quæ omnia † cessabant dum per subinfeudatio-

nem

nem fiebat feudi alienatio, quia subfeudum deriuatur † à 64.
feudo principali, sicut aqua à suo fonte, ex Bald. *in cap. 1. in princ. de Capitan. qui cur. vendid.* & post eum Modern. Parisien. *in consuetudines Parisienses tit. 1. §. 10. num. 19. vers. in contrarium.* Menoch. *d. consil.* 148. *num.* 14. retinet naturam sui principalis Menoch. *vbi suprà, num.* 24. *& consil.* 104. *num.* 9. Et membrum, seu pars † sit & res integralis ipsius feudi 65.
principalis. Menoch. *d. consil.* 148. *num.* 14. nec sit feudum † à 66.
subfeudo rei veritate inspectâ quid diuersum, aut separatum. Menoch. *d. consil.* 148. *num.* 52. *& seqq.* Denique & ex
eo, † quia seruitia ratione feudi principalis senioribus, seu 67.
maioribus valuasoribus, vel aliis qui de iure feudali vasallos sub se habent, non subducuntur, imò pinguior † eo- 68.
rum conditio per subinfeudationem ab eorum vasallis sincerè, bona fide & sine fraude factam efficiatur, quo seruitia sibi debita consequantur, cùm seniores vasallos † suos 69.
requirendo de exhibendo seruitia sibi ratione feudi debita, si vasallus requisitus per se præstare non valeat, requirendo suum subuasallum, qui eiusdem est conditionis, cuius ipse vasallus, poterit faciliùs suo seniori seruitia debita exhibere cum auxilio sui subuasalli, vel per seipsum, vel per suum subuasallum, & Iacobin. *in sua inuestitura, verb. ita etiam, num.* 6. Et ea mediante neque senioribus † serui- 70.
tia eis debita per suos vasallos subducuntur, nec honor Imperij minuitur, nec complementum expeditionis ipsius Principis, prout contingere & euenire solet, dum aliis modis feuda, inscio & irrequisito domino, alienantur, vnde per dictas constitutiones cæteri alienationum modi inhibiti, & omnino interdicti, excepta dicta subinfeudatione, quo cessarent eiusmodi inconuenientia suprà proximè relata.

Et quia vasallus feudum alienando † per cæteros aliena- 71.
tionis modos à dictis constitutionibus prohibitos, inscio, vel irrequisito domino suo, dicitur dominum suum contemnere, ideo iusta ratione sic alienando in pœnam contemptus ipso iure feudum amittit, per gloss. & *ibi* communiter Feudistas, *in d. §. callidis*, teste Claro *in d. §. feudum, quæst.* 37. *num.* 6. facit text. *in c.* 1. *§. fin. qua fuit prima caus. benef.*

nes. amitt. & hæc de alienatione satis superque dicta sufficiant.

Secunda causa quæ feudum respicit, & illius occasione dominum, & propter quam feudum amittitur, proponitur *in cap. 1. §. publici latronis, vers. quicunque aduocatiam, de*
72. *pace tenen.* & eius violatore, nimirum si vasallus † feudum deteriorauerit, & deteriorando notabiliter læserit ad perpetuum ipsius feudi damnum, vt pleniùs declarat Rosenthal *d. cap. 10. concl.* 84. & Modernus Parisiensis *tit.* 1. §. 30. *num.* 166.

Tertia causa respicit non ipsum quidem feudum, sed homines sibi commissos & subditos ratione feudi. Si nam-
73. que vasallus † supra modum sæuierit, eosque tyrannicè, & non paternè, prout tenetur, rexerit, feudo priuatur, ex Bald. *in d. §. publici latrones*, vt post multos in id congestos tenet in puncto Vulteius *d. c. 11. num. 36. vers. est verò inter cæteras.*

Et pro præmissorum absoluta explicatione duo generaliter sunt constituenda. Primum quòd vbi quis ipso iure
74. feudo priuatur, † siue ob culpam in omittendo, siue in committendo commissam, tunc sufficit sententia declaratoria, videlicet delicti commissi: & pœnæ propterea incursæ, ex Bald. *in cap. 1.* & Afflicto *ibid. n. 3. de feud. sine culp. non amitt.*
75. latè Rosenthal *d. cap. 10. concl.* 97. puta dum ipso iure † feudo priuatur ob non petitam inuestituram intra annum & diem, si feudum sine domini consensu alienatum fuerit, & in casu priuationis ob crimen læsæ maiestatis: vel si feudum ob lineam finitam domino sit deuolutum, vt in superioribus suo loco abundè demonstratum fuit; quibus addi poterit, si feudum ab Ecclesia teneat, & contra libertatem Ecclesiæ statuta fecerit. *cap. grauem, de sentent. excomm.* vel propter inhabilitatem superuenientem in persona vasalli. *cap. 1. §. qui clericus, si de feud. defunct. content. sit. cap. 1. an mutus, vel imperfect. & in cap. 1. in fin. de feud. fœmin.* Vel denique si pacto speciali primæ inuestituræ caueatur, vasallum ipso iure feudo priuandum fore, si in culpam inciderit, ratione cuius feudo priuari debeat, ex Rosenthal *d. cap. 10. concl.* 108. vel si domino requirente seruitia debita præstare recusauerit.

recusauerit, ex Rosenthal *d. cap.* 10. *conclus.* 12. talis namque † sententia declaratoria eò tendit, vt possessio feudi, quæ est quid diuersum à iure feudi, quo cecidit ab eo, qui sine titulo eam occupat, auferatur; vt notat in puncto Borcholten *de feud. c.* 8. *n.* 157. & pleniùs per me deductum fuit *in meo tract. de crimin. læsæ maiest.* 76.

Sin verò vasallus † ob culpam ab ipso commissam ipso iure feudo non ceciderit, sed feudo priuandus sit, tunc requiritur sententia qua vasallus feudo priuatur, vt per glossam *in cap.* 1. §. *item si fidelis, quibus mod. feud. amitt. tit.* 5. *lib.* 1. *& in cap.* 1. *de feud. sine culpa non amitt.* & *ibi* communiter Feudistæ, latè Rosenthal *dicto cap.* 10. *conclus.* 97. Et cùm regulare sit † præter casus exceptos feudo quem ipso iure non priuari, semper & in dubio opus erit dicta sententia condemnatoria, vt per Rosenthal *dicto cap.* 10. *conclus.* 108. *&* 110. quod verum & commune esse firmat Moder. Parisien. *d.* §. 30 *num.* 23. & Clar. *in* §. *feudum, quæst.* 62. *num.* 1. Et vtroque casu, siue sufficiat sententia declaratoria, † siue requiratur sententia condemnatoria, ferri debet cum causæ cognitione, per text. *in c.* 1. *de feud. sine culp. non amitt.* maximè cùm vtroque casu † possit vasallus allegare & approbare culpam, vel ingratitudinem sibi à domino expressè, vel tacitè remissam fuisse, quod de iure potest, ex Rosenthal *d. cap.* 10 *conclus.* 92. modò remissio † fiat post culpam admissam, secus si futura remitteretur, quod fieri non potest. *l. si vnus.* §. *illud*, cum *ibi* notatis, *ff. de pactis.* 77. 78. 79. 80. 81.

Secundò generaliter constituendum erit non aliàs de culpa conuictum † dici posse vasallum, propter quam vasallus incidat in pœnam priuationis feudi, nisi quatenus probetur per quinque testes idoneos summæ atque integræ opinionis, & aliàs omni exceptione maiores culpam concludenter, & manifestè probantes. text. est formalis *in c.* 1. *in fin. quot test. sint necessarij.* quem licèt aliqui cēsuerint post gloss. *in c.* 1. §. *si voluerit, in fin. de Capitan. qui curiam vendid.* non seruari; pro lege tamen cum seruandum esse † nouissimè censuit Mascard. *de probationibus, conclus.* 761. *num.* 1. *& conclus.* 897. *num.* 8. secundùm quem in Parlamento 82. 83.

Gratianopolitano iudicatum fuisse, refert Guid. Pap. *decis.* 180. vbi etiam addentes id confirmant, & de natura feudi esse dicit Mozz. *de natura feudi num.* 53. quod non sine magna ratione ita constitutum est, ne scilicet in re tam
84. graui † quis feudum à se legitimè possessum de facili ex le-
85. uioribus probationibus amitteret, multaque specialia † vsibus feudorum introducta fuere, quæ de iure communi non obtinent, & id maximè procedere existimarim, si agatur de
86. delictis feudalitiis, † quia in delictis communibus ius commune seruandum erit.



CAPVT IV. & VLT.

Si vasallus ob aliquam ex prædictis causis feudo priuetur, ad quem feudum deuolui debeat.

SVMMARIVM.

1 *Feudum simpliciter & absolutè hæreditarium, siue vigore primæ concessionis, siue ex consuetudine, qualia sunt feuda Galliæ, & aliarum prouinciarum, de quibus suprà, prout etiam feudum nouum ex pacto & prouidentia, si per culpam vasalli amittatur, siue ipso iure, siue per sententiam postea ferendam, quæritur pleno iure domino superiori in præiudicium suorum hæredum, vel sibi in feudo nouo ex sui prouidentia succedere debentium.*

2 *Vasallus alienans feudum simpliciter & absolutè hæreditarium, altero de duobus modis non incurrit pœnam caducitatis.*

3 *Vasallus in feudo nouo per ipsum acquisito, suis potest præiudicare successoribus, quos ipse in prima concessione feudi sibi facta comprehendi curauit.*

4 *In Comitatu Venaissino sunt quædam feuda ex pacto & prouidentia, quale est feudum de Ianone, concessum ex pacto & prouidentia à felicis recordationis Leone Papa X. Nobilibus de Baroncellis.*

5 *Feuda quæ non impropriantur, sed proprium feudi naturam retinent*

tinent, supposito quòd sint paterna, vel antiqua ob delictum vasalli feudalitium, quod in dominum commiserit, amittuntur, & domino quaeruntur.

6 Dominus ob vltionem iniuriae sibi per vasallum illatae, qui in dominum feudaliter deliquerit, sibi quaerit feudum ea de causa deuolutum, ipsius vasalli filiis & descendentibus semper & omni casu exclusis, ex communi opinione.

7 Vasallus committens crimen laesae maiestatis feudo ipso iure priuatur, & domino pleno iure acquiritur filiis & descendentibus ipsius vasalli in perpetuum exclusis.

8 Feudum amissum ob crimen laesae maiestatis à vasallo commissum in Gallia non domino, sed fisco regio acquiritur, sub modificatione tamen inducta per ordinationem Philippi Pulchri Gallorum Regis.

9 Feudum quod ob culpam amittitur, domino defertur, si culpa in eum commissa fuerit, per quam dominus contemptus fuerit, vel iniuriâ affectus, etiam exclusis agnatis collateralibus in prima inuestitura comprehensis, quo sua iniuriae vltionem habeat.

10 Vasallus ob delictum commune, non tamen feudalitium feudum amittens, non domino acquiritur, sed agnatis in dicta prima inuestitura comprehensis post ipsum delinquentem, eiusque descendentes immediatè successuris defertur.

11 Distinctio suprà relata inter delictum feudalitium, & commune pro feudi amissi deuolutione, vno casu ad dominum, altero verò ad agnatos communiter recepta & approbata fuit, ita ut in iudicando ab ea recedi non debeat.

12 Ius domini superioris antiquius est, & potiùs iure agnatorum, vnde non mirum si ob delictum feudalitium in dominum commissum feudum pleno iure domino quaeratur in vltionem suae iniuriae, exclusis etiam agnatis collateralibus.

13 Vasallus delictum feudalitium in dominum committendo, dicitur infidelis, ob fidem domino seruatam.

14 Vasallus deficiens in fidelitate quam domino debet, destruit qualitatem essentialem feudi, qua deficiente feudum destruitur.

15 Primus concedens in prima feudi concessione per ipsum facta legis interpretatione iuxta naturam feudi adiecisse censetur, vt

vt delicto feudalitio in dominum admisso feudum domino deuoluatur, exclusis agnatis collateralibus in dicta prima inuestitura comprehensis.

16 *Vasallus ob delictum commune feudo priuatur, agnatis post ipsum successuris admissis, praeterquam si damnatus fuerit ex crimine lesae maiestatis, quo casu exclusis agnatis domino acquiritur.*

17 *Distinctiones à quibusdam relatae, vt nimirum ob delictum vasalli feudalitium domino quidem acquiratur feudum, sed vita vasalli tantummodo durante instar confiscationis bonorum fideicommisso suppositorum reiiciuntur.*

18 *Reiicitur pariter alia distinctio inter agnatos quarti, vel vlterioris gradus, dum admittuntur ad successionem feudi per possessoris delictum amissi, cùm sufficiat eos in prima inuestitura comprehensos esse quotocunque gradu distent.*

19 *Vasallus feudum alienans inscio & irrequisito domino contra constitutiones Lotharij, Corradi, & Friderici, dominum offendit, eique fidem promissam non seruat.*

20 *Feudum à vasallo alienatum inscio & irrequisito domino, ad dominum liberè reuertitur.*

21 *Alienatio feudi facta inscio & irrequisito domino, recensentur inter delicta feudalitia, quae in dominum committuntur, ob quae feuda domino quaeri & aperiri constitutum est.*

22 *Feudum ob alienationem factam inscio & irrequisito domino, quemadmodum ob aliam feloniam, siue culpam in dominum commissam, indistinctè quaeritur & deuoluitur domino, ex communi interpretum opinione, reiectis distinctionibus à Vulteio desuper relatis.*

23 *In Gallia & Prouinciis, in quibus ex consuetudine feuda patrimoniorum naturam sortiuntur, feudum ita demum per alienationem amittitur, si nouus acquisitor à domino minimè laudatus, & inuestitus realem ipsius feudi & actualem possessionem apprehenderit, & maius delictum committere dicitur, quàm per simplicem feudi alienationem factam, & illius possessionem fictè translatam, & propterea feudo priuatur, multo magis quod ad dominum liberè redit & reuertitur.*

24 *Feudum simpliciter & absolutè haereditarium altero de duobus modis,*

modis, vel etiam ex pacto & prouidentia, seu mixtum quod nouum sit liberè alienatur, absque eo quòd filij descendentes, vel agnati in prima inuestitura comprehensi, siue sub qualitate filiorum descendentium, vel agnatorum, siue sub qualitate hæredum poßint alienationem reuocare.

25 *Feudi antiqui, seu paterni ex pacto & prouidentia, vel etiam mixti alienatio reuocatur per filios alienantis, dummodo patri hæredes non existant.*

26 *Feudum alienatum reuocari potest per filios alienantis, & illis non retrahentibus per proximiorem agnatum viuo venditore refuso pretio per emptorem soluto: eo autem mortuo, nullo refuso pretio tanquam in feudo succedens ex communiori DD. opinione.*

27 *Feudum alienatum duplici via reuocatur, vel iure protimeseos, seu prælationis; dum proximior, vel aliàs comprehensus in inuestitura, & de proximo successurus contendit se pro eodem pretio anteponendum emptori, siue sit agnatus remotior, siue omnino extraneus.*

28 *Ius protimeseos, seu prælationis in allodialibus iure sanguinis inducitur; in feudalibus verò inductum fuit non tam iure sanguinis, quàm ex quadam societate contracta inter omnes comprehensos in prima feudi conceßione.*

29 *Feudum alienatum retrahitur in vim iuris feudorum successorij, dum quis iure feudali mortuo alienante tamquam proximior, siue sit filius, siue agnatus vltimi possessoris, ad dicti feudi succeßionem vocatur & admittitur.*

30 *Vocatus ad succeßionem feudi ex pacto & prouidentia, seu mixti, si sit antiquum, vel paternum, mortuo alienante reuocat alienata, nullo refuso pretio, & ad se feudum retrahit.*

31 *Vocatus ad succeßionem feudi ex pacto, & prouidentia, seu mixti, quod sit antiquum, seu paternum iure successorio feudali, reuocat alienationem ab vltimo possessore factam nullo refuso pretio, licèt vltimo possessori hæres extiterit cum beneficio legis, & inuentarij, ex crebriori ac seniori DD. opinione, in quam communiter omnes Feudistæ inclinarunt, & à qua in iudicando & consulendo recedendum non sit.*

32 *Hæres beneficiarius non potuit à defuncto grauari in feudo prædicto*

dicto, quod tamquam extra hæreditatem positum sibi præcipuum retinet.

33 *Hæreditas consistit tantùm in bonis patrimonialibus, ratione quorum non tenetur hæres beneficiarius vltra vires hæreditarias non feudo ex pacto & prouidentia, seu mixto, antiquo tamen, seu paterno.*

34 *Hæres beneficiarius non tenetur gesta per vltimum possessorem in eius vita ad diminutionem, seu alienationem feudi iam dicti rata habere.*

35 *Hæres beneficiarius succedens in feudo iam dicto in vim iuris feudalis successorij, reuocans alienationem ab vltimo possessore eius authore factam, tenetur emptori de euictione, non tamen vltra vires hæreditatis.*

36 *Filius, vel agnatus proximior, si patri, vel vltimo possessori simpliciter hæres extiterit, tenebitur alienationem factam quandiu vixerit, ratam habere.*

37 *Hæres adeundo simpliciter, repræsentat personam defuncti, & cum eo vna eademque persona iuris interpretatione censetur.*

38 *Hæres adeundo simpliciter hæreditatem quasi contrahit, & se obligat ad ea omnia, ad quæ defunctus tenebatur.*

39 *Regula dictæ legis cùm à matre locum habet in hærede simplici, secus in beneficiario.*

40 *Hæres cum beneficio legis patrimonium suum omnino separatum habet ab hæreditate defuncti, nec propterea tenetur de suo satisfacere creditoribus hæreditariis, sed de rebus tantùm in hæreditate repertis, & quatenus vires hæreditariæ patiuntur.*

41 *Hæres beneficiarius factum defuncti approbare non tenetur quatenus rem propriam hæredis, quale est feudum ex pacto & prouidentia, seu mixtum antiquum, seu paternum, alienauerit.*

42 *Filius, seu agnatus ad successionem feudi vocatus iure successorio feudali alienationem ab vltimo possessore factam reuocare non potest, si alienationi consenserit.*

43 *Emptor, seu acquisitor feudi ex pacto & prouidentia ita demum omnino securus erit, si omnes in prima feudi concessione comprehensi alienationi consenserint; quòd si non omnes consenserint, quoad consentientes securus erit, quoad alios verò minimè.*

44 *Ius*

44 *Ius reuocandi feudi alienationem præscribitur quandoque per lapsum anni, quandoque per lapsum 30. annorum.*

45 *Annalis præscriptio obtinet, si alienatio facta fuerit in agnatum remotiorem; tricennalis verò, si in extraneum, seu eum, qui non sit de comprehensis in prima inuestitura, idque ex communi & praiudicata omnium interpretum vno ore consentientium opinione.*

46 *Ius reuocandi feudum alienatum iure protimeseos, seu prælationis refuso pretio perimitur, & extinguitur per anni lapsum; iure verò successionis, nullo refuso pretio per lapsum 30. annorum, iuxta intellectum Pistorij optimis & concludentissimis rationibus fulcitum.*

47 *Anni lapsus computatur à die celebrati contractus alienationis, si filius, vel agnatus, qui reuocare prætendit, illud resciuerit.*

48 *Scientia requisita alienationis factæ ad effectum eam reuocandi intra annum à die scientiæ alienationis factæ, debet esse plena scientia totius negotij cum omnibus suis qualitatibus, vt ab eo demum tempore currere annus incipiat, & per illius lapsum successurus in feudo excludatur à facultate reuocandi.*

49 *Pupillo non currit annus ad retrahendum alienationem feudi iure protimeseos: minori autem, qui alienationem sciuerit, currit, licèt ei succurratur per restitutionem in integrum.*

50 *Per lapsum 30. annorum excluditur filius, seu agnatus, etiam ignorans in feudo successurus à facultate reuocandi alienationem feudi, siue iure protimeseos, siue iure successionis.*

51 *Filius, vel agnatus ignorans alienationem, restitui potest aduersùs lapsum 30. annorum intra quadriennium à die scientiæ, etiam post decursos 30. annos, ex communi DD. opinione; licèt contraria sit verior: vnde meritò prior illa reuocatur à Pistorio.*

52 *Præscriptio 30. annorum interrumpitur per simplicem citationem, vel etiam extraiudicialem interpellationem: annalis autem nonnisi per litis contestationem iudicialiter factam.*

53 *Vsucapio rerum mobilium quæ triennio perficitur, vel immobilium, seu soli, quæ decennio, vel vicennio absoluitur, interrumpitur tantùm per litis contestationem.*

54 *Præscriptio annalis elapsa ad ius protimeseos elidendum, non impedit quin mortuo alienante filius, vel agnatus admittatur ad retrahendum feudum ex capite iuris feudalis successorij, ob causam, seu ius de nouo superueniens.*

55 *Filius, seu agnatus exclusus à priori iure retrahendi, ex capite protimeseos per anni lapsum, licèt per sententiam desuper latam ab eo fuerit exclusus, non propterea minus admittendus erit ad reuocationem dicti feudi alienati, ex dicto capite successorij edicti.*

56 *Tempus retrahendi feudũ ex capite successionis delatæ incipit currere à die mortis vltimi possessoris qui feudum alienauit, dũmodo successurus non sit in iusta ignorantia dictæ mortis.*

57 *Absentia à loco in quo decessit vltimus possessor alienans, præsertim si successurus in longinquis partibus existeret, inducit iustam ignorantiam mortis alienantis.*



PRò complemento tertiæ partis istius tractatus superest articulus discutiendus, an si vasallus ob aliquam ex causis, de quibus suprà feudo priuetur, vel ipso iure, vel per sententiam, ad quem feudum deuoluatur, scilicet, an domino superiori ipsius vasalli ratione feudi, an verò eius filiis, vel illis non admissis, agnatis collateralibus in prima inuestitura comprehensis, quæ discussio in Gallia, prout & in hac patria, & prouinciis circumuicinis, in quibus feuda omnia sunt redacta patrimoniorum instar, signanter quoad ius succedendi, vt suprà demonstratum fuit, locum non habet.

Et idcirco in illis, prout in feudo simpliciter & absolutè hæreditario, vel in feudo nouo ex pacto & prouidentia
1. vasallus delinquendo, † siue culpam aliquam ex prænarratis incurrendo, suis præiudicat hæredibus, vel in ipso feudo nouo sibi successuris ex sui prouidentia, & eo casu feudum, quod sua culpa amisit, quæritur & defertur sine dubio pleno iure domino superiori ipsius feudi, vt probatur ex traditis suprà de feudo simpliciter & absolutè hæ-

reditario

reditario *part. 1. huius tractatus, cap. 4. num. 8. & in cap. 4. huius tertiæ partis*, & in puncto quòd per illius alienationem † non incurratur pœna caducitatis, tenet Bursat. *consil. 49. n. 46.* Idem in feudo nouo deciditur per gloss. communiter approbatam *in c. 1. §. hoc quoque, de success. feud.* & facit text. *in c. 1. §. Item si fuerint, quib. modis feud. amitt. tit. 5. lib. 1.* ea ratione, quia in eo primus acquirens possit † præiudicare suis successoribus, ex not. per Rosenthal *c. 9. concl. 104.* Ita quoque eadem & pari ratione idem iuris constituendum erit in feudis Galliæ, & aliarum Prouinciarum, quæ ex generali consuetudine, seu etiam particulari redacta fuere patrimoniorum instar. 2. 3.

Sed si forsan in hac patria reperirentur aliqua feuda ex pacto & prouidêtia, prout est feudum † de Iauono diœcesis Carpentoratensis, fœlicis recordat. Leone Papa X. Nobilibus de Baroncellis sic concessum, vel in ea patria versaremur, † in qua feuda nô impropriata fuere, sed naturam veri & recti feudi retinuerunt, supposito quòd sint paterna, vel antiqua, aut vasallus deliquit in dominum, quod delictum propriè feudalitium dicitur, & tunc vt dominus † iniuriæ sibi illatæ vltionem habeat, feudum domino acquiritur, dum vasallus per similem culpam illud amittit filiis & descendentibus ipsius delinquentis semper & omni casu exclusis, *cap. 1. si vasal. feud. priuet. & c. 1. §. si vasallus culpam, si de feud. defunct. content. sit.* cum *ibi* not. per gloss. & DD communiter, vt post multos in id congestos firmat Vulteius *d. cap. 11. num. 69.* 4. 5. 6.

Idemque dicendum erit, si in commune delictum inciderit, ratione cuius feudo priuandus sit, vel ipso iure priuetur, vt in crimine læsæ maiestatis. † Certissimû namque est dum ea de causa feudo priuatur, domino acquiri filiis & descendentibus in perpetuum exclusis, quamuis in Gallia vasallo condemnato † ex crimine læsæ maiestatis vsu receptû fuit, vt non domino, sed fisco regio feudum acquiratur, vt suprâ in hac tertia parte *c. 1.* post Ferrer. *in addit. ad Guid. Pap. decis. 413. n. 4. vers. contraria tamen,* sub modificatione inducta per ordinationem Philippi Pulchri plenius deductum fuit. 7. 8.

Sed dum quæritur, an agnati collaterales excludantur à

successione feudi, quo vasallus priuatur, ob culpam, seu delictum ab eo commissum, ita distingui solet, vt si com-
9. miserit culpam in dominum, † per quam dominus contemnitur, seu iniuriâ afficitur, feudo priuetur, quod domino quæratur, etiam exclusis agnatis, quo scilicet iniuriæ suæ vltionem habeat. *§. fin. quæ fuit prim. caus. benefic. amitt. & c. 1. an ille qui interfec. fratr. domini sui.* quo casu nominatim *in d. §. fin.* deciditur proximos ipsius vasalli sic delinquentes excludi à successione feudi paterni, quorum appellatione sine dubio agnati collaterales veniunt, per text. *in d. cap. 1. an ille qui interfec.* &c. vbi deciditur agnatos excludi. Sin verò
10. delictum † commune non feudalitium commiserit, debeat quidem feudo priuari, quòd non ipsi domino, sed ipsis agnatis immediatè deferatur, vt disertè distinguitur in dictis iuribus proximè allegatis. Et iuxta secundum mem-
11. brum dictæ distinctionis † accipiendus erit text. *in d. §. si vasallus culpam, si de feud. defunct. content. sit.* quod communiter receptum fatetur Clar. *in §. feudum, quæst. 66. num 3. in fin.* Itaut in iudicando censeat vix posse contrarium obtineri, & plerique passim indubitanter affirmant dictam distinctionem communiter receptam esse, nec censeant ab illa in iudicando recedi posse, relati per Vulteium *dict. cap. 11. num. 71.* Et ea ratio potest afferri pro sustinenda decisione suprà relata in primo membro dictæ distinctionis, quia ius
12. † domini superioris sit antiquius, & potius iure agnatorum: vnde non mirum, si illis exclusis, domino, vt vltionem iniuriæ sibi illatæ, feudum sic amissum pleno iure quæra-
13. tur, & quia primus concedens † eam tacitam legem iuxta naturam feudorum in prima feudi concessione adiecisse legis interpretatione censeatur, maximè cùm per similem culpam, qua dominus offenditur, & contemnitur vasallus
14. sic delinquens, † infidelis esse dicatur, *d. §. fin. & §. illud enim est certum, in fine, eod. tit.* in illis verbis, *sed fidem promissam seruare non videtur.* vnde deficiente fide, quæ est qualitas
15. essentialis feudi, † vt suprà *in 1. part. in Prolegomenis. §. 1. n. 18.*
16. feudum destruitur. Vnicus autem casus excipitur † à secundo membro dictæ distinctionis, vt nimirum agnati excludantur, si forsan damnatus fuerit vasallus ex capite crimi-

nis

nis læsæ maiestatis, vt plenius tradit Rosenthal *cap. 11. conclus. 6.*

Et ita reiiciendas censeo † distinctiones ex proprio capite quorundam Interpretum confictas contra apertas iuris decisiones, & rationes suprà relatas, dum volunt feudum amissum ex delicto feudalitio domino quidem acquiri, sed ad tempus, scilicet vita durante vasalli delinquentis, iuxta ea, quæ iure ciuili decisa fuere, dum agitur de bonis confiscandis fideicommisso suppositis *l. Statius Florus. §. fin. ff. de iure fisc.* in quibus cessant rationes iuris feudalis suprà propositæ. 17.

Nec verò dum agnati admittuntur † ad successionem, vel ab ea excluduntur, distinguendum est, an sint in quarto gradu, vel vlteriori; sufficit namque eos esse de comprehensis in prima concessione, quotocunque gradu distent à vasallo delinquente tempore delicti admissi, explosa contraria opinione distinguentium inter eos, qui quarto tantùm distent ab iis, qui sunt in vlteriori gradu, vt post Pistor. & Clar. testatur Vulteius *d. cap. 11. num. 71. in fin.* facit text. *in cap. 1. si vasallus feudo priuetur.* 18.

Nec item recipitur quod à quibusdam diuersum inducitur, dum & quando vasallus feudum † alienauit inscio, & irrequisito domino, contra constitutiones Lotharij, Corradi, & Friderici, quia per talem alienationem dominus offenditur dum contemnitur, & vasallus fidem promissam domino suo non seruat, vt in puncto deciditur *in d. § illud enim est certum, in fin. & d. § fin. in fin. quæ fuit prim. caus. benef. amitt.* & ob eam † culpam feudum liberè ad dominum reuertitur. *d. cap. 1. § aut si libellario.* signanter *vers. his omnibus casibus, quibus mod. feud. amitt. cap. 1. in princ. vers. hodie autem, & in d. § callidis, de prohib. feud. alienat. per Frider.* signanter in illis verbis, *& ad dominum liberè reuertitur, & in d. tit. quibus mod. feud. amitt.* Alienatio feudi † facta inscio & irrequisito domino, recensetur inter delicta feudalitia, quæ in dominum committuntur, signanter *in d. vers. his omnibus casibus,* ob quæ certum est feuda domino quæri, & periri. *d. cap. 1. in fin. vers. cùm autem. An ille qui interfec. fratr. domini.* quam communem, & † veriorem, & vulgò per omnes admissam 19. 20. 21. 22.

post

post Bursatum, Aret. Arcad. Ferron. & Brun. testatur Vulteius *dict. cap.* 11. *num.* 78. *vers. alij verò in prorsus contrariam sententiam*, &c. & sic non admittendas censeo distinctiones ab eodem Vulteio relatas *d. num.* 78. *vers. alij distinguunt*, *& vers. cum autem, ad finem vsque numeri*, rationibus ante deducti in casu quo vasallus priuatur feudo ob feloniam siue culpam in dominum commissam, quæ hoc in casu alienationis locum etiam obtinet, & multo magis inspecto iure quo vtimur, signanter in Gallia in hac patria,
23. † & Prouinciis circumuicinis, in quibus feudum non amittitur, ob alienationem etiam inscio & irrequisito domino factam, nisi quatenus acquirens à domino minimè laudatus & inuestitus realem & actualem feudi possessionem apprehenderit, in quo maius delictum maiorque contemptus committitur, quàm per simplicem alienationem inscio & irrequisito domino & possessionem feudi fictè translatam in acquirentem, vt patet ad sensum.

Sin autem feudum licitè alienetur, scilicet consentiente domino, vel alienationem ex postfacto approbante, tunc articuli domino deficienti occurrunt supposito quòd non agatur de feudo simpliciter, & absolutè hæreditario, vel de eo quod in vim consuetudinis, siue generalis, siue particularis, redactum est patrimoniorum instar, vel etiam de feudo ex pacto & prouidentia, seu mixto, quòd nouum
24. sit, cùm possint illa liberè † alienari absque eo quòd possit talis alienatio reuocari per filios & descendentes, vel agnatos in prima inuestitura comprehensos, siue sub qualitate hæredum, siue sub qualitate filiorum & descendentium, vel agnatorum, vt initio huius capitis pleniùs demonstratum fuit, & expressiùs *in 1. part. c. 3. §. 1.*

Tota difficultas versatur, an liceat filiis reuocare feudum antiquum, seu paternum ex pacto & prouidentia, vel etiam mixtum, quod huic potius conuenit & assimilatur, quàm hæreditario, vt suprà *in 2. part. cap. 2. §. 3.* in specie deducitur. Et probatur quòd ab eorum patre alienatum sit,
25. & communiùs † receptum est licere filiis, dummodo eorum patri hæredes non sint, reuocare dictam alienationem, per text. expressos *in §. Titius filios, vers. quod si Titius, si de feud. defunct.*

defunct. content. sit, cap. 1. de successio. feud. & in c. 1. §. sed etiam res, per quos fiat inuestitur. signanter *in d. c. 1. in fin. principij, de successione feud.* in illis verbis, *nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente, & dict. vers. quòd si Titius,* vbi filiis datur ius retrahendi, & illis non retrahentibus †facultas conceditur agnato proximiori feudum alienatum 26. ab emptore viuo adhuc venditore retrahendi, refuso pretio per ipsum emptorem soluto, aut, mortuo venditore, ius reuocandi tanquam succedenti in feudo, nullo refuso pretio, vt deciditur *in d. §. Titius filios, in princ. & in §. hoc quoque, eod. tit. de successione feudi.* Et de crebriori testatur Vulteius post Pistor. *d. c. 11. n. 86.*

Idque obiter notandum, duplici via posse feudum alienatum reuocari, † vel iure protimeseos, seu prælationis, 27. dum proximior, vel aliàs comprehensus in inuestitura de proximo successurus in feudo, viuo adhuc alienante, contendit se pro eodem & pari pretio emptori, siue sit agnatus remotior, siue omnino extraneus, anteponendum esse. *dict. §. sed etiam, res per quos fiat inuestitura.* quod non tam fundatur iure † sanguinis, vt in allodialibus, quàm ex quadam so- 28. cietate inter eos contracta, quòd simul sint comprehensi in prima inuestitura, seu dicti feudi prima concessione, vt solidiùs rem totam considerando, animaduertit Vulteius *d. c. 11. n. 84. vers. strictiùs tamen.*

Altera verò via in vim iuris feudorum successorij, mortuo namque alienante, † qui iure feudali ad feudi succes- 29. sionem tamquam proximior vocatur & admittitur, siue sit filius, siue agnatus vltimi possessoris, mortuo alienante poterit † dictam alienationem reuocare, & ad se feudum re- 30. trahere, nullo refuso pretio si agatur de feudo, siue ex pacto & prouidentia, siue mixto; quod tamen sit antiquum, siue paternum, quod procedit quamuis vltimo possessori, † qui feudum alienauit, hæres extiterit cum beneficio legis 31. & inuentarij, vt in feudo antiquo, seu paterno ex pacto & prouidentia per patrem, siue agnatum vltimum possessorem alienato, testatur Vulteius *d. cap. 11. num. 86. in princ.* vbi post Pistor. testatur in eam sententiam, crebriorem ac saniorem partem commentatorum discessisse, *& eodem num.*

circa finem, *verſ. tametſi hoc etiam caſu*, & ſignanter poſt Menoch. & Roſenthal in finalibus verbis allegatos, & in feudo mixto ſic communiter & magis communiter receptum fuiſſe firmat Vulteius *vbi ſuprà n.* 87. poſt Graſſ. *in §. hæreditas*, *q.* 2. *n.* 29. *verſ. aut loquimur.* Zaſ. Socin. iunior, & Burſat. qui de communi teſtantur in id per eum allegatos, & *n.* 94. poſt multos à ſe congeſtos eius ſententiæ authores, firmat idem Vulteius, ſignanter poſt Curt. iunior. qui ſcribit,
32. omnes Feudiſtas ita tenere, neque enim potuit † à defuncto grauari in feudo, quod tanquam extra hæreditatem poſitum ſibi præcipuum retinet, ſed in bonis patrimoniali-
33. bus, in quibus tantùm † hæreditas conſiſtit, & ratione quorum non tenebitur vltra vires hæreditarias, vt ſuprà latè demonſtratum fuit *in* 2. *part. cap.* 6. §. 2. *num.* 14. 15. 16. poſt Clar. Canner. & Phanuc. *ibi* allegatos, qui de communi teſtantur, & à qua in iudicando & conſulendo recedi non debeat.

Et propterea, vt *ibid.* ſubiicitur *n.* 17. *& ſeqq. ad finem vſ-*
34. *que* §. non tenetur geſta † per vltimum poſſeſſorem in eius vita, ad diminutionem, ſeu alienationem feudi rata habere, rationibus de quibus ſuprà *ibid. n.* 17. ſignanter *num.* 18. adeò vt quamuis hæres ſit dicti vltimi poſſeſſoris, poterit tamen eius factum, videlicet alienationem dicti feudi impugnare, eamque reuocare, cōtra regulam legis *cùm à matre*, *C. de rei vindic.* ex notabili doctrina Caſtrenſ. *conſ.* 448. *n.* 3. *vol.* 2. & in puncto per Loffred. *conſil.* 1. *n.* 16. licèt eo nomine
35. tanquam hæres defuncti † emptori de euictione teneatur, non tamen vltra vires ipſius hæreditatis, quam diximus conſiſtere in dictis bonis patrimonialibus tantùm.

36. Sed ſi filius patri, vel † agnatus proximior in feudo ſuccedens vltimo poſſeſſori hæres ſimpliciter extiterit, tunc tenebitur alienationem feudi à patre, ſeu agnato eius prædeceſſore factam, quamdiu vixerit, ratam habere, vt de filio teſtatur Vulteius *d. cap.* 11. *n.* 86. *verſ. quòd ſi filius*, poſt Graſſum *vbi ſuprà*, Zaſium, & quamplures alios in id cumulatos; de agnato verò ad feudi ſucceſſionem vocato, ſi eius deceſſori ſimpliciter hæres extiterit, ex communi ſcribentium calculo firmat idem Vulteius *d. c.* 11. *num.* 93. *verſ. at ſi agnatus*,

agnatus; tunc enim verè † dicitur repræsentare personam 37.
defuncti, quòd vna & eadem persona cum eo iuris interpretatione censeatur esse. § 1. *Authentic. de iureiur. à morien. præstit.* & hæreditatem simpliciter † adeundo dicatur quasi 38.
contrahere, eoque medio se obligare ad omnia adimplenda, ad quæ defunctus tenebatur. §. *hæres quoque. Instit. de oblig. quæ ex quasi contract. & l. 3. §. fin. ff. ex quib. caus. in possess. eatur.* cum similibus: vnde eo casu † intrat regula *d. l. cùm à* 39.
matre; secus verò in hærede cum beneficio legis & inuentarij, cuius patrimonium beneficio † inuentarij omnino se- 40.
paratum manet ab hæreditate defuncti, nec propterea tenetur de suo satisfacere creditoribus hæreditariis, sed de rebus tantummodo hæreditariis, & quatenus vires hæreditariæ extenduntur, adeò vt de suo nihil soluere, seu præstare teneatur. *l. finali. §. & si præfatam*, cum *ibi* not. *C. de iur. deliber.* vnde neque factum defuncti approbare † tenetur, quatenus 41.
rem propriam hæredis, puta feudum ex pacto & prouidentia, seu mixtum antiquum, siue paternum alienauerit, licèt eo nomine de euictione teneatur, quatenus vires hæreditariæ sufficient, & de bonis hæreditariis in esse reperietur.

Secundo verò loco limitatur cõclusio suprà firmata circa ius cõpetens † filio, vel proximiori agnato in feudo prædicto 42.
succedentibus pro reuocatione dicti feudi, si nimirum alienationi consenserint, tunc si omnes † in inuestitura com- 43.
prehensi consenserint alienationi dicti feudi, securus erit emptor; si non omnes consenserint, tunc quoad consentientes securus erit, quoad alios verò minimè. §. *Titius, si de feud. defunct. content. sit, &* §. 1. *de alien. feud. paterni*, cum *ibi* not.

Sed ius competens † iam dictis successoribus pro reuoca- 44.
tione ipsius feudi ab acquisitoribus eiusdem, expirat, & extinguitur quandoque per lapsum anni. *d.* §. *Titius filios*, vbi omnes in eam iuere sententiam, vt censeant † annalem 45.
præscriptionem locum habere dum & quando alienatio facta fuerit in agnatum remotiorem; tricennalem verò si in omnino extraneum, seu eum, qui non sit de comprehensis in prima inuestitura, alienatum fuerit, quod inferunt ex proposita facti specie *in d.* §. *Titius filios*, vbi agebatur de alienatione feudi facta per illius possessorem in agnatum

remotiorem, & *ibid.* nominatim deciditur locum habere annalem præscriptionem: vnde in casu contrario, nimirum alienatione facta in omnino extraneum, qui non sit de comprehensis in prima inuestitura, præscriptionem tantùm tricennalem locum habere, iuxta communes regulas iuris, per text. *in l. sicut, & l. omnes. C. de præscript. 30. vel 40. annorum*, quod iure feudali receptum fuit, vt videre est *in §. si quis per triginta, d. tit. si de feud. defunct. content. sit* & per me suprà *in 1. part. cap. 4. per totum* fusissimè demonstratum fuit, eamque distinctionem omnium interpretum calculo receptam fuisse, post Rosenthal *cap. 9. conclus. 125.* Pistor. *2. part. de feud. quæst. 8. num. 2.* qui in primo membro dictæ distinctionis de magis communi testatur, eamque opinionem optima ratione niti; in secundo verò membro eiusdem distinctionis omnes Interpretes ad vnum vsque in sententiam glossæ *in d. §. Titius*, perornatis pedibus iuisse, vt Vulteius pleniùs refert, pluribus in id congestis & cumulatis authoribus, signanter Menoch. in vtroque membro ita sentiente, videlicet *d. cap. 11. num. 108.* Nec displicet Pistorij distinctio ab eo proposita *d. quæst. 8. num. 31. & seq.* dum non habito respectu ad personas, in quas feudum alienatum est, distingui anni lapsum à lapsu triginta annorum, prout distinguendo fecerunt communiter Interpretes nostri suprà proximè relati. Sed habito respectu ad ipsum ius reuo-
46. candi, vt facultas reuocandi iure † prælationis, seu protimeseos refuso pretio emptori, aut eo soluto in exonerationem emptoris perimatur per anni lapsum, in quibus terminis loquitur text. *in d. §. Titius filios, in fin.* Facultas autem reuocandi iure successionis post mortem alienantis nullo reddito, seu refuso pretio per lapsum. 30. annorum, imò ea distinctio mihi plurimum arridet, quæ textibus feudalibus, & genuina ratione nititur, vt pleniùs videre licet apud eundem Pistor. signanter *à d. n. 31. vsque ad n. 40.* vbi rationes concludentissimas affert dictæ suæ nouæ distinctionis, & contrariis respondet.

47. Annuum autem illud spatium † computant Interpretes à tempore contractus celebrati super alienatione ipsius feudi; incipiendo tamen annuum spatium computare ab eo demum


demum tempore, quo filius, seu agnatus proximior alienationem factam resciuerit, *d. §. Titius filios, in fin.* per illa verba, *vel per annum ex quo sciuit, tacuit*, vbi nominatim loquitur de facultate reuocandi iure protimeseos, & postquam verbum *sciuit* significat certam scientiam, *cap. concertationi, de appell.* requiritur scientia plena totius † negotij 48.
cum omnibus suis qualitatibus, signanter ad effectum præiudicij, quo excludatur à dicto iure retrahendi feudum alienatum. Rot. *in recentio. decis.* 608. *num.* 14. *part.* 2. Et ita tenet in puncto Pistor. *d.* 2. *part. quæst.* 12. *& num.* 25. *vsque ad n.* 31. inclusiuè. Et inde infert *n.* 32. annuum illud spatium † pupillo non currere, minori verò scienti currere; cui tamen succurratur per restitutionem in integrum, vt subiicit 49.
ibid. Pistor. *à n.* 33. *vsque ad n.* 36.

Per lapsum verò 30. annorum † filium, seu agnatum excludi etiam ignorantem, à dicto iure prælationis, seu facultate reuocandi iure successionis, censuerunt interpretes, vt videre est apud Pistor. *vbi suprà à num.* 36. *ad n.* 39. & Rosenthal *in sua synopsi c.* 9. *concl.* 125. quem tamen volunt ex communi, licèt minimè, vera opinione eum restitui posse 50.
† intra quadriennium à die scientiæ post decursos dictos 30. annos, ex clausula generali, *si qua mihi iusta causa videbitur*, ex notat. *in l. cùm filius. §. in hac. ff. de verb. oblig. l. si parte. §. fundum. ff. quemadm. seruit. amitt.* & in specie per Bart. *in l.* 1. *§. si quis autem. ff. de itin. actuq. priuat.* quæ tamen opinio tanquam veritati contraria reprobatur à Pistor. *d. q.* 12. *à n.* 40. *vsque ad n.* 44. Et cùm præscriptio 30. annorum † interrumpatur per simplicem citationem, vel etiam extraiudicialem interpellationem *l. sicut. & l. cùm notissimi*, & *ibi* not. *C. de prascript.* 30. *vel* 40. *annorum.* Secus dicendum erit in hac præscriptione annali, quippe quæ non interrumpitur, nisi per litis contestationem iudicialiter factam instar vsucapionis, quæ † triennio perficitur pro acquirendo dominio rerum mobilium, seu per se mouentium *l. vnic. C. de vsucap. transform.* vel longi temporis decem, seu viginti annorum præscriptionis pro acquirendo dominio rerum soli, seu immobilium. *l.* 10. *C. de acquir. vel retinen. possess. l.* 1. *l.* 2. *& l.* 10. *C. de prascript. long. temp.* cum *ibi* traditis per gloss. & DD. vt in puncto notat Pistor. 51. 52. 53.

dict. quaest. 12. num. 44. & num. 45.

54. Et licèt puta per anni lapsum, agnatus, seu filius † exclusus fuerit à iure retrahendi feudum, ex *cap. iuris praelationis*, postea tamen mortuo alienante ex causa, seu iure de nouo superueniente, non propterea minus admittetur ad retrahendum feudum alienatum ex capite successionis dicti feudi sibi delatae per obitum vltimi possessoris, qui alienauit, vt in puncto tenet Pistor. *d. q. 12. à n. 46. vsque ad n. 49.* quod verum,
55. † licèt per sententiam à priori iure retrahendi propter anni lapsum fuerit exclusus, per text. *in l. si fullo. ff. de condict. sine causa. l. si commodato. §. fin. ff. commodati.* DD *in l. Iulianus. ff. de condict. indeb.* Gratian. *disceptationum forens. c. 408. n. 15.* post Surd. *cons. 268. n. 26. vsque ad n. 3.* Tempus autem retra-
56. hendi feudum † ex capite successionis sibi delatae currere incipit à die mortis dicti vltimi possessoris qui feudum alienauit, dummodo qui successurus est in dicto feudo, non sit in
57. iusta ignorantia dictae mortis, dum forsan absens foret † ab eo loco, in quo decessit vltimus possessor alienans, & in longinquis partibus existeret, qua de re videndus Rosenthal, qui plenissimè dictum articulum examinat, *cap. 9. conclus. 120.*

FINIS.



Ad lib. primum Codicis.

DE IVRE SACRO.

PRÆFATIO.

PRo titulorum huiusce primi libri interpretatione frequentiores & vtiliores deligendo, aliis omissis, duo capita constituo, quorum

Primum circa ius sacrum versatur, & sub eo quatuor potissimum titulos explicandos suscipio, nimirum,

De sacrosanctis Ecclesiis.
De Episcopis, & Clericis.
De Episcopali audientia, &
De his qui ad Ecclesiam confugiunt.

Secundum circa ius publicum, & sub eo titulos selectiores comprehendam, de quibus postea suo loco.

Itaque pro iuris sacri perfecta cognitione inquiram

I. Quid Ecclesiæ appellatione veniat.

II. An Ecclesia bona immobilia possidere possit, & à quo tempore cœperit, & in quotuplici differentia sint Ecclesiarum bona.

III. Quinam Clericorum appellatione veniant, & cuiusnam generis bona possideant, & à quo tempore cœperint, præsertim extra communionem, seu vitam socialem.

IV. Quænam sint immunitates primùm ipsis Ecclesiis concessæ, deinde bonis per eas, & per Clericos respectiuè possessis.

V. &c.

V. & postremò, quænam immunitas Clericis competat, maximè ratione fori.



CAPVT I.

Quid Ecclesia appellatione veniat.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia tripliciter sumitur, vel pro vniuersa fidelium congregatione, quæ sub vno capite, nimirum Romano Pontifice regitur.*

2 *Ecclesia item sumitur pro ædibus Deo consecratis, in quibus sacra mysteria peraguntur, conciones habentur, diuinæ laudes decantantur, Deo orationes & cultus cum latria exhibentur, eaque omnia fiunt, quæ ad diuinum cultum tendunt.*

3 *Ecclesia item sumitur pro collegio Clericorum, puta Canonicorum, aliàs Sacerdotum Senatu, seu Capitulo.*

1. ECclesia autem in triplici † significatu accipitur, primò pro vniuersa fidelium congregatione, quæ sub vno capite regitur, nimirum Romano Pontifice. *l.2.in fin. C.de Summ.Trinit. & fid.Cath.* dum de Episcopis fidem Ecclesiæ Catholicæ tenentibus
2. mentio habetur. Secundò pro ædibus † Deo consecratis, in quibus sacra mysteria peraguntur, conciones habentur, diuinæ laudes decantantur, Deo orationes & cultus cum latria exhibentur, eaque omnia fiunt, quæ ad cultum diuinum tendunt, & in quas ad effectus præmissos fideles laici cum Clericis solemni ritu congregantur. *cap.cùm Ecclesia, & cap.Ecclesia, de immunit. Ecclesiar.* Tertiò pro collegio Cle-
3. ricorum, † puta Canonicorum, aliàs Sacerdotum Senatu, seu Capitulo, *tit.de his quæ fiunt à maio.part.capit.* cum similibus: nos autem hîc Ecclesiam accipimus in secundo significatu.

CAP.



CAPVT II.

An Ecclesia bona immobilia possidere possit, & à quo tempore cœperit, & in quotuplici differentia sint Ecclesiarum bona.

SVMMARIVM.

1 *Initio nascentis Ecclesiæ bona immobilia per Ecclesias non possidebantur.*

2 *Initio nascentis Ecclesiæ fideles iuxta consilium Euangelicum, quod non erat necessitatis, omnia sua vendebant, & pretium ad pedes Apostolorum proiiciebant, quo inter eos esset commune, & æqualiter inter omnes pro cuiusque necessitate dispensaretur.*

3 *Quod primum vsu receptum fuit Hierosolymis, dum ibi Ecclesia suum habuit initium post Christi ascensionem in cælos.*

4 *Primi fideles id vsurparunt, vt omnia bona sua venderent, prauidentes Hierosolymorum excidium, sibique migrandum, & in Gentibus futuram Ecclesiam, nec deinde ob persecutiones sibi licitum fore bona palàm & publicè possidere.*

5 *Ecclesia vsque ad tempora Constantini Magni, qui primus Imperatorum Baptismum suscepit, & fidem Christi publicè professus fuit, nulla bona immobilia possedit.*

6 *Constantinus Imperator immensa donaria contulit Ecclesiæ, Templa & Basilicas fabricari curauit, eiusque exemplo alij postea idem fecere.*

7 *A tempore Constantini non occultè, sed palàm & publicè sacra mysteria peragebantur.*

8 *A tempore eiusdem Constantini Altaria non iam lignea, & amouibilia, sed lapidea solo fixa visebantur, cum titulo, seu inscriptione eius, cuius nomine, seu titulo dedicabantur.*

9 *A titulis, seu inscriptionibus, quæ singulis Altaribus solo fixis apponebantur, fluxit origo titulorum, qui Romæ etiam hodie*

per Eminentissimos Cardinales reguntur.

10 A temporibus Constantini Magni infra prauidentes, qui Ecclesiæ præerant, plus vtilitatis fore, si non vlterius in pecunia, sed in bonis soli facultates Ecclesiæ consisterent, cœperunt bona immobilia conseruare, & penes Ecclesias retinere, eaque tradere Ecclesiis matricibus.

11 Ex dictorum bonorum redditibus, quæ penes Ecclesias matrices remanebant, Ecclesiæ ministri sustentabantur, & fidelium necessitatibus subueniebatur, sic in perpetuum prouidendo, vt nemo in iis egenus inueniretur.

12 Successu temporis Clerici communiter cum Episcopo viuentes conquesti, quòd forsan Episcopi bonorum redditus æqualiter non dispensarent, in causa fuere, quòd dicti redditus in quatuor partes æquales diuisi fuerint, quorum vna pars fuit assignata Episcopo pro se suáque familia, & aduenis hospitio excipiendis, reliqua verò tres apud Clericos manserunt.

13 Earum trium quæ apud Clericos manserunt, vna pro eorum sustentatione, altera pro fabrica & ornamentis Ecclesiæ, tertia verò pars in vsus pauperum destinata mansit.

14 Distributio prædicta cum diuisione dictorum redditum locum obtinebat quoad bona matricibus Ecclesiis concessa.

15 A matricibus Ecclesiis, nedum Cathedrales, in quibus Episcopus cum Capitulo Clericorum vnum corpus constituit, verùm etiam Parochiales dependebant.

16 Ecclesiâ fabricatâ in pagis, siue in agris citra ius Parochiæ cum dotis assignatione, quæ necessariò requiritur in cuiuslibet Ecclesiæ fabricatione, redditus illius in quatuor partes similiter destinabantur.

17 Quarta quæ in matricibus Ecclesiis Episcopo assignabatur, in istis Ecclesiis ruralibus aduenis hospitio excipiendis destinabatur.

18 Post primam Ecclesiarum dotationem bona quæ per Ecclesias postea quæsita fuerunt, plerumque ex superabundantia redituum in causa fuere, vt Ecclesiarum bona in duplici differentia reperiantur.

19 Alia namque Ecclesiarum bona dicuntur quæsita ex fundatione, alia verò extra fundationem.

Am

N verò bona possidere possit, & à quo tempore cœperit, respondendum puto, initio † nascentis Ecclesiæ bona immobilia non possedisse, dum scilicet fideles eo tempore iuxta † consilium Euangelicum, quod non erat necessitatis, exemplo Ananiæ & Saphiræ apud acta Apostolorum *cap.5.* omnia sua bona venderent, & pretium ad pedes Apostolorum proiicerent, quo inter eos communia essent, & inter ipsos æqualiter pro cuiusque necessitate dispensarentur. *can. dilectissimis. §. istius enim consuetudinis*, 12. *quæst.* 1. *& Actor.* 2. *circa fin.* Et primum id quidem Hierosolymis seruatum † fuit, dum ibi Ecclesia suum habuit initium, maximè post Christi in cœlos ascensionem, præuidentes nimirum † Hierosolymorum excidium, sibique migrandum & in Gentibus futuram Ecclesiam, nec deinde ob persecutiones sibi licere bona palàm & publicè possidere, propterea vsque ad Constantini Magni tempora, qui primus † Imperatorum Baptismum suscepit, & fidem Christi palàm & publicè professus fuit, nulla bona immobilia illuc vsque possedit. *can. futuram* 12. *quæst.* 1. Constantinus namque † vniuersa donaria contulit Ecclesiæ, Templa & Basilicas ædificari curauit, eiusque exemplo alij idem fecere, ita vt non iam occultè, † sed palàm & publicè sacra mysteria peragerentur. *d. can. futuram. §. fin.* Altaria non lignea, † sed lapidea solo fixa visebantur, cum titulo, seu inscriptione eius cuius nomine, seu titulo dedicabantur. Vnde † titulorum, qui Romæ per Eminentissimos Cardinales reguntur, Parochiarum instar fluxit origo, & videntes, qui † Ecclesiæ præerant plus vtilitatis fore, si non vlteriùs in pecunia, sed in bonis soli facultates Ecclesiæ consisterent, cœperunt bona prædicta conseruare, & Ecclesiis matricibus tradere, quo † ex eorum redditibus Ecclesiæ ministri sustentarentur, & fidelium necessitatibus subueniretur, vt nemo in eis egenus inueniretur, sic prouidendo, *can. videntes* 12. *q.* 1.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Vnde successu temporis † cùm Clerici communiter viuerent cum Episcopo, conquererentur quòd forsan Episcopi non æqualiter dispensarent redditus prædictos, assignata fuit quarta pars dictorum reddit-uum Episcopo, pro se 12.

suáque familia & aduenis hospitio excipiendis; reliquæ verò tres partes apud Clericos manserunt, quarum vna pro
13. eorum † sustentatione, altera pro fabrica & ornamentis Ecclesiæ; tertia verò restans in vsus pauperum destinata mansit. *can. concesso*, cum 4. *seqq.* 12. *quæst.* 2. & id quidem quoad
14. ad bona † matricibus Ecclesiis concessa, à quibus nedum
15. Cathedrales, † in quibus Episcopus cum Capitulo Clericorum, vulgò Canonicorum vnum corpus constituebat, vt plerumque etiam hodie, tit. *de his quæ fiunt à Prælat. sin. consen. Capit.* verùm etiam Parochiales dependebant; sed si in pa-
16. gis, † siue in agris quædam Ecclesia citra ius Parochiæ fabricata fuisset cum dotis assignatione, nec enim aliter permittitur Ecclesiæ fabricatio. *can. placuit* 1. *quæst.* 2. *can. siquidem* 10. *quæst.* 1. *can. nemo Ecclesiam ædificet, de consec. distinct.* 1.
17. tunc redditus similiter destinabantur. Sed quarta † quæ in aliis Episcopo assignabatur, hîc aduenis destinabatur. *can.*
18. *sancimus* 12. *q.* 2. & cùm † post Ecclesiarum dotationem bona etiam per Ecclesias quæsita fuerint, plerumque ex su-
19. perabundantia redituum euenit, vt celebrari bona † in duplici differentia reperiantur, quædam ex fundatione, quædam verò citra fundationem quæsita.



CAPVT III.

Quinam Clericorum appellatione veniant, & cuiusnam generis bona possideant, & à quo tempore cœperint, præsertim extra communionem, seu vitam socialem.

SVMMARIVM.

1 *Clerici dicuntur ij omnes, qui sunt de sorte, funiculo & hæreditate Domini.*

2 *Clericorum appellatione veniunt Ostiarij, Lectores, Acolyti, Exorcistæ, qui quatuor minores vulgò dicuntur, Sacerdotes,*

tes, Diaconi, Subdiaconi, qui in Sacris sunt constituti.

3 Sacerdotes consecrant & sacrificant.

4 Diaconi ministerij dispensationem habent.

5 Subdiaconi sic dicti quòd Diaconorum praeceptis subiaceant.

6 Episcopi sunt ij, qui populo praesunt, & clero in sua diœcesi, quae ad eos pertineant, priuatiuè ad alios.

7 Archiepiscopi, Metropolitani & Patriarchae pallium lana contextum reliquiis sancti Petri decoratum sibi à Romano Pontifice transmissum recipiunt cum quo sepeliuntur.

8 Clerici ante Constantinum bona immobilia non possidebant.

9 A Constantini temporibus citrà Clerici viuentes cum Episcopo bona possidebant in communi, vitam socialem cum eo ducentes.

10 Ab Episcopo verò separati ea possidebant in communi cum reliquis Clericis de eodem Capitulo existentibus, sub eodem tecto, & refectorio viuentibus.

11 Clerici demum ab ea communione recesserunt, & quo dietim pro victu in communi refectorio distribuebatur, cœpit singulis distribui in pecunia, vino, frumento, pro interessentia horis canonicis, inde fluxere distributiones quotidianae.

12 Pars fructuum, seu reddituum bonorum Ecclesiae quae supererat post dictas distributiones factas cuique Clericorum pro rata fuit assignata, inde fluxere Praebendae à praebendo dictae.

13 Ex bonis assignatis caeteris Ecclesiis particularibus Collegium non habentibus caetera fluxere beneficia Ecclesiastica, alia cum cura animarum, alia sine cura.

14 Clericus beneficiatus licèt habeat ex beneficio vnde viuere possit, potest tamen bona sua patrimonialia retinere, & de illis disponere.

15 Clerici iuxta perfectiorem vitam sequentes consilium euangelicum bona sua dimittebant.

16 Clerici bona patrimonialia habentes debent ea separatim possidere à bonis Ecclesiae.

17 Quae ad perfectionem tendunt non sunt necessitatis.

18 Clerici bona propria possidentes viuere possunt tanquam nihil habentes, omni affectu à terrenis abdicato.

19 Clericorum bona alia sunt Ecclesiastica, alia patrimonialia.

1. Clericorum verò † appellatione veniunt omnes qui in sortem domini de sorte, funiculo, seu hæreditate domini sunt. *can. cleros, distinct.* 21. siue
2. loquamur † de quatuor minoribus, quales sunt Ostiarij, Lectores, Acolyti, Exorcistæ, quorum officium separatim describitur *in dict. can. cleros. §. Lectores*, siue Sacer-
3. dotes † qui consecrant & sacrificant. *d. can. cleros. §. sacer-*
4. *dos.* siue † Diaconi qui ministerij dispensationem habe-
5. bant, siue † Subdiaconi, sic dicti quòd Diaconorum præ-
6. ceptis subiacerent *d. can. cleros, §. Leuitæ, cum § seq.* siue † Episcopi qui populo præsunt & clero in sua diœcesi, ad quos pertinet ius Ordines conferendi, consecrandi Ecclesias, chrisma & olea sancta conficiendi, chrismate frontem signandi, & dandi Spiritum sanctum per manuum impositionem, *Actor. cap.* 8. quæ soli possunt Episcopi. *d. can. cleros,*
7. *§. Presbyter. vers. ideo autem*, vel his superiores, † qui authoritate eos præcedunt, non ordine. *d. can. cleros. §. ordo, & §. omnes autem.* dicèt Patriarchis, Archiepiscopis, & Metropolitanis Pallium à Rom. Pontifice transmittatur lana contextum, reliquiis D. Petri decoratum, cum quo vitâ functi sepeliuntur.

8. Sed Clerici ante Constantini † tempora bona Ecclesiarum immobilia possidere non potuerunt, postquam ab Ec-
9. clesiis nondum possidebantur. Ab eo verò tempore † vitam socialem ducentes cum Episcopo in communi possede-
10. runt; postea ab Episcopo separati † cum reliquis clericis, de eodem Capitulo, seu collegio existentibus, pro communi habuerunt, sub eodem tecto & refectorio viuentes. *d. cap. concesso, & seqq.* cum *ibi* notat. successu temporis ab ea etiam
11. communione recesserunt. † Et quod dietim pro victu in communi refectorio distribuebatur, cœpit singulis distribui in pecunia, vino & frumento pro eorum interessentia horis canonicis, & inde fluxere distributiones quotidia-
12. næ. Et rata pars † reliquorum fructuum ipsius Ecclesiæ cuique assignata fuit, vnde fluxere Præbendæ, à præbendo dictæ. *cap. relatum, de preben.* Ex bonis autem assignatis
13. † Ecclesiis particularibus collegium non habentibus, *d. cap. sanctimus*, cætera fluxere beneficia, quandoque cum cura animarum

animarum, si ius Parochiæ haberent, vel sine cura, & citra ius Parochiæ.

An autem Clerici beneficiati, † qui ex beneficio habent 14.
vnde viuere possint, bona sua patrimonialia retineant, licèt iuxta perfectiorem † vitam dimitterent. *cap. Clericus,* 15.
cap. nolo 12. *q.* 1. tamen ea retinere potuerunt. *cap. Episcopi, cap. manifesta, cap sint manifesta* 12. *q.* 1. *& cap.* 1. *de testam.* dum Clericis datur libera de illis disponendi facultas; & ideo manifesta † debeat eorum esse separatio à bonis Ecclesiæ. Vn- 16.
de D. Augustinus *in cap. certè ego* 12. *quæst.* 1. declarat se non tollere clericatum ei qui bona propria in communi posuerat, deinde à communione recessit. Nec quæ ad perfe- 17.
ctionem † tendant, de qua *in d. cap. Clericus*, sint necessita- 18.
tis, maximè cùm Clerici propria † possidentes possint viuere tanquam nil habentes, iuxta dictum Apostoli, omni affectu à terrenis abdicato, & inde sequitur Clericos duo genera † bonorum possidere, scilicet Ecclesiastica, & patri- 19.
monialia.



CAPVT IV.

Quænam sint immunitates primùm ipsis Ecclesiis concessa, deinde bonis per eas, & per Clericos respectiuè possessis.

SVMMARIVM.

1 *Iudicia sanguinis in Ecclesiis Deo dicatis, etiam nondum consecratis, earumque cœmeteriis, septis, atriis per iudices sæculares agitari non possunt.*

2 *Septa maiorum Ecclesiarum per* 40. *passus in ambitu ea gaudent immunitate, inferiorum autem per* 30. *passus.*

3 *Capellæ ambitum non habent.*

4 *Ecclesiæ Parochiales, quæ contiguas habent laicorum domus, & septa, dicuntur habere habitationes Clericorum, quæ constructa conspiciuntur.*

5 *Ea immunitas Ecclesiarum locum habet nedum quoad causas sanguinis, verùm etiam quoad causas ciuiles, imò & quoad negotia sæcularia, ne scilicet Vniuersitates, Concilia, conciones, publica Parlamenta in eis habere possint.*

6 *Negotiationes, præcipuè nundinæ, in Ecclesiis, & earum septis exerceri non possunt, si secus fiat, vitio nullitatis corruunt.*

7 *Disceptationes & iudicia inibi exerceri possunt coram iudicibus Ecclesiasticis.*

8 *Iudicia tamen Ecclesiastica intra Ecclesias earumve cœmeteria agitari non solent, sed intra palatium Episcopi, vel Clericorum ædes.*

9 *Confugientes ad Ecclesias earumve cœmeteria, porticus & atria, siue sint liberi, siue serui, ab illis extrahi non possunt ob loci reuerentiam.*

10 *Serui qui ad Ecclesias confugerint domino restituuntur, si iuratoriè cauerit de impunitate, aliàs extrahi non possunt, & contra facientes puniuntur pœna pecuniaria & excommunicationis.*

11 *Liberi homines inuiti non extrahuntur ab Ecclesiis quacunque ex causa ad eas confugerint, siue ob æs alienum, siue ob delicta admissa, licèt grauiora.*

12 *Rectores Ecclesiarum confugienti obtinere debent vitam, membra & pacem, eumque inducere vt parti læsæ satisfaciat.*

13 *Abstrahens aliquem per vim ab Ecclesia, ad quam confugerit, excommunicatur, nec absoluitur nisi reposita persona abstracta.*

14 ***Immunitas prædicta etiam locum habet in hospitalibus & aliis locis piis, & in palatio Episcopi, quamuis sit extra 40. passus.***

15 ***Immunitate Ecclesiarum non gaudent de iure ciuili homicida, adulteri, virginum raptores, vel his similia crimina committentes, ob quæ crimina licebat curiæ sæculari eos capere intra septa Ecclesiarum.***

16 ***Latro famosus de iure canonum non gaudet immunitate Ecclesiarum.***

17 ***Latro famosus dicitur qui publicas stratas obsidet, ac viatores ex insidiis aggreditur.***

18 Nocturnus

18 *Nocturnus agrorum depopulator & homicida, qui per insidias & proditoriè proximum interfecerit, item qui appensatè occiderit, & veneno necauerit, non gaudent immunitate Ecclesiarum.*

19 *Assassinus qui pecunia, vel aliquo vice pecuniæ sibi dato, vel promisso, Christianum interfecerit, reus læsæ maiestatis diuinæ, seu humanæ, si ad Ecclesias confugerit, non gaudet earum immunitate.*



Vartum huiusce interpretationis caput versatur circa immunitates, & *primò* quidem Ecclesiæ, † ædes Deo dicatæ, vel nondum consecratæ, ad id tamen destinatæ. *cap. Ecclesia, de immun. Eccles.* cùm earum cœmeteriis, septis, atriis & porticibus eis adhærentibus, hanc habent immunitatem ob loci reuerentiam & venerationem, vt iudicia sanguinis in eis per iudices sæculares agitari non possint. *cap. cum Ecclesia, de immunit. Eccles.* vbi ad cœmeteria extendit. *cap. sicut antiquitus, cap. quisquis. §. sacrilegium 17. q. 4.* vbi de septis † maiorum Ecclesiarum per 40. passus in ambitu, & inferiorum per 30. cùm in capellis † nullus detur ambitus. *d. cap. quisquis. §. capella* per quem declarat text. *in d. cap. sicut antiquitus.* Idem dicendum de Parochiis † quæ habent contiguas laicorum domos, intra quæ septa Clericorum habitationes constructæ conspiciuntur, quæ immunitas locum habet, † nedum quoad causas sanguinis, verùm etiam quoad causas ciuiles, immò & quoad negotia secularia, ne scilicet vniuersitates inibi consilia, conciones, & publica Parlamenta in eis habere possint. Nec item negotiationes, † & præcipuè nundinæ. *cap. 2. §. cessent, & seqq. de immunit. Ecclesiar. lib. 6.* si secus fiat, vitio nullitatis corruunt. *d. cap. 2. § ordinarij.* Disceptationes verò † & iudicia inibi exerceri possunt coram iudicibus Ecclesiasticis, ex communi sententia, per text. *in cap. preceptum 2. q. 2 & cap. qua fronte, de appellat.* cum *ibi* notat. licèt ex decore † non intra Ecclesias, vel earum cœmeteria agitari non soleant, sed intra Episcopi palatium, vel Clericorum ædes, aut tribunalia, quæ in id eriguntur.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Item ob loci reuerentiam Ecclesiæ eam habent immunitatem,

9. tatem, vt qui ad eas † earumve cœmeteria, septa, porticus & atria ipsis adhærentia confugerint, siue sint serui, siue liberi, ab illis extrahi non valeant. *l.2.l.3.& l.4.C.de his qui*
10. *ad Ecclesi.confug.* Et quidem serui † domino restituuntur, si iuratoriè cauerit de impunitate. *l.vlt.§.sanè. C.eod.tit.cap.inter alia.§.fin.de immunit.Eccles.* aliàs ea non promissa non possunt abstrahi, & contrafacientes puniuntur pœna pecuniaria, & excommunicationis. *cap.si quis contumax* 17.q.4.
11. Liberi autem homines † non extrahuntur inuiti, siue ob æs alienum ad euitandos carceres eò confugerint. *d.l.fin.in princ.* §.1.& 2. siue ob delicta admissa, licèt grauiora. *d.l.3.* facit item *l.1.C.eod.*& text.*in cap.sicut antiquitus,cap.reum* 17.
12. *q.4.* vbi quòd vitam, membra † & pacem, rectores Ecclesiarum confugæ obtinere debeant, eumque inducere vt
13. parti læsæ satisfaciat, si quis per vim † abstraxerit excommunicatur. *d.cap.sicut, d.c.si quis contumax, cap.miror,& c.frater* 17.*q.*4. Nec absoluitur, nisi priùs reposita persona, quam abstraxerit. *d.cap.miror.* Et ita videmus plenissimè diffinitum *in cap.id constituimus* 17.*q.*4.*& in cap.inter alia,*
14. *de immun.Ecclesiar.* quæ immunitas † etiam habet locum in Hospitalibus, & aliis locis piis, ex Bald. *in l.si quis ad declinandam.§.si omnibus n.*21.*C.de sacrosanct.Eccles.* Et in palatio Episcopi, quamuis sit extra 40. passus, ex Couarr.*lib.2.variar.cap.*20.*numer.*5.*versic.*5.*infertur*, qui de communi
15. testatur. Sed de iure ciuili † plerumque crimina excipiebantur, ob quæ licebat curiæ seculari delinquentes intra septa Ecclesiarum capere, puta homicidas, adulte-
16. ros, virginum raptores. Sed de iure Pontificio † excipitur
17. famosus latro, *d.cap sicut*, qui publicas stratas † obsidet, ac viatores ex insidiis aggreditur. *l.capitulum, § famosos. & §.gras-*
18. *satores.ff.de pæn.* Item & nocturnus † agrorum depopulator. *d.cap.inter alia*, homicida qui per insidias & proditoriè, scilicet sub specie amicitiæ, proximum interfecerit. *cap.*1.*de homic.voluntar.* vel casus, sub quo includitur veneficus, ex Bald.*in l.nemo,col.*3.*C.de summ.Trin.& fid.Cathol.* licèt plerique etiam includi velint eum, qui occiderit appensatè, & per insidias inimicum, vt sonant verba text. *in d.*
19. *cap.*1 Assassinus † qui Christianum pecunia, seu aliquo vice pecuniæ

pecuniæ sibi dato, vel promisso interfecerit. *cap.* 1. *de homic. lib.6*. Demum rei læsæ maiestatis diuinæ, seu humanæ, ex notat. *in d.cap.inter alia*. Denique qui intra Ecclesias deliquerint. *cap.fin. de immunit. Ecclesiar*.

---

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Delinquentes in casibus exceptis abstrahuntur inuiti ab Ecclesia per curiam sæcularem, præsente Rectore, seu ministris Ecclesiæ; cum quanta fieri potest modestia.*

2 *Per Bullam Gregorij XIV. Episcopus, seu eius Vicarius, in cuius diœcesi sita est Ecclesia, aut si nullius sit diœcesis, vicinior Episcopus eum debet ab Ecclesia abstrahere, & ad suos carceres duci facere.*

3 *Episcopus qui ab Ecclesia delinquentem abstraxerit, & ad carceres suos duci fecerit, iuxta tenorem dictæ Bullæ, sibi summariè constito quòd delictum admissum sit de exceptuatis, tenetur delinquentem tradere curiæ sæculari.*

4 *Clericus delinquens ad Ecclesiam confugiens non debet per Episcopum, seu alios iudices Ecclesiasticos ab ea abstrahi, vt pœnis iure Pontificio permissis corporis afflictiuis citra sanguinis effusionem puniatur.*

5 *Clericis delinquentibus ad Ecclesias confugientibus, poterit pœnitentia salutaris imponi, etiam inuitis.*

6 *Pœnitentia salutaris non tam ab Ecclesiis abstrahit, quàm ad Ecclesias ingressum præbet.*

7 *Poterit etiam Clericus ad Ecclesiam confugiens pœna pecuniaria mulctari, vel si sit de pauperioribus sibi operarum exhibitio indici.*

8 *Potest etiam Clericus ad Ecclesias confugiens condemnari, vt satisfaciat parti læsæ.*

9 *Iudices sæculares laicos delinquentes qui ad Ecclesias confugerint; condemnare possunt ad pœnam pecuniariam, & parti læsæ satisfaciendum.*

10 *Laici delinquentes ad Ecclesias confugientes possunt cogi reme-*

dio missionis in bonorum possessionem coram iudicibus sæcularibus comparere per procuratorem, si agatur de causa pecuniaria, & partis læsæ satisfactione.

11 *Laicus delinquens ad Ecclesias confugiens pœna pecuniaria suppositus cogi in propria comparere, si iudex sæcularis promiserit impunitatem pœnarum corporis afflictiuarum.*

12 *Delictum intra Ecclesias commissum admixtum habet sacrilegium ob violatas Ecclesias.*

13 *Sacrilegium est mixti fori.*

14 *Iudex Ecclesiasticus præueniendo poterit laicum intra Ecclesias delinquentem, & intra septa Ecclesiæ se continentem punire pro modo suæ iurisdictionis.*

15 *Laicus non sufficienter punitus per iudicem Ecclesiasticum, poterit per iudicem sæcularem competenter puniri, supplendo defectum pœnæ imposita per iudicem Ecclesiasticum.*

16 *Iudæi cæterique infideles, hæretici, schismatici, non gaudent immunitate Ecclesiarum, licèt dicant se velle Baptismum suscipere, vel ad vnitatem Ecclesiæ redire.*

17 *Iudæi cæterique infideles hæretici & schismatici, si reipsa Baptismum susceperint, vel ad Ecclesiam redierint, non extrahuntur ab Ecclesia.*

1. IN dictis autem casibus exceptis delinquens † ab Ecclesia abstrahitur inuitus per curiam sæcularem, præsente Rectore, seu ministris Ecclesiæ, cum quanta fieri potest mo-
2. destia, sed per Bullam † Gregorij X I V. sub datum Romæ 9. Kalend. Iunij 1591. cauetur quòd Episcopus, seu eius Vicarius, in cuius diœcesi sita est Ecclesia, aut si nullius sit diœcesis, vicinior Episcopus eum ab Ecclesia debeat abstrahere, & ad carceres suos duci facere, & sibi summariè constito quod delictum admissum sit de exceptuatis, tene-
3. tur † eum tradere Curiæ sæculari, & ita hodie seruatur, præsertim in statu Ecclesiastico.
4. Verùm si Clerici † delinquentes ad Ecclesias confugerint, non debent inde abstrahi per Episcopum, seu alios iudices Ecclesiasticos, vt pœnis iure Pontificio permissis corporis afflictiuis citra sanguinis effusionem puniantur, ex Couarr. *lib. 2. variar. cap. vltim. num. 16.* facit text. *in cap. nullus.*

lus clericorum 17. q. 4. poterit tamen † illis pœnitentia salu- 5.
taris imponi etiam inuitis, iuxta text. *in cap. 1. de sponsa*. quip-
pe quæ † potius ingressum præbeat, quàm ab Ecclesiis ab- 6.
strahat, & animarum saluti consulat. *cap. in capite Quadrage-*
sima 50. *distinct*. vel etiam pœna † pecuniaria, seu loco illius 7.
quoad pauperiores operarum exhibitio indici, ex *can. de*
raptoribus 36. *q.* 1. Idque vltra † satisfactionem partis læsæ, 8.
vt indicat text. *in d. can. reum*, in illis verbis, *& quod iniquè*
factum fuit, legitimè componendum esse; & *in d. cap. inter alia*, in
illis verbis, *est aliàs legitimè puniendus*, & *ibi* gloss. *in d. verb.*
puniendus, quam sequuntur DD. censentes id etiam locum
habere quoad iudices laicos † contra laicos delinquentes, 9.
qui ad Ecclesiam confugerunt; coram quibus per procura-
torem comparere possunt, nisi malint pati missionem † in 10.
bonorum possessionem. *l. fin.* §. *cùm autem*, & in propria † si 11.
iudex sæcularis promiserit, impunitatem pœnarum corpo-
ris afflictiuarum, *dict. can. reum*, *& d. cap. inter alia*, cum *ibi*
notat.

Quòd si delictum † intra Ecclesias fuerit admissum dum 12.
habet sacrilegium admixtum ob Ecclesias violatas, *d. cap.*
quisquis. §. *sacrilegium*, *d. cap. vltimo*, *de immun. Eccles.* quod est
† mixti fori. *cap. cùm sit generale*, *de for. competen. l. si quis in* 13.
hoc, *C. de Episcop. & Cleric.* poterit præueniendo † iudex Ec- 14.
clesiasticus delinquentem punire pro modo suæ iurisdictio-
nis, & si non sufficienter † punitus fuerit, præsertim pro 15.
alio delicto intra Ecclesias admisso; supplebitur pœna per
iudicem sæcularem. *cap. felicis.* §. *per hoc quoque*, *de pœn. lib.*
6. cum *ibi* notat. Adde Clar. *in* §. *fin. prax. criminal. q.* 5. *n.* 14.
de communi attestantem.

Iudæi autem † cæterique infideles hæretici, & schisma- 16.
tici, non gaudent immunitate Ecclesiarum, licèt dicant
se velle Baptismum suscipere, vel ad vnitatem Ecclesiæ re-
dire. *l.* 1. *C. de his qui ad Eccles. confug. & ibi gloss.* 1. secus ta-
men dicendum, † si reipsa Baptismum susceperint, vel ad 17.
Ecclesiam redierint, ex gloss. *in d. c. inter alia*, *verb. extrahen-*
dus.

§. II.

SVMMARIVM.

1 *Clerici Ecclesiarum ministri tam in persona, quàm in bonis immunitatem habent, i.e. muneris vacationem, quatenus ab onere, seu munere eximuntur.*

2 *Munus in hac materia immunitatum accipitur, quatenus honorem, vel onus, seu officium sine dignitate significat.*

3 *Munus personale dicitur quod corporis labore & animi intentione, seu cura sine sumptu & patrimonij diminutione expeditur, quod aliàs dicitur corporale.*

4 *Munus patrimoniale dicitur quod sumptibus patrimonij, & damno illud exhibentis expeditur.*

5 *Mixtum quod corporis ministerio perficitur, impensas de suo faciendo.*

6 *Munera in triplici differentia considerantur, alia namque sunt personalia, alia patrimonialia, alia verò mixta.*

7 *Munerum personalium tres sunt species.*

8 *Prima species est eorum, quæ cum honore & dignitate sunt, quales sunt magistratus, à quibus Clerici abstinere debent, nedum excusari, & qui honoratioribus laicis demandantur.*

9 *Clerici habent sua munera etiam cum dignitate, ad quæ suscipienda coguntur.*

10 *Secunda species est eorum, quæ per viliores laicos expediuntur, qualia sunt cura panis, puta pro exercitu & calcis coquendæ, puta pro fabricis publicis, & similia.*

11 *A muneribus personalibus sordidis Clerici qui laicis honoratioribus sunt digniores, omnino excusantur.*

12 *Clerici ab excubiis in casu summæ necessitatis non excusantur.*

13 *Tertia personalium munerum species est eorum, quæ nudum officium sine dignitate, sine sordibus in se continent, qualis est tutela, seu cura.*

14 *Clerici eximuntur à tutela, seu cura & similibus officiis sæcularibus,*

laribus, ita vt neque volentes admittantur ad ea.

15 *Clerici tutelam sibi à lege delatam suscipere possunt, si nolint se ab ea excusare.*

16 *Clerici per Episcopum cogi possunt ad miserabilium personarum defensionem suscipiendam.*

NOn solùm Ecclesiæ, scilicet ædes Deo dicatæ, verùm etiam bona per eas possessa, & Clerici † Ecclesiarum 1.
ministri, tam in persona, quàm in bonis immunitatem habent, id est, muneris vacationem, quatenus ab onere, seu munere eximuntur. *l. munus* 18. *ff. de verbor. signific.* & hîc *munus* accipio † non quatenus donum est, sed quatenus 2.
honor. *l. munus* 214. *in princip. ff. eod. tit.* vel onus, seu officium sine dignitate significat. *d. l. munus* 18. Et munus sic acceptum triplex est, aliud personale, quod † corporis la- 3.
bore & animi intentione, seu cura sine sumptu & patrimonij diminutione expeditur. *l. fin. §. personalia. ff. de muner. & honor.* quod corporale dicitur, *l. 3. §. corporalia. ff. eod.* patrimoniale † quod sumptibus patrimonij & damno illud ex- 4.
hibentis expeditur. *d. l. fin. §. patrimoniorum sunt.* Addo text. *in l. 1. §. illud autem. ff. eod.* Aliud verò mixtum † quod corpo- 5.
ris ministerio perficitur, impensas de suo faciendo. *dict. l fin. §. mixta*, vbi non *omnibus*, sed *nominibus* legendum. Et *§. sed ea quæ.* & sic † in triplici differentia consideratur 6.
d. l. 1. in princ. & d. l. fin. in princ. Personalium autem † mune- 7.
rum tres sunt species, alia cum honore sunt, † seu dignita- 8.
te, quales sunt Magistratus, *d. l. munus* 214. qui honoratioribus laicis demandantur. *l. incola* 29. *ff. ad municipal. & de incol.* A quibus Clerici abstinere debent, nedum excusari, *toto tit. ne cler. vel Monach. secular. &c. & l. placet. C. de Episcop. & cler.* cùm Clerici † habeant sua munera, etiam cum dignitate, ad 9.
quæ suscipienda coguntur. *c. conquerente, de offic. iud. ordinar.* cum *ibi* notat.

Alia sordida, † quæ per viliores expediuntur, qualia sunt 10.
cura panis excoquendi, puta pro exercitu, calcis coquendæ, puta pro fabricis publicis, & his similia, de quibus *in l. maximarum. §. sordidorum. C. de excusat. muner. lib. 10.* A quibus Clerici, † qui laicis honoratioribus sunt digniores, om- 11.
nino

nino excusantur. *l. placet. C. de sacrosanct. Eccles. l. omnis à cle-*
12. *ricis. C. de Episcop. & cler.* In quibus excubiis in casu† summæ necessitatis non includuntur. *cap. 2. de immun. Ecclesiar.* fac.
13. text. *in cap. non minus, eod. tit.* Alia denique † quæ nudum officium in se continent sine dignitate, sine sordibus, qualis est tutela, seu cura cum similibus, à quibus cùm sint
14. officia † secularia Clerici suis adscripti muneribus, de quibus postea, eximuntur. *l. generaliter C. de Episcop. & Cler.* Canonista *in l. generaliter. C. de Episcop. & cler.* nec volentes
15. ad ea admittuntur, nisi quatenus velint † tutelam, seu curam sibi à lege delatam suscipere. *Auth. Presbyteros. C. eod.*
16. *tit.* A qua tamen se possunt excusare, nisi † ageretur de miserabilibus personis, quo casu per Episcopum cogi possunt ad similium personarum defensionem suscipiendam. *c. vlt. 86. distinct. & c. 1. 21. q. 3.*

---

§. 111.

SVMMARIVM.

1 *Munera patrimonialia sunt in triplici differentia, alia rebus ipsis incumbunt, nulla habita ratione personæ possidentis.*

2 *Alia solis personis, nulla rerum ab eis possessarum habita ratione, qualis est capitatio patrimonium minuens.*

3 *Alia denique personis incumbunt, sed pro modo facultatum, seu bonorum.*

4 *Munera quæ rebus ipsis incumbunt, nulla habita ratione personæ possidentis, dicuntur merè realia, quæ itidem in triplici differentia considerantur.*

5 *Quandoque res ipsa per se se præstat ministerium, sicut equus, mulus, plaustrum, veredi, currus, nauis.*

6 *Angariarum & parangariarum vocabula fluxere à Persarum idiomate, teste Suida.*

7 *Angariari quis dicitur, dum ad aliquid faciendam cogitur, puta ad onera per iter portanda, seu vehenda, siue corpore suo, siue iumento, siue plaustro, siue curru, siue naui.*

8 In

8 *In sacris litteris apud Ioannem Euangelistam legitur Simonem Cyrenaum patrem sancti Ruffi primi Episcopi Auenionen. angariatum fuisse, seu coactum ad baiulandum Christi crucem.*

9 *Si post primam coactionem semel peractam secunda superueniat, vel vlterior, dicitur Parangaria.*

10 *Prima pecuniarum impositio dicitur Indictum, secunda verò, & vlterior Superindictum.*

11 *Quandoque aliquid ex ipsa re proueniens exigitur, vt certa pars fructuum.*

12 *Quandoque fit pecuniaria contributio respectu rei certa, seu pro re certa, citra vllam persona considerationem, qualia sunt tributa, qua quandoque vectigalia denominantur.*

13 *Equi, muli, plaustra, veredi, currus, & naues Clericorum excusantur ab eiusmodi angaria, nisi iudici Ecclesiastico ita faciendum videatur ob summam necessitatem.*

14 *Clerici de iure ciuili cogebantur ad prastandas eiusmodi angarias ob aduentum, seu Principis transitum.*

15 *A secundo & tertio munere merè reali, postquam ipsius rei onus est, qua ad eos cum suo onere transit, Clerici non excusantur.*

16 *Bona assignata pro Ecclesia adificanda cum suis septis, & illius dotatione, eximuntur ab eiusmodi oneribus, licèt merè realibus.*

17 *Ecclesia tenetur seruitium debitum soluere senioribus, vulgò* seigneurs, *i. e. dominis temporalibus soluere, quale est tributum pro conseruatione Imperij, seu principatus, pro bonis qua possidet, prater illius dotem congruam.*

18 *Ad tributum soluendum omnes compelluntur.*

19 *Clerici pro bonis eorum patrimonialibus tenentur tributa soluere.*

20 *A Clericis pro bonis eorum patrimonialibus nihil sordidum, seu extraordinarium exigitur, sed ordinaria tantùm, & honesta seruitia.*

21 *Clericorum bona patrimonialia eodem gaudent priuilegio, quo bona Ecclesiarum.*

22 *Episcopus curare debet bona dotationis Ecclesiarum per fundatorem libera tradi ab eiusmodi oneribus, quod vulgò dici-*

tur amortiser, *aliàs namque de suo reficere tenetur Ecclesia fundata.*

23 *Vectigalia quæ pro mercibus, vel frugibus, & his similibus, naui, curru, iumento, vel naui transuehendis exiguntur in pecunia à nautis, mulionibus, aurigis, pœna commissi, muneribus realibus, quæ rebus ipsis incumbunt, adscribenda sunt, non habita consideratione personæ dum pro certa re imponuntur.*

24 *Vectigalia quandoque dicuntur portoria, quia in portu, quandoque gabellæ, quia in portis ciuitatum; quandoque pedagia, seu guidagia, quia in transitu per iter publicum.*

25 *Vectigalia generica appellatione à vehendo denominantur.*

26 *Res Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum à vectigalibus ex priuilegio specialiter per Imperatores concesso, prout & ab hospitatione eximuntur eorum domus.*

27 *Clerici nullâ victus necessitate cogente contra Ordinis clericalis dignitatem mercaturam exercentes vectigalia soluere tenentur, laicorum instar.*

1. PAtrimonialia verò sunt † in triplici differentia, quædam enim rebus ipsis incumbunt, nulla habita ratio-
2. ne personæ possidentis; quædam solis personis, † nulla ratione habita rerum à persona possessarum, qualis est capitatio patrimonium minuens. Quædam denique per-
3. sonis † incumbunt, sed pro modo facultatum, seu bono-
4. rum, & priora illa † quæ merè realia dicuntur, itidem in triplici differentia considerantur, siquidem nunc res ipsa
5. † per se se præstat ministerium, sicut equus, mulus, plaustrum, veredi, currus, *dicta l. fin. §. patrimoniorum autem, & l. neminem. C. de sacrosanct. Eccles.* Item nauis. *l. iubemus nullam. C. de sacrosanct. Eccles.* vbi de angariis & pa-
6. rangariis, quæ dictiones † fluxerunt à Persarum idiomate, teste Suida in dictione ἄγγαρος, quæ nil aliud signi-
7. ficant, † quàm dum aliquis cogitur ad aliquid faciendum, puta ad onera per iter portanda, seu vehenda, siue corpore suo, siue iumento, siue plaustro, siue curru, siue naui. Et
8. In sacris † litteris Ioannis Euangelio exemplum habemus de

de Simone Cyrenæo patre D. Ruffi primi Episcopi Aueniónen. quem angariauerunt, id est, coëgerunt ad baiulandum Christi crucem. Et si secunda † superueniat coactio, 9.
dicitur Parangaria instar contributionis pecuniariæ, quarum prima dicitur † indictum: secunda verò, & quæ postea sequuntur, superindictum, quod Gallicè dicitur *charge sur charge*. Quandoque aliquid † ex ipsa re proueniens exigitur, vt certa portio fructuum, *d. §. patrimoniorum, vers. præterea*. Quandoque verò pecuniaria † fit contributio respectu rei certæ, seu pro re certa citra vllam personæ considerationem, qualia sunt tributa, *l. hactenus. §. 1. vers. modica refectio. ff. de vsufr. l. Imperatores. ff. de publican. & vectigal.* vbi denominantur vectigalia, & ibi legendum *exempto*, non *exemplo*, vt indicat Accurs. *ibi in verb. exemplo.* Adde text. *in d. l. placet. C. de sacros. Eccles. & in can. tributum 23. q. 8.* & à primo quidem excusantur † Clerici, seu Ecclesiæ, nisi iudici Ecclesiastico ita faciendũ videatur ob summã necessitatẽ. *d. cap. non minus*; quamuis de iure ciuili † forsan aliud esset constitutum ob aduentum, seu Principis transitum, *d. l. neminem, d. l. placet. C. de sacros. Eccles.* A secundo & tertiò non † excusantur, postquam rei onus est, quæ ad eos transiit cum suo onere. *l. rescripto. §. sciendum, & §. fin. vers. in tributiones*, vbi Bart. & alij. *ff. de muner. & honor.* Adde text. *in d. l. Imperatores, in cap. ex litteris, in fin. de pignor. & in cap. quanto, de censib.* Id autem ita demum verum est, si non sint bona † assignata pro Ecclesia ædificanda cum suis septis, & illius dotatione: ea namque eximuntur ab eiusmodi oneribus, licèt realibus. *cap. sancitum 23. q. 18. & in cap. 1. de cens.* vbi de eo tantùm † quòd amplius habuerint præter dotem congruam ipsius Ecclesiæ seruitium senioribus, vulgò *seigneurs*, id est, dominis temporalibus debitum soluere tenentur, quale est † tributum destinatum pro conseruatione Imperij, seu principatus. *can. si tributum, cum seq. 11. q. 1.* ad quod soluendum omnes compelluntur. *l. actores. l. fin. C. de exactor. tributor. lib. 10.* Et multo magis † Clerici pro bonis eorum patrimonialibus id soluere tenebuntur, *d. l. placet. C. de sacros. Eccles. l. de his clericis. C. de Episcop. & cleric.* nil enim sordidum † ab his, seu extraordinarium exigitur, sed ordinaria

22. naria tantùm, & honesta seruitia, cùm gaudeant † pro eorum bonis eodem priuilegio, quo bona Ecclesiarum. *l.2. C.eod. tit. & cap.quamquam*, vbi gloss. *in verb. ipsarum, de cens.lib.6.*

Quòd si Episcopus non curauerit bona dotationis per fundatorem libera tradi ab eiusmodi oneribus, tenebi-
23. tur † de suo id reficere, per text. *in cap. comperimus 16.q.1.* quod vulgò dicitur *amortiser*; sed si agatur de vectigali-
24. bus exigendis, † quæ pro mercibus potissimum, vel frugibus, & his similibus, naui, curru, iumento, vel aliter transuehendis soluuntur in pecunia per nautas, muliones, aurigas, & his similes personas pœnâ commissi. *l.fraudati, ff.de publican. & vectigal.* Et his muneribus adscribenda sunt quæ rebus ipsis incumbunt, non habita consideratione personæ, & dum pro certa re quantitas pecuniæ certa sol-
25. uitur. Et quandoque portoria † dicuntur, quia in portu; gabellæ, quia in portis ciuitatum; pedagia, seu guidagia,
26. quia in transitu per iter publicum, prout vectigalia † à vehendo denominantur; ab illis tamen eximuntur res Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum, ex priuilegio specialiter concesso per Imperatores. *l.1.C. de Episcop. & Cler.* vbi etiam ab hospitatione eximuntur per Pontifices confirmato, & ampliato. *c.quamquam, de cens.lib.6.* nisi for-
27. san † Clerici nulla victus necessitate cogente sordidè mercaturam contra Ordinis Clericalis dignitatem exercerent. *c.fin.de vit. & honestat. Clericor.& Clem.vltim.de censib.* quo casu soluunt laicorum instar. Et hæc dicta sufficiant de muneribus merè realibus, quæ solis rebus incumbunt, non habita personæ consideratione.

§. IV.

§. IV.

SVMMARIVM.

1 *Muneris patrimonialis secundum genus est illud quod incumbit solis personis cum patrimonij diminutione, non habita relatione ad bona in vniuersum, seu res certas à persona possessas.*

2 *Capitatio est ea verè quæ per capita singulorum hominum imponitur, puta pro transitu pontis alicuius.*

3 *Impositio per fumantes dicitur dum cuilibet capiti domorum aliquid soluendum in pecunia imponitur, quod vulgò dicitur* capage.

4 *Clerici eximuntur à solutione impositionis per fumantes, multo magis capitationis, cùm eorum personæ sint omnino exemta à iurisdictione temporali.*

5 *Rustici tantùm, & non ciues, ad capitationem sunt obligati.*

6 *Christus pro se & Petro, quasi de infima sortis plebecula existentibus, tributum capitationis solui iussit.*

7 *Clerici etiam eximuntur à muneribus patrimonialibus, quæ personis indicuntur pro modo totius patrimonij, quales sunt vicesima, seu alia cotta facultatum indicta, vel aliàs dum personæ indicitur, pecuniæ contributio per as & libram.*

8 *Impositio per as & libram dicitur fieri dum quid ad soluendum cuique imponitur, facta relatione, seu proportione ad valorem totius patrimonij, siue in ære, id est, pecunia, siue in libra, id est, aliis rebus quæ allibrantur, id est, æstimantur, consistat.*

9 *Impositio per as & libram indicitur subditis in loco eorum domicilij.*

10 *Possessoribus qui non sunt incolæ, vel municipes, quos vulgus* forenses *appellat, talis impositio per as & libram de iure non imponitur.*

11 *De consuetudine generali receptum fuit forenses collectari in loco, in quo bona possident, licèt nec incolæ, nec municipes in eo sint.*

12 *Forenses distringuntur ad solutionem dictarum impositionum per distractionem bonorum in eo loco sitorum.*

13 *Impositiones personis pro modo totius patrimonij indictæ, vulgò* collectæ *denominantur.*

14 *Collectarum solutione Clerici & Ecclesiæ, eximuntur primò per constitutionē Friderici Imperatoris; & successiuè per decreta Summorum Pontificum, cùm non subiaceant sæculari iurisdictioni.*

15 *Clerici collectari possunt laicorum instar, in bonis eorum patrimonialibus, authoritate tamen iudicis Ecclesiastici, si id consuetudine fuerit inductum.*

16 *Clerici eximuntur etiam à muneribus mixtis, quæ cum personæ ministerio, & sumptu expediuntur, pari & eadem ratione, qua eximuntur à muneribus personalibus.*

QVoad verò secundum genus muneris patrimonialis,
1. quod solis † incumbit personis cum patrimonij diminutione, non habita relatione ad bona in vniuersum, seu
2. res certas, qualis est capitatio, quæ per capita † imponinitur, fortè pro transitu pontis alicuius, vel persumantes
3. † dum cuilibet capiti domorum imponitur, vt per Rip. *in*
4. *l.4. num.*30. *ff. de re iud.* Ab his Clerici † eximuntur. *dict. cap. quamquam.* maximè cùm eorum personæ sint omninò exemptæ à iurisdictione temporali. *Auth. statuimus. C. de Episc.*
5. *& Cleric. & cap. Clerici, de iudic.* maximè cùm † rustici tantùm non ciues ad capitationem forent obligati. *l.*1. *C. ne rusticani ad vll. obseq. lib.*11. *l. vnic. C. de capitat. ciu. censf. exim.*
6. *eod. lib.* licèt Christus † *Matth.* 57. pro se, & Petro capitationis tributum solui iusserit, quasi de infimæ sortis plebecula existentibus, quamuis Rex Regum, & Dominus esset dominantium. Adde text. *in d. can. tributum* 23. *q.*8.

Idem ex idemtitate rationis dicendum erit de tertio ge-
7. nere munerum † patrimonialium, quæ personis indicuntur pro modo totius patrimonij, quales sunt vicesimæ, seu aliæ
8. cottæ facultatum indictæ, vel aliàs dum † personæ indicitur pecuniæ contributio per æs & libram, facta proportione ad valorem totius patrimonij, siue in ære, id est, pecunia consistat, siue in libra in aliis bonis, quæ allibantur,
9. id est, æstimantur: vnde subditis, † & in loco domicilij
10. indicitur, *d. l. rescripto.* §. *fin.* non autem possessoribus, † qui non

non sunt incolæ, vel municipes, quos vulgus *forenses* appellat. *d. §. fin. vers. munera verò*. quamuis ex consuetudine generali † receptum fuerit ipsos forenses collectari in loco, in 11. quo bona possident, licèt non incolæ, neque municipes in eo sint, & distinguantur † per distractionem bonorum in 12. eo loco sitorum, ex notat. per Castrens. *in l. inter debitorem. ff. de pact.* quem alij sequuntur, quæ impositiones † vulgò 13. *collecta* dicuntur, ab illis namque Clerici † & Ecclesiæ eximuntur, cùm non subiaceant sæculari iurisdictioni, & primò quidem per constitutionem Friderici Imperatoris, *Authent. Item nulla communit. C. de Episc. & Cler. & cap. Clericis. de immun. Eccles. lib. 6.* Clerici tamen pro bonis † eorum patrimonialibus, si consuetudine id fuerit inductum, collectari poterunt instar laicorum, autoritate tamen iudicis Ecclesiastici, ex notat. per Panormit. *in cap. Ecclesia sancta Mariæ, num. 7.* & *ibid.* Felin. & alij fusissimè, *de constitut.* 14. 15.

A muneribus autem mixtis, † quæ cum personæ ministerio & sumptu expediuntur, *d. l. fin. §. mixta.* perinde excusantur Clerici, atque à merè personalibus pari, & eadem ratione. 16.

§. V.

SVMMARIVM.

1 *Exemptiones concessa bonis temporalibus Ecclesiarum, vel etiam patrimonialibus Clericorum, sunt iuris humani, seu positiui potius, quàm diuini, qua initium habuerunt à priuilegiis per Imperatores concessis, & per summos Pontifices confirmatis.*

2 *Pontifices in dictarum exemptionum confirmatione decreuerunt pœnam excommunicationis, seu interdicti, per infractores incurrendam, ne Principes sæculares dictam immunitatem semel stabilitam impiè violarent, aut reuocarent.*

3 *Immunitas Clericorum personis concessa primò per Federicum Imperatorem, postea per Summos Pontifices confirmata fuit, ne pro eorum rebus temporalibus contractibus, seu delictis coram*

coram alio iudice, quàm Ecclesiastico, conueniri possent.

4 *Immunitates iam dictæ ea ratione iuris diuini dici possent, quia ius Pontificium ex diuinæ Scripturæ fontibus atque principiis collectum conditumque fuerit Spiritu sancto suggerente.*

5 *Finis iuris Pontificij is est quo bene beatéque viuendo ad salutem perducamur æternam.*

6 *Ius diuinum propriè dicitur quod ore Dei promulgatum est, vel ministerio Angelorum per eorum voces.*

7 *Christus ore proprio solis Apostolis eorumque successoribus commisit omnimodam potestatem in spiritualibus.*

8 *Potestati in spiritualibus per Christum solis Apostolis eorumque successoribus concessæ, Reges & Imperatores subiiciuntur.*

9 *Per ipsissimum ius diuinum ad solum statum Ecclesiasticum priuatiuè quoad potestates sæculares etiam supremas pertinet & spectat ministros Ecclesiæ creare, beneficia conferre, sacramenta administrare, fidem catholicam tradere, & explicare, ceremonias & ritus Ecclesiasticos præscribere, disciplinam Ecclesiasticam exercere, res sacras, puta ædes Deo dicatas, vasa consecrata tractare & custodire, decimas, primitias & oblationes recipere, cæteraque huc pertinentia exequi.*

10 *Laici se de præmissis intromittere nullo modo possunt, pœnâ anathematis.*

EX præmissis itaque concludenter infertur, exemptiones
1. concessas † bonis temporalibus Ecclesiarum, vel etiam patrimonialibus Clericorum, esse iuris humani, seu positiui potius, quàm diuini, dum videmus eas initium habuisse à priuilegiis per Imperatores concessis, deinde per Pontifices
2. confirmatis & ampliatis. Et addita pœna † excommunicationis, seu interdicti per infractores ipso facto incurrenda, *d. cap. quamquam, de censib. lib. 6. & d. cap. clericis, de immunit.*
3. *Ecclesiar. eo. lib.* ne Principes † sæculares dictam immunitatem semel stabilitam & acceptatam impiè violarent, aut reuocarent. Idem quoque dicendum de immunitate personis Clericorum concessa per Fridericum Imperatorem *d. Auth. statuimus*, postea per Pontificem confirmata. *d. cap. clerici, de iudic.* ne scilicet pro eorum rebus temporalibus, contractibus, seu delictis coràm alio, quàm coram iudice Ecclesiastico

clesiastico conueniri possint, nisi quatenus velimus eas dici posse† iuris diuini, quia ius Pontificium ex diuinæ Scripturæ 4.
fontibus atque principiis collectũ cõditumque fuerit Spiritu sancto suggerente, quo bene † beatéque viuendo ad sa- 5.
lutem perducamur æternam, licèt propriè ius diuinum
† id dicatur quod ore Dei promulgatum sit, vel ministerio 6.
Angelorum per eorum voces, qui Moysi legem in monte Sinai dederunt, vel dum Christus † ore proprio solis Apo- 7.
stolis eorumque successoribus potestatem in spiritualibus commisit, *Matth. cap. 16. & c. 18. Ioh. cap. 20. & cap. vlt.* A qua ne quidem Reges, † seu Imperatores eximuntur. *cap. si Im-* 8.
perator, distinct. 96. Ideoque ministros Ecclesiæ † creare, 9.
beneficia conferre, Sacramenta administrare, fidem Catholicam tradere, definire & explicare, cerimonias & ritus Ecclesiasticos præscribere, disciplinam Ecclesiasticam exercere, res sacras, puta ædes Deo dicatas, vasa consecrata pertractare, & custodire, decimas, primitias & oblationes recipere, cunctaque huc pertinentia obire per ipsissimum ius diuinum ad solum pertinet statum Ecclesiasticum, seu Cleri priuatiuè quoad laicos, qui se † de præ- 10.
missis intromittere nullo modo possunt, pœnâ anathematis.

---

§. VI.

SVMMARIVM.

1 *Clerici, vel Ecclesiæ pro bonis etiam Ecclesiasticis contribuere tenentur duabus de causis, nimirum si agatur de ipsorum, vel Ecclesiarum priuata vtilitate, vel si de communi & publica, quæ singulos non respicit, sed vniuersos.*

2 *Onus sternendæ, seu reficiendæ viæ publicæ, vel plateæ publicæ, ante cuiusque ædes, incumbit ipsis ædibus, seu ædium possessoribus pro earum latitudine.*

3 *Stramentum, seu refectio viæ, seu plateæ publicæ, ante cuiusque ædes tendit ad priuatam commoditatem, & vtilitatem ipsarum ædium, seu eas inhabitantium.*

4 *Putei vicinalis refectio tendit ad priuatam commoditatem, & vicinorum vtilitatem.*

5 *Instructio, seu refectio itineris publici extra mœnia ciuitatis, seu oppidi, siue sit regium, siue sit vicinale, tendit pariter ad priuatam vtilitatem, & commoditatem, per ea loca iter agentium.*

6 *Pontium, aquæductuum, portuum, aggerum aduersùs impetum fluminis constructio, seu refectio, pariter tendit ad priuatam singulorum vtilitatem, nedum laicorum, verùm etiam Clericorum & ipsarum Ecclesiarum.*

7 *Clerici, seu Ecclesiæ ad instructiones, seu refectiones pontium, itinerum, viarum publicarum, portuum, aggerum, & his similium cum laicis æqualiter contribuere tenentur pro rata eos concernente, cùm nemo prætextu cuiuslibet priuilegij à dictis contributionibus excusetur.*

8 *Clerici in casibus, in quibus de iure contribuere tenentur cum laicis, ita demum coguntur, si id fiat ipsis consentientibus, aut saltem auditis cum authoritate Episcopi.*

9 *Murorum refectio & fossarum, quæ circa muros haberi solent, quæ vulgò* fossata *dicuntur, expeditio militum, seu exercitus, non singulos priuatim, sed vniuersos publicè respiciunt, & propterea laicis principaliter incumbunt.*

10 *Necessitate non subsistente Clerici, seu Ecclesiæ non tenentur ad impensas pro murorum refectione, militum, seu exercitus expeditione contribuere, veluti si noui fierent muri ad ornatum.*

11 *Clerici necessitate subsistente non æqualiter contribuunt, sed in subsidium, si non sufficiant laicorum facultates, à quibus tunc sponte dantibus per laicos aliquid accipitur.*

12 *In præsentissima necessitate & periculo imminenti à Clericis, seu Ecclesiis sponte dantibus aliquid, per laicos accipi potest ob murorum refectionem, fossarum purgationem, militum & exercitus expeditionem, cum authoritate Episcopi sub beneplacito summi Pontificis.*

13 *Clerici citra præsentissimam necessitatem & periculum imminens, non possunt collectari ob casus iam dictos, sine assensu summi Pontificis, qui omnino expectandus erit.*

14 *Clerici sine assensu Summi Pontificis ex causis iam dictis, & vicer*

vice versa laici recipientes excommunicantur, sublata excommunicationis pœna.

15 *Aduersùs Clericos dicta de causis aliquid vltrò dantes, seu laicos recipientes, non habito Summi Pontificis assensu, grauißima pœna, licèt incerta comminata fuerunt.*

16 *Similes controuersiæ quæ inter Clericos & laicos causa dictarum contributionum exoriuntur, vtplurimum per concordiam terminari solent, cùm assensu & authoritate Summi Pontificis, vt Auenioni factum fuit.*

QVoad verò casus exceptos, in quibus Clerici etiam pro bonis † Ecclesiasticis contribuere tenentur, duo 1. potissimum capita sunt constituenda, vnum quo includuntur casus illi, in quibus agitur de priuata Clericorum, seu Ecclesiarum vtilitate. Alterum in quo continentur casus illi, in quibus non de priuata singulorum vtilitate, sed communi & publica, quæ singulos non respicit, sed vniuersos. Casus illi priores, exemplificari possunt, veluti dum de via sternenda, seu reficienda, item platea publica ante cuiusque ædes: onus namque † tale incumbit ipsis ædibus, 2. seu ædium possessoribus pro earum latitudine, arg. *l. prima. ff. de via public. & itiner. public. reficien.* quia agatur † de pri- 3. uata vtilitate, seu commoditate ipsarum ædium, seu eas inhabitantium. Idem si agatur † de puteo vicinali reficien- 4. do, ex notat. per Bart. & DD. *in l. ad instructiones. C. de sacros. Eccles.* Idem si de itinere † extra mœnia ciuitatis, seu 5. oppidi reficiendo, seu instruendo, siue sit regium, siue vicinale. Idem si de pontibus, † vel aquæductibus, vel 6. etiam de portubus & aggeribus aduersùs impetum fluminis. *d. l. ad instructiones. & l. ad portus. C. de oper. publ. l. absit. C. de priuileg. dom. August. lib. 11. §. ad hæc sancimus. Auth. de Ecclesiast. titul. & priuil.* Ex eiusmodi siquidem instructionibus, seu reparationibus percipiunt singuli nedum laici, verùm etiam Clerici commoditatem & vtilitatem itidem ædes, & possessiones non solùm laicorum, sed Clericorum etiam, imò & ipsarum Ecclesiarum, vt patet ad sensum, & ideo Clerici, † seu Ecclesiæ cum laicis ad eiusmodi impensas 7. æqualiter contribuere tenentur pro rata eos concernente.

d.l.ad instructiones, cùm nemo prætextu cuiuslibet priuile-
8. gij ab eis excusetur. *d.l.absit*, dummodo id fiat † ipsis con-
sentientibus, aut saltem auditis, cum authoritate Episcopi,
seu aliàs iudicis Ecclesiastici. *cap. non minus, circa fin. de im-
munitat. Ecclesiar.* Casus verò secundi capitis exemplificari
9. possunt in murorum† refectione. *d.l.ad portus. & l.omnes Pro-
uinciarum rectores. C.de operib.publ.l.fin.C.de quib. muner.nem.
lic.se excusare.* Item in expeditione militum, seu exerci-
tus. *d.cap.non minus*, vbi de fossatis, quæ circa muros habe-
ri solent, & expeditionibus; ea namque non singulos pri-
uatim, sed vniuersos publicè respiciunt, quæ propterea
laicis principaliter incumbunt: vnde citra necessitatem
10. † ad ea Clerici, seu Ecclesiæ non tenentur, veluti si noui
muri fierent ad ornatum, vt in casu Panormitan. *cons. 3. vol.
11. 1.* Necessitate verò subsistente, † non æqualiter con-
tribuunt, sed in subsidium, si non sufficiant laicorum
facultates, aliquid à sponte dantibus accipitur. *dict. cap. non
12. minus*, & id quidem fieri poterit † in præsentissima necessi-
tate & periculo imminenti, cum authoritate Episcopi, sub
beneplacito Pontificis. *d. cap. non minus.* Aliàs namque si
13. negotium † moram patiatur, expectandus erit assensus
Summi Pontificis. *cap. aduersùs, de immun. Ecclesiar.* Et sine
14. tali assensu † aliquid vltrò dantes, seu recipientes, excom-
municantur. *c. Clericis laicos, de immun. Eccles. lib. 6.* licèt post-
ea talis excommunicatio sublata fuerit. *Clement. vnic. de
15. immunit. Eccles.* Grauissimæ tamen † pœnæ, licèt incertæ,
aduersùs contrafacientes comminatæ fuerunt per Benedi-
ctum XI. *in c. quod olim, de immun. Ecclesiar. in Extrauag. com-
16. mun.* Vnde vt plurimum similes † controuersiæ per con-
cordiam terminari solent cum assensu & authoritate Sum-
mi Pontificis, vt testantur DD. de his tractantes, & hîc
Auenioni sic etiam terminata fuit controuersia desuper
exorta inter Clerum & ciuitatem.

CAP.

CAPVT V. & VLT.

Quænam immunitas Clericis competat, maximè ratione fori.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio circa spiritualia ore proprio Christi commissa fuit Apostolis, eorumque successoribus.*

2 *Iurisdictionem in spiritualibus exercuit ab ipso initio nascentis Ecclesiæ diuus Petrus in Ananiam, & Saphirã eius vxorẽ.*

3 *Diuus Petrus cæterique Apostoli, & seniores Ecclesiarum constituentes Hierosolymis existentes definierunt controuersiam ex Spiritus sancti dictamine, quæ exorta fuerat inter Hebræos & Gentiles ad Christi fidem nouiter conuersos.*

4 *Constantinus Imperator ingenuè agnouit in Nicæna Synodo, cui interfuit, quasi in ea præsidens, controuersias Episcoporum signanter circa spiritualia à se dirimi non posse, sed Dei iudicio reseruandos fore.*

5 *Theodosius Imperator 73 annis, seu circiter post Constantinum Romanum rexit Imperium.*

6 *Theodosius Imperator lege edita sanciuit, vt quicunque litem inuicem haberent, etiam cœptam coram iudice sæculari, siue laici, siue Clerici, si peterent se remitti ad Episcopum pro ea terminanda, omnino remitti debere, quo per Episcopum eis terminaretur.*

7 *Theodosius Valentinianus & Arcadius Romanum tenuere Imperium ab anno salutis 364. vsque ad annum 400.*

8 *Iidem Imperatores lege promulgata statuerunt, ne Episcopi cæterique Ecclesiæ ministri vllatenus trahi possent pro eorum causis ad iudicia sæcularia.*

9 *Constitutiones Theodosij & Caroli Magni allegantur.*

10 *Imperatores Marcianus, Leo & Anthemius Arrianismo fauentes, Romanum occupauere Imperium ab anno 451. vsque ad annum 467.*

11 *Iidem Imperatores Clericos supposuere iurisdictioni iudicum*

secularium, Episcopis denegata iurisdictione, sed notione, seu audientia illis concessa, cum facultate tamen sententiam ferendi, vnde fluxit inscriptio tituli C. de Episcop. Audient.

12 *Episcoporum sententia non poterant per eos demandari executioni, sed debebat executio fieri per iudices seculares, seu eorum officiales.*

13 *Episcopi de eo tempore nec iurisdictionem habebant, nec forum legibus stabilitum, nec apparitionem, nec executionem sententiarum per eos latarum.*

14 *Episcopi hodie iurisdictionem nedum habent, verùm etiam actu exercent. Item forum, apparitionem & executionem licèt plerique censeant eos fiscum non habere, eo quòd mulctas in eorum Tribunalibus infligendas piis operibus applicare tenentur.*

15 *Leges latæ per Marcianum, Leonem & Anthemium Imperatores, quibus Clerici subiiciebantur, iudicum secularium iurisdictioni, paulatim progressu temporis abolita fuerunt, nedum per iura Pontificia, verùm etiam per Imperiales constitutiones, quibus omnino exempti fuere à iurisdictione seculari.*

16 *Lucius tertius Summus Pontifex sedit anno salutis* 1181.

17 *Fridericus secundus Imperator Romanum rexit Imperium ab anno* 1112.

18 *Fridericus secundus Imperator, iuxta canonicas sanctiones, qualis erat Lucij III. Summi Pontificis, & Imperiales constitutiones, qualis erat inter alias Caroli Magni lege lata statuit, ne Clerici siue in criminali, siue in ciuili quæstione traherentur ad iudicium seculare, sub pœnis ab eo aduersùs contrauenientes ordinatis.*

19 *Carolus Magnus Romanum rexit Imperium anno salutis* 800.

20 *Iustinianus Romanum rexit Imperium ab anno* 527.

21 *Idem Iustinianus Imperator per suam nouellam constitutionem statuit, ne Clerici pro eorum causis ciuilibus trahi possint coram aliis iudicibus, quàm Episcopis, nisi forsan Episcopi eorum causas terminare non possent, aut propter causæ naturam, aut propter aliquam difficultatem.*

22 *Idem Iustinianus per eamdem nouellam constitutionem sancivit, vt*

vt Clerici pro crimine admisso non possint trahi coram iudicibus sacularibus; qui tamen eos pœnis condignis punire non valeant, nisi priùs facta degradatione.

23 *Clerici pro crimine Ecclesiastico sunt suppositi duntaxat iudici Ecclesiastico, qui eos legitimè conuictos pœna Ecclesiastica mulctare valeat.*

24 *Idem Iustinianus Imperator per aliam suam nouellam constitutionem sanciuit, ne Monachi, vel Sanctimoniales ob quamcunque causam, siue ciuilem, siue criminalem aliò traherentur, quàm coram Episcopis, seu aliis eorum iudicibus Ecclesiasticis.*

25 *Iure Pontificio, si Clericus contra Clericum, vel laicus contra Clericum, cuius forum tanquam rei sequi tenetur, omnino debet eum vocare coram suo iudice Ecclesiastico.*

26 *Clericus contra laicum agens debet eum vocare coram suo iudice sæculari.*

27 *Actor sequitur forum rei.*

28 *Clerici neque volentes etiam interposito iuramento & mutuo interueniente consensu eorum aduersarij trahi possunt ad forum iudicis sæcularis, siue ciuiliter, siue criminaliter agatur.*

29 *Priuilegium exemptionis & immunitatis Clericis concessum à iurisdictione iudicum sæcularium, non personis, sed vniuerso Ordini clericali concessum fuit.*

30 *Priuilegio concesso in fauorem totius Ordinis Ecclesiastici, Clerici particulares renuntiare non possunt in dedecus eiusdem Ordinis.*

31 *Clerici etiam in minoribus constituti, dummodo in habitu & tonsura clericali incedant pro omnibus & quibuscunque eorum causis, tam ciuilibus, quàm criminalibus, prorsus & omnino sunt exempti & immunes à iurisdictione iudicum sæcularium, coram quibus trahi & conueniri etiam volentes nullatenus possunt, & n. 40.*

32 *Clerici pro eorum contractibus, seu delictis omni hominum generi communibus, & sic pro negotiis eorum prophanis trahi non possunt coram aliis indicibus, quàm Ecclesiasticis.*

33 *Clerici pro causis beneficiorum possessoriis trahi non possunt coram aliis iudicibus, quàm Ecclesiasticis, licèt apud Parlamenta-*

mentu Galliæ contrarium vsu receptum fuerit.

34 *Iudex competens in causa proprietatis beneficij, iudex quoque debet esse in causa possessionis, ne continentia causæ diuidatur.*

35 *Indignum foret Clericos in sortem domini vocatos pro eorum contractibus, seu delictis coram aliis iudicibus trahi, quàm Ecclesiasticis.*

36 *Clericorum sublimitas & excellentia debet esse reliquo populo singulariter & semper venerationi sacrosancta.*

37 *Immunitas Clericorum à foro sæcularium iudicum repetita censetur ab illo iuris sacri principio in illis verbis Psalmistæ,* Nolite tangere christos meos, *vnde & quodammodo iuris diuini esse censetur, licet in rei veritate iuri humano, seu positiuo adscribi debeat.*

38 *Iudicibus Ecclesiasticis non permittitur ferre sententiam vsque ad pœnam sanguinis inclusiuè ad euitandas pœnas irregularitatis, & alias aduersùs contra facientes ordinatas.*

39 *Iudices Ecclesiastici sententiando pœnas debent infligere iure Pontificio sibi permissas, maiores reseruando iudicibus sæcularibus, factâ priùs Clericorum degradatione.*

41 *Clerici feuda possidentes quæ ipsis, vel Ecclesiis concessa fuere à Principibus, seu dominis sæcularibus, si de feudo quæstio oriatur, subiiciuntur cognitioni iudicis sæcularis, qui de feudo cognitionem habet.*

42 *Clerici feuda possidentes si agatur ob eorum crimen ad feudi amissionem, non possunt conueniri coram iudice feudi sæculari, sed tantummodo coram iudicibus earum Ecclesiasticis.*



T initio nascentis Ecclesiæ à Christo nato bona soli non fuere possessa per Ecclesias, sed à Constantini temporibus tantùm possideri cœpta fuere, vt suprà latè fuit edoctum c. 2 & 3. ita quoque ab eodem initio nascentis Ecclesiæ per Ecclesiarum Prælatos, seu Rectores iurisdictio Ecclesiastica, quæ penes ipsos habitu tantùm, non actu residebat, minimè exercita fuit, nisi demũ à Constantini temporibus citra, præ-
1. terquam circa spiritualia, quæ † à Christo ore proprio solis Apostolis,

Apostolis, eorumque successoribus priuatiuè quoad omnes
commissa fuere, *Matth.cap.16 & cap.18. Ioan.cap. 20. & cap.*
vlt. de quibus nominatim actum fuit suprà *cap.4. §.5.num.6.*
ad finem vsque, quæ spiritualis iurisdictio † actualiter exer- 2.
cita fuit per Diuum Petrum, vt legitur in Actibus Apost.
cap.5. contra Ananiam, & Saphiram eius vxorem, & eun-
dem † Diuum Petrum, aliosque Apostolos & seniores Ec- 3.
clesiam constituentes simul congregatos pro terminanda
controuersia inter nouiter ad fidem Christi conuersos ex
Hebræis & Gentilibus eam definiendo terminasse, per illa
nimirum verba, *visum est Spiritui sancto & nobis*, vt legitur
in Actib. Apost.cap.11. cæteris sacræ Scripturæ locis in id fa-
cientibus, causâ breuitatis omissis, quod Constantinus Im-
perator agnouit, cæterique post eum Principes & Im-
peratores Christiani. *can. continua. §. Constantinus, 11.*
quæst.1.

Itaque iurisdictio † Ecclesiastica in Clericos, qui in sor- 4.
tem Domini vocati sunt, ore proprio Constantini declara-
ta fuit non ad se pertinere, cùm Episcopi Episcopos inui-
cem & mutuò accusarent, eosque Dei iudicio remisit, assi-
stens, vel etiam quodammodo præsidens Concilio Niceno,
solemniter congregato *d.can.continua.§.Constantinus.* & de-
mum Theodosius Imperator, qui † 73. annis, seu circiter, 5.
post eum imperauit, lege edita sanciuit, vt quicunque
† insimul litem haberent etiam iam cœptam coram iudice 6.
sæculari, quorum vterque laicus esset, siue actor, siue reus
peteret se remitti ad iudicem Ecclesiasticum, id statim &
sine mora fieri debere quo per Episcopum, seu iudicem Ec-
clesiasticum lis eiusmodi omnino terminaretur. *can. quicun-*
que litem, 11.quæst.1. quod confirmatum fuit per Carolum
Magnum Imperatorem *can.volumus 11.quæst.1.* eo præterea
priùs adiecto per constitutiones Valentiniani, Theodosij
& Arcadij Imperatorum, qui † Imperium tenuere ab anno 7.
salutis 364. vsque ad annum 400. seu circiter, vt videre est
in d.can.continua, in princ. ne possent Episcopi † vel alij Eccle- 8.
siæ necessitatibus deseruientes ad iudicia sæcularium iudi-
cum, siue ordinariorum, siue extraordinariorum pertrahi,

9. **quæ constitutiones † Theodosij & Caroli Magni per Innocentium tertium in id allegantur** ***in cap. nouit. §. nec sic, de iudiciis.***

Et quamuis post Theodosium Imperatorem temporibus
10. Marciani, Leonis & Anthemij Imperatorum, qui † Imperium tenuere ab anno 451. vsque ad annum 467. Arrianis-
11. mi partes sustinentium, Clerici † suppositi fuerint iurisdictioni sæculari Præsidum Prouinciæ, & aliorum Magistratuum his similium, vel superiorum, per text. *in l. cum clericis, l. omnes qui, & in l. iubemus. C. de Episcop. & Cler.* eoque tempore durante nulla Episcopis competierit iurisdictio, quæ per ipsos exerceretur in Clericos, sed sola tantùm cognitio, quæ in iure *notio* dicitur, illis concessa erat: vnde ad audiendum tantùm iura & rationes hinc inde Clericorum litigantium, vel laicorum contra Clericos agentium in ciuilibus causis deputati esse videbantur cum facultate sententiam
12. ferendi; quam † tamen ipsi non exequerentur, sed per iudicum sæcularium officia, Episcoporum definitio, seu sententia executioni demandaretur. *l. 8. C. de Episcop. audient.* vnde dictus titulus *de Episcopali audient.* non autem *de iurisdi-*
13. *ctione Episcopali*, inscriptus fuit, quippe qui † nec iurisdictionem haberent, nec forum legibus stabilitum, nec appari-
14. tionem, nec executionem: hodie tamen † & iurisdictionem, vt postea fusiùs docebitur, nedum habent, verùm etiam actu exercent, item forum, apparitionem & executionem, licèt plerique teneant Episcopos neque hodie Fiscum habere, qui mulctas pecuniarias non soleant sibi appropriare, quippe quas tenentur piis operibus applicare.
15. Sed postea leges illæ † vt iniquissimæ meritò progressu temporis abolitæ fuerunt, non solùm per iura Pontificia, vt videre est apud Lucium tertium summum Pontificem, qui
16. † sedit anno salutis 1181. *in cap. clerici, de iudiciis*; verùm
17. etiam per Fridericum secundum Imperatorem, qui † Imperium tenuit ab anno salutis 112. nimirum *in Authent. statuimus. C. de Episcopis & Clericis*, quibus iuribus nominatim ca-
18. uetur † Clericos siue in criminali, siue in ciuili quæstione non posse trahi ad iudicium sæculare contra Imperiales consti-

constitutiones, qualis fuerat Caroli Magni constitutio, de qua *in dict. can. volumus.* qui Imperium † tenuit anno salutis 19.
800. & aliæ antecedentium Imperatorum in eam rem tendentes, & contra canonicas sanctiones, qualis erat sanctio Lucij tertij, & aliorum Summorum Pontificum, sub pœnis in eadem Authentica statutis aduersùs contrafacientes: inter cæteros autem fuere dicti Imperatores Theodosius, Valentinianus, & Arcadius, & post eos Iustinianus, qui rexit † Imperium ab anno 527. per suam namque constitu- 20.
tionem, de qua *in Nouel.* 83. causas ciuiles † contra Cleri- 21.
cos institutas vult agitari & terminari coram Episcopis, ita vt trahi non possint coram iudicibus sæcularibus, præterquam si Episcopi eas causas definire non possent, propter causæ naturam, vel aliquam difficultatem; quoad causas verò criminales † vult eas agitari & definiri coram iudici- 22.
bus sæcularibus, ita tamen vt puniri per eos non possint, nisi priùs spoliati fuerint ab Episcopo Sacerdotali dignitate; exceptis tamen delictis Ecclesiasticis, † quæ Ecclesia- 23.
sticam castigationem merentur, & mulctam, de quibus soli Episcopi priuatiuè quoad iudices sæculares cognoscere & iudicare debent, quæ transumptiuè habetur *in Authent. Clericus. C. de Episcopis & Clericis*; quoad Monachos † verò, & 24.
Sanctimoniales statuit idem Iustinianus, nulla distinctione facta criminalium à ciuilibus, non posse vllo modo trahi coram iudicibus ciuilibus, seu sæcularibus, sed tantummodo coram Episcopis & iudicibus Ecclesiasticis; vt habetur *in Nouella* 79. & transumptiuè *in Authent. Causa. C. dicto titulo*; tandem verò per iura Pontificia certa & inuariabilis determinatio facta fuit, vt nimirum si Clericus † contra 25.
Clericum negotium habeat, sit omnino causa peragenda coram proprio Episcopo. *cap. 1. de for. competenti.* Idem iuris est, si laicus contra Clericum causam habuerit. *cap. si quis, eodem tit.* vt vice versa, si Clericus † contra 26
laicum egerit, debet adiri iudex sæcularis, cùm actor † sequatur forum rei. *cap. si clericus, eodem tit. & cap. cùm* 27.
sit, eod.

Tandem verò de anno 1160. per Alexandrum tertium

28. Summum Pontificem statutum fuit, vt neque Clerici † volentes & consentientes, etiam iuramento interposito, & partis aduersæ accedente voluntate, possint siue in ciuilibus causis, siue in criminalibus iudiciorum sæcularium cognitionem subire, cùm non sit hoc † priuilegium
29. personale, sed toti Ordini Ecclesiastico concessum, cui
30. propterea † in dedecus totius Ordinis priuatorum pactis renunciari non potest, vt videre est *in cap. si diligenti, eod. tit.* vbi fit mentio decretorum desuper factorum in Conciliis vniuersalibus anteriori tempore habitis, præsertim Mileuitanensi, & Carthaginensi.

31. Ex præmissis infertur, Clericos etiam † in minoribus constitutos, omnimodo exemptos & immunes esse à laicorum foro & iurisdictione in omnibus & quibuscunque causis, nedum spiritualibus, pro quibus etiam laici sine aliqua personarum exceptione subiiciuntur, cuiuscunque dignitatis existant, quantumuis eminen-
32. tis. *dict. can. si Imperator*; verùm etiam profanis, † si de rebus Clericorum profanis, veluti de eorum contractibus atque delictis omni hominum generi communibus, & sic tam in causis eorum pecuniariis, quàm
33. in criminalibus, ne possessoriis quidem † beneficiorum causis exceptis, cùm per vnum eumdemque iudicem debeat causa proprietatis & possessionis terminari, &
34. ad quem pertinet cognitio proprietatis, † ad eundem quoque pertineat cognitio possessionis, ne continentia causæ diuidatur. *cap. 1. de caus. possess. & propr. cap. 1. de caus. sequestr. possess. & fruct. & l. nulli. C. de iudiciis*, licèt Parlamenta Galliæ sibi arrogarint cognitionem possessorij in causis beneficialibus, non tàm de iure, quàm de facto, vt videre licet apud Guid. Pap. *decis. 1.* cum simili,
35. quòd indignissimum foret † Clericos, qui in sortem domini sunt peculiariter adsciti, ratione suorum contractuum, aut etiam delictorum alteri, quàm Ecclesiastico subdi domino, vel iudici; maximè verò in delictis, cùm
36. Ordinis Ecclesiastici † sublimitas & excellentia singulariter debeat reliquo populo semper esse venerationi cuidam

 dam

dam sacrosanctæ, iuxta illud Psalmistæ, *Nolite tangere christos meos*, Psalm. 104. quæ immunitas † & exemptio ab 37.
eo iuris sacri principio petita dici posset esse iuris diuini, licèt exceptis causis spiritualibus, in rei veritate iuri potiùs humano, seu positiuo adscribi debeat.

Iudicibus autem Ecclesiasticis non dabitur facultas † ferendi sententiam pœnam sanguinis effusionem in se continentem, ad euitandam irregularitatem. *cap. Clericis*, *& cap. sententiam sanguinis*, *ne Monachi*, *vel Clerici*, quibus constitutionibus, & aliis quoque pœnis contrafacientes subiiciuntur, sed pœnas † infligere debent iure Pontificio 39.
permissas, reseruata maiori pœna iudicibus sæcularibus, vt condignè puniantur, saltem præuia degradatione, vt suprà dictum fuit. 38.

Omni igitur casu † prorsus eximitur Clericus, etiam in 40.
minoribus constitutus; si tamen incedat cum habitu & tonsura clericali, vt Concilio Tridentino cauetur, ab omni iurisdictione sæculari, siue de causis spiritualibus agatur, siue de profanis Clericos tangentibus, tam pecuniariis, quàm criminalibus.


Excipitur tamen casus notabilis, & singularis, in quo Clerici subiiciuntur iurisdictioni iudicum sæcularium, si nimirum feuda † sibi, vel Ecclesiis concessa 41.
possideant à Principibus, seu dominis temporalibus: exortâ namque quæstione de feudo, ea terminari debet feudaliter coram iudice feudi, licèt laico, *cap. ex transmissa*, *cap. verùm*, *cap. ex parte*, *de foro compet.* iuncto *cap. caterum*, *de iudiciis*, cum *ibi* notat. per gloss. & Doctores; ita tamen, vt si ob crimen † à Clericis ad- 42.
missum de amissione feudi ageretur, non posset tale iudicium agitari coram domino feudi, ex notat. per DD. *in dicto cap. verùm*, signanter per Panormitan. *num.* 17. *& seqq.*

Et ex præmissis quintum caput huiusce tractatus plenè absolutum & expeditum manet; nec verò ad alte-

ram & secundam partem, quæ versatur circa ius publicum, quod in Magistratibus potissimum consistit, de quibus in posterioribus titulis libri primi Codicis Iustinianei, vel illius interpretationem progrediendum esse censui, quòd ea de re satis abundè dictum sit in nostro tractatu de crimine læsæ Maiestatis.

F I N I S.





In lib. IX. Codicis.

DE DELICTIS, SEV CRIMINIBVS.

PROLEGOMENA.

SVMMARIVM.

1 *Actionum ciuilium alia sunt priuatorum, qua singulis pro eorum interesse priuato competunt: alia populares, qua cuilibet de populo, & ideo publica denominantur.*

2 *Dum via publica nocetur, puta dum quid suspensum in ea habetur, vel in eam effunditur, competit actio popularis.*

3 *Iudicia qua pro criminibus exercentur, alia sunt priuata, pro quibus dantur actiones singulis pro eorum priuato interesse.*

4 *Et ea iudicia priuata dicuntur, quippe qua tendunt ad reparationem damni priuatis illati, quales sunt actiones furti, iniuria, damni, rapina.*

5 *Alia vero criminalia iudicia sunt publica, qua tendunt directo & principaliter ad vindictam publicam, & pro conseruatione ipsius status publici, seu Reipublica, qualia sunt iudicia lesa Maiestatis, vis publica, & his similia.*

6 *Olim apud Pratorem, seu Magistratum, qui iurisdictioni praerat*

erat, præmittebatur iuris disceptatio priusquam formulæ actionis, seu eâ sublatâ, daretur actio, reo verò exceptio, seu ius excipiendi: actori præterea ius replicandi, & successiuè reo ius triplicandi.

7 Postea neque datæ fuere actiones, exceptiones, replicationes & triplicationes, sed cognito summariè de iure agentis, & rei ex proposita facti specie dabatur iudex, præscripta iudicandi forma, quandoque stricta, quandoque ex bona fide, quandoque arbitrio iudici concesso.

8 Iudices dati, quibus stricta iudicandi formula præscribebatur, iudicis nomen retinebant; alij verò, quibus ex bona fide, vel arbitrio illis concesso causa committebatur, plerumque in iure arbitri denominantur.

9 Ex dictis formulis, sub quibus iudices dabantur, fluxit actionum diuisio, quarum aliæ dicuntur stricti iuris, aliæ bonæ fidei, aliæ arbitrariæ.

10 Hodie neque præscribitur iudicandi forma; sed simpliciter iudices dantur, cum facultate cognoscendi de actione proposita, & causa, seu lite mota cum annexis, qui suas sententias exequuntur.

11 Iudex datus sententiam suam executioni demandare olim non poterat, sed Magistratus, qui eum dederat, id præstabat.

12 Praxis in Romana curia & Auenioni hoc habet, vt iudices dati suas sententias exequi possint.

13 Quamuis sublatæ sint variæ illæ formulæ iudicum dandorum, mansit nihilominus actionum illa diuisio stricti iuris, bonæ fidei, & arbitrariarum.

14 Iudex datus sub prædictis formulis facti veritate ex probationibus coram ipso hinc inde factis habita, sententiam ferebat reum vel condemnando, vel absoluendo.

15 Iudicia quæ præmisso iuris ordine seruato peragebantur, ordinaria dicebantur.

16 Extraordinaria verò iudicia dicebantur dum Magistratus qui iurisdictioni præerat, per seipsum nullo iudice dato, de causa cognoscebat.

17 Iudicia publica extraordinaria dicuntur, quòd in illis neque actio, neque iudex causæ diffiniendæ daretur.

18 Quandoque iudex quæstionis, cui quæstio forte obueniret in iudiciis

diciis publicis exercendis, interuenire solebat, quem Cuiacius Quæstorem *appellat, qui procederet, non tamen iudicaret.*

19 *Iudicia pro priuatis delictis criminaliter intentata extraordinaria sunt, secus si ciuiliter actum sit.*



T actionum † ciuilium aliæ sunt priuatorum, 1. quæ singulis pro eorum interesse priuato, quales sunt ferè omnes, aliæ verò populares, quæ cuilibet de populo competunt, vt si viæ † publicæ noceatur, puta dum quid suspensum in 2. ea habetur, vel in eam effunditur, *tit. ff. de his qui effuder. vel eiecer. l. eum qui. §. in popularibus. ff. de iureiur.* & inde publicæ donominantur, ita vt † iudiciorum quæ pro delictis, 3. seu criminibus exercentur, alia sunt priuata, pro quibus dantur actiones singulis pro eorum interesse priuato. *l. ex maleficiis. ff. de actio. & obligat.* quæ † scilicet tendunt ad reparationem damni priuatis illati, puta furti, iniuriæ, damni, rapinæ. *§. 1. Instit. de obligat. quæ ex delict. nascunt.* Alia 4. † verò publica, sic dicta quòd omnibus pateant, quippe 5. quæ tendant directò & principaliter ad vindictam publicam, & pro conseruatione ipsius status publici, seu Reipublicæ, puta læsæ Maiestatis, vis publicæ, & similia. *§. publica autem, 1. & 2. & tot. tit. Instit. de publ. iudic.*

Item vt ciuilium iudiciorum quædam sunt ordinaria, in quibus ordo præscriptus pro illis exercendis seruatur, scilicet † præmissa apud Prætorem, seu Magistratum, qui iuris- 6. dictioni præerat, iuris disceptatione, qui olim formulã actionis, postea verò eâ sublatâ, *l. 1. C. de formul. actio. sublat.* actionem dabat, quam neque hodie actor impetrare tenetur. *l. 2. C. eod.* reo verò exceptionem, seu ius excipiendi, actori præterea ius replicandi, & successiuè reo ius triplicandi, de quibus *in l. consilio. §. 1. & 2. ff. de curat. furios.* quæ † postea neque dabantur, arg. *d. l. 2.* sed cognito summa- 7. riè de iure agentis, & rei ex proposita facti specie iudex præscripta iudicandi forma quandoque stricta, quandoque ex bona fide, quandoque arbitrio iudici concesso, vnde illi † iudices, hi posteriores plerumque arbitri. *§. 1. Inst. de* 8.

 actio.

actio.l.à diuo Pio, in princ.ff.de re indic.l.7.in princ.ff. ad l. Iul.
9. *repetun.* & inde fluxit † illa diuisio actionum, quarum aliæ stricti iuris, aliæ bonæ fidei, aliæ verò sunt arbitrariæ, de quibus *in §.actionum quadam, & in §.praeterea, Instit. de actio.*
10. Hodie † verò neque præscribitur iudicandi forma, sed simpliciter iudices dantur, quibus datur commissio cognoscendi de actione proposita, & causa, seu lite mota & mouenda, cum annexis, connexis, dependentibus, emergentibus & incidentibus, & sententias suas exequendi, quod
11. † olim iudices dati non poterant. *l. iudex posteaquam.ff. de re indicat.* Sed Magistratus qui eos dederat, id præstabat. *d.*
12. *l.à Diuo Pio*, vt seruat praxis † in Romana Curia, & hîc
13. Auenioni vsu recepta: manente † nihilominus actione stricti iuris, bonæ fidei, vel arbitraria, iuxta sui primæuam naturam, quam ex dictis iudicandi formulis diuersimodè
14. conceptis acceperat. Vnde iudex sic † datus facti veritate ex probationibus coram ipso hinc inde factis habitâ, sententiam fert, vel reum condemnando, vel ipsum absoluendo, vt notatur *in d.§.actionum. & §.in bona fide.* quæ iu-
15. dicia † præmisso iuris ordine seruato, peracta, dicebantur
16. ordinaria; quando verò † Magistratus qui iurisdictioni præerat, per seipsum, nullo iudice dato, de causa cognoscebat. *l.1.* & passim *tot.tit.ff. de variis & extraordin.cognitio.* adde text.*in l.2. C.de pedan. iudicib.* tunc extra ordinem procedere dicebatur, & inde ea iudicia extraordinaria dice-
17. bantur, & ea † de causa iudicia publica, quòd in illis neque actio, neque iudex causæ diffiniendæ daretur, licèt
18. †.quandoque iudex quæstionis interueniret, cui forte quæstio obueniret. *l.1. §.praeterea.ff. ad l.Cornel. de sicar.* quem *Quaestorem* vocat Cuiacius omnino videndus *obser. lib. 15. cap.39.* qui procederet, non tamen iudicaret. *l.2. §.1. C. de pedan.iudic.* Extraordinaria dicuntur *l.3. ff.de expilat. haeredi-*
19. *tat* quod etiam † obtinet in priuatis delictis criminaliter intentatis, *d.l.3.* secus si pro eis ciuiliter ageretur per partem læsam; tunc enim in illis exercendis ordo prædictus obseruabitur.

CAP.



CAPVT I.

De publicis iudiciis, ordinariis, & extraordinariis.

SVMMARIVM.

1 *Publica iudicia alia diuersa ratione dicuntur ordinaria, quando inscriptio accusare volentis interueniebat, & idonea cautio dabatur per accusare volentem se perseueraturum vsque ad sententiam, nec destiturum.*

2 *Scire debet accusans non inultam fore accusationem si fuerit calumniosa.*

3 *Inscriptione facta demum accusator proponebat criminis accusationem, & num. 4.*

5 *Iudicia in quibus certa pœna à lege praescripta per sententiam declaranda venit, dicuntur legitima & ordinaria; in quibus verò incerta & arbitrio iudicis à lege commissa pœna venit imponenda, dicuntur extraordinaria, nimirum ob executionem extraordinariam.*

6 *Iudicia priuata criminaliter intentata ob pœnam incertam dicuntur extraordinaria.*

7 *Crimina dicuntur legitima & ordinaria, à pœna certa & determinata per legem eis imposita; à pœna verò incerta & arbitrio iudicis commissa extraordinaria, & non legitima.*

8 *In iudiciis priuatis & extraordinariis non habetur ratio inscriptionis factae, vel omissae.*

9 *In criminibus certam pœnam habentibus quandoque inscriptio non fit, puta in notoriis quae denunciantur per apparitores Praesidis prouinciae, vel alias publicas personas, quales sunt Procuratores fisci.*

10 *A publicis personis reos ex incumbenti officio denunciantibus non exigitur inscriptio, quod hodie paßim obseruatur, licèt calumniae periculum de iure non minus subeant; quod tamen de facto vtplurimùm non seruatur.*

11 *In criminibus extraordinariis, qualia sunt priuata, inscriptio de iure requiritur.*

12 *Inscriptionis vsus ab Aula recessit etiam in Gallia, præterquam in crimine falsi.*

13 *De iure Canonico requiritur inscriptio, licet de consuetudine contrarium seruetur.*

14 *Querela hodie successit in locum accusationis.*

DIuersa tamen ratione iudicia criminalia, præsertim publica, distinguebantur in ordinaria & extraordinaria, quòd in illis † inscriptio, id est, delatio, denunciatio, seu testatio accusationis futuræ ex forma præscripta *in l. 3. ff. de accusatio.* interueniret, & cauto idoneè per accusare volentem, se in crimine perseueraturum vsque ad sententiam. *l. 7. in princ. & §. 1. ff. eod.* nec ab ea destituturum. *l. 1. C. ad senatusconsf. Turpil.* quo sciat
2. † non inultam fore accusationem si calumniosa fuerit. *d. l. 7.*
3. *in princ.* qua inscriptione † facta, demum proponit accu-
4. sationem criminis, cuius † vtplurimum certa pœna lege
5. definita erat, & sic à declaratione † certæ pœnæ legis præscriptum exequendo, ea iudicia legitima & ordinaria dicebantur: quando autem pœnam non habebant certam, sed arbitrio iudicis à lege commissam, qualia vtplurimum sunt
6. † priuata iudicia criminaliter instituta. *l. fin. ff. de priuat. delict.* tunc ob executionem extraordinariam dicuntur ex-
7. traordinaria. Ideoque † à pœna certa per legem determinata, dicuntur crimina legitima & ordinaria; à pœna verò incerta & arbitrio iudicis commissa, extraordinaria, & non legitima. *l. 2. & l. 3. §. pœna autē. ff. de crim. stellionat.* non habi-
8. ta † ratione inscriptionis factæ, vel omissæ, quia in crimini-
9. bus † certam pœnam habentibus quandoque inscriptio non fit, puta in notoriis quæ denuntiantur per apparitores Præsidis Prouinciæ, vel alias publicas personas, quales sunt
10. Procuratores fisci, vulgò *Promotores*, à quibus † inscriptio non exigitur, quod hodie passim obseruatur, licèt de iure non minus subeant periculum calumniæ. *l. 7. l. 8. & l. 14. C. de accusat.* quod tamen vtplurimum de facto non seruatur.
11. Et in criminibus † extraordinariis, qualia sunt priuata, etiam

etiam inscriptio de iure requiritur. *l. vlt. ff. de priuat. delict.* quamuis hodie † ab aula recesserit inscriptionis vsus, 12.
etiam in Gallia, præterquam in crimine falsi. Clar. §. *fin. quæst.* 12. *num.* 17. & 18. vbi † de iure Canon. firmat eam re- 13.
quiri, licèt de consuetudine contrarium seruetur. Adde eundem Clar. *in d.* §. *fin. q.* 10. vbi quòd querela † successit 14.
loco accusationis, facit text. *in d. l.* 8. *C. de accusat.* & disertè, & fusè *tract. de promotore, seu instigatore.*



CAPVT II.

De publicis iudiciis capitalibus, & non capitalibus.

SVMMARIVM.

1 *Publica iudicia alia sunt* Capitalia, *pro quibus imponitur pœna mortis naturalis, nimirum vltimi supplicij, vel pœna mortis ciuilis.*

2 *Pœna mortis ciuilis ea est, qua quis patitur maximam capitis diminutionem, puta libertatem & ciuitatem amittendo, dum quis damnatur in metallum, vel bestiis subiicitur.*

3 *Et ea, qua quis mediam patitur capitis diminutionem, dum libertate retenta ciuitatem amittit, puta per aqua & ignis interdictionem, in cuius locum successit deportatio.*

4 *Deportati extorres, & sine ciuitate nominantur, vel peregrini.*

5 *Deportatio fit cum publicatione bonorum, quorum incapaces efficiuntur.*

6 Non capitalia *sunt, pro quibus imponitur pœna corporalis à media capitis diminutione, qualis est relegatio.*

7 *Relegatio dicitur impropriè exilium, quia salua ciuitate contingat.*

8 *Mulier adultera puniebatur olim per relegationem in insulam cum ademptione dimidiæ partis dotis, & tertiæ partis bonorũ.*

9 *Adultero olim pœna relegationis infligebatur cum ademptione dimidiæ partis bonorum.*

10 *Adulterio cum incestu commisso pœna deportationis erat.*

11 *Simplicis adulterij proximus pœnæ gradus erat relegatio.*

12 *Lenocinij pœna eadem est quæ adulterij.*

13 *Miles ob lenocinium deportatur, quippe qui asperius soleat puniri, quàm paganus.*

14 *Paganus ob adulterium relegatione tantùm puniebatur.*

15 *Adulterij rea absens defendi non potest; quæ tamen defensio in capitalibus absenti non denegatur.*

16 *In capitalibus de iure alij ad plenam defensionem rei absentis admittuntur, & sic non tantùm ad reddendam iustam causam absentiæ.*

17 *Hodie ex stylo omnium curiarum, tam hîc Auenioni, quàm in Gallia & passim vbique non admittuntur alij pro reis absentibus, nisi ad excusandam absentiam.*

18 *Non licebat olim super adulterio transigere eo quòd non esset capitale crimen, nec hodie licet, quamuis capitale fuerit effectum.*

19 *Adulterij pœna à iure antiquo constituta mutata fuit, & versa in capitalem, nimirum vltimi supplicij.*

20 *Non valet consequentia quod crimine adulterij capitali effecto propterea de eo pacisci, seu transigere liceat.*

21 *Ius antiquum licèt quoad pœnam adulterij non capitalem fuerit abrogatum, dum expressè non tollitur prohibitio paciscendi, seu transigendi, manet in ea parte illibatum & incorruptum.*

22 *Constitutiones nouæ strictiùs accipiendæ sunt, adeò vt ex eis consequentia contra ius vetus admittenda non sint.*

23 *Iure sacro, & sic longè ante l. Iuliam ab Augusto promulgatam adulterij pœna erat vltimum supplicium, quo plectebantur tam adulter, quàm adultera.*

24 *Adulter & adultera secundùm legem naturæ ante legem Moysi datam in monte Sinai igni comburebantur, post legem Moysi datam lapidabantur.*

25 *De iure Authenticorum quoad adulterum mansit pœna mortis, quoad mulierem adulteratam successit pœna fustigationis, & in Monasterium detrusionis.*

26 *Si maritus vxorem adulteram in Monasterium detrusam intra biennium*

biennium non receperit, vel biennio nondum elapso mortuus fuerit, tonsa debet Monasticum habitum suscipere, & in Monasterio perpetuò habitare.

27 *Adulteri bona, dote & augmento vxoris, si dotem habeat, vel quarta parte, si pauper fuerit, & sine dote, priùs detractis, eius descendentibus, vel ascendentibus ad tertium vsque gradum applicantur, & illis non existentibus fisco.*

28 *Bona mulieris adulteræ tonsæ, & in Monasterium detrusæ, pro duabus tertiis eius descendentibus, si habeat, & pro alia tertia parte Monasterio applicantur, & si descendentes non habeat, duæ tertiæ partes Monasterio; reliqua verò tertia pars ascendentibus applicatur.*

29 *Bona adulteræ tonsæ, & in Monasterium detrusæ, si nec ascendentes, nec descendentes post eam reliquerit, Monasterio in totum applicantur.*

30 *Adulterij pœna de iure Canonico in laicis est excommunicatio, & præterea detrusio in Monasterium.*

31 *Hodie vtplurimum in fœminis adulteris etiam ex communi interpretum sententia, vsurpatur pœna detrusionis in Monasterium.*

32 *Clericus de adulterio conuictus deponitur ab officio & beneficio, ita vt nec ad Altare accedere possit, & perpetuò detruditur in Monasterium.*

33 *Pœna corporalis adulterij de generali totius Italiæ & Galliæ consuetudine in pecuniariam versa est.*

34 *Ex constitutione Sixti V. pœna vltimi supplicij in adulteros sancita est, licèt neque ea Romæ seruetur, quæ tamen exactè seruatur in Parlamento Tolosano.*

35 *Multa specialia in crimine adulterij inducta fuere, quibus tale crimen eluditur.*

36 *Accusatio pro quouis crimine intra vicennium admittitur, pro adulterio non admittitur vltra quinquennium continuum, quod computatur à die criminis admissi, vsque ad diem quo quis postulatus est.*

37 *Postulatio fiebat olim per denunciationem cum inscriptione; hodie verò cum inscriptione recessit ab aula, cui successit querela in actis data.*

38 *Marito, & patri olim dabatur ius accusandi vxorē, & filiam iure*

mariti

mariti, id est, sine inscriptione intra 60. dies vtiles, qui computabantur à die diuortij, non autem à die criminis admissi.

39 *Marito & patri post lapsum bimestre dabantur quatuor menses pro accusatione facienda iure extranei.*

40 *Maritus & pater qui sine inscriptione accusabant, calumniæ nomine tenebantur tantùm, nec pœnæ talionis subiiciebantur.*

41 *De iure Authenticorum maritus, & pater se inscribere tenentur instar aliorum.*

42 *Hodie omnino cessante inscriptionis vsu, non est differentia inter maritum, seu patrem & extraneos, sed tantùm quæritur quis in accusatione præferatur.*

43 *Ex constitutione Constantini extranei repelluntur ab accusatione adulterij, & quinque tantùm personæ admittuntur, maritus, pater, adulteræ frater, patruus, & auunculus.*

44 *Non licet extraneis pro libito voluntatis temerè fœdare aliena matrimonia.*

45 *Iudex in crimine adulterij procedere non potest sine præuia querela ex statuto Auenionensi, & sic inspecto iure communi, non nisi data querela per vnum ex quinque.*

1\. PVblica autem † iudicia *in l. 2. ff. de public. iudic.* subdiuiduntur in *capitalia*, pro quibus imponenda venit pœna mortis naturalis, nimirum vltimi sup-
2\. plicij; vel pœna mortis ciuilis, qua quis † patitur maximam capitis diminutionem, puta libertatem & ciuitatem amittendo; dum damnatur in metallum, vel bestiis subiicitur. *§. pœna seruus. Instit. quib. mod. ius patr. potest. solu.* vel qua
3\. quis † mediam patitur capitis diminutionem, nimirum dum libertate retenta ciuitatem amittit, vt contingebat olim per aquæ & ignis interdictionem; vel per deportationem, quæ in illius locum successit. *§. cùm autem is. Inst. eod.*
4\. *l. 1. §. his quib. ff. de legat. 3.* vbi *ἀπόλιδες extorres*, † seu sine ciuitate nominantur, & apud Antonin. *in l. 1. C. de hæred. instit.* pe-
5\. regrini, & ideo † deportatio fit cum publicatione omnium bonorum, quorum incapaces efficiuntur. *l. deportatus. ff. de interd. & relegat.* Adde text. *in princ. & in §. minor, Instit. de capit. diminutione. l. vlt. ff. de cap. minut.* quæ seriatim recensentur

in

in tit. Instit. de publ. iudic. §. *item l. Iulia de adulter. vsque ad* §. *penult.* Et in *non capitalia*, ex quibus nempe † venit imponenda pœna corporalis à media capitis diminutione, qualis 6.
est relegatio quæ impropriè † dicitur exilium, quia salua 7.
ciuitate contingat. *l.* 4. §. 1. *ff. si quis cautio. in iud. sisten. caus. fact.* Cuius exemplum afferri potest in pœna legis Iuliæ *de adulter.* cuius pœna erat † in adultera relegatio in insulam, cum 8.
ademptione dimidiæ partis dotis, & tertiæ partis bonorum; in adultero † verò relegatio cum ademptione dimidiæ partis bonorum, vt ex Paulo *lib. sententiarum* 11. *tit.* 37. cuius verba refert Cuiac. *lib. obseruat.* 21. *cap.* 17. *& lib.* 15. *ad edict. Pauli, in d. l.* 2. quod ante compertum dictum librum vndecimum sententiarum Pauli inferebat sic esse, *lib. obseru.* 6. *c.* 11. *n.* 25. *& seqq. lib.* 20. *c.* 18. *& c.* 19. 9.

Cuius rei veritas deprehenditur *in l. si quis viduam. ff. de quæstio.* quæ † adulterio cum incestu commisso deportationem irrogat: simplex ergo † si fuerit adulterium, proximus 10. 11.
pœnæ gradus est relegatio. hæc sunt verba Cuiac. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 15. *& in l. miles, in princ. ff. ad leg. Iul. de adulter.* per quam † lenocinij pœna; quæ eadem est quæ adulterij, in 12.
milite est † deportatio, quippe qui asperius soleat puniri, 13.
quàm paganus. *l.* 7. §. *vlt. ff. ad leg. Iul. Maiestat.* Vnde † paganus relegatione tantùm ob adulterium puniebatur. Ita disertè Cuiac *d. lib.* 20. *obseru. cap.* 18. *num* 20. *&* 35. vbi id etiam infert ex *d. l. miles.* §. *ea quæ.* quòd rea † adulterij absens defendi non possit, quæ defensio in capitalibus absenti non denegatur. *l.* 3. *C. de accusat.* fac. apertissimus text. *in l. seruum.* §. *publicè. ff. de procurat.* Quod Cuiac. † *eod. lib.* 20. *obseru. cap.* 20 accipit de plena defensione, non de reddenda tantùm iusta causa absentiæ ad reum excusandum. Hodie tamen † stylus omnium curiarum, tam hîc Auenioni, quàm 14. 15. 16. 17.
in Gallia, & passim vbique, hoc seruat, vt non admmittantur alij pro reis etiam in capitalibus, nisi ad excusandam absentiam. Et ea de causa † non licuit de adulterio transigere. *l. de crimine. C. ad leg. Iul. de adulter.* nec hodie licet, quamuis capitale effectum fuerit. *l. transigere. C. de transactio.* vt deprehenditur ex illis verbis, *excepto adulterio*, quæ Tribonianus adiecit. Pœna autem † capitalis in eo crimine 18. 19.

inducta fuit per Constantinum, iure veteri abrogato, *in l.quamuis, in fin. C.ad leg. Iul. de adulter.* Cuius tamen leg. postremũ versum probat Cuiac. *obseru.d.lib.6.c.11.circa fin.* ex Teodos. additum fuisse ad *d.l.quamuis*, cuius author est Cõstantinus, ex Constantio, & Cõstãte *in l.4.C.Theodos.quorum appellat.non recip.* quod etiam indicat idem Cuiac. *in notis ad Instit.§.item lex Iulia, de adulter.Instit.de publ. iudic.* Nec se-
20. quitur † inferendum eo crimine capitali effecto, propterea de eo pacisci, seu transigere licere, vt de cæteris capitali-
21. bus, quia cùm † abrogatum fuerit ius antiquum quoad pœnam, non autem quoad prohibitionem de eo transigendi, seu paciscendi, manet in hoc ius antiquum, ea potissimum
22. ratione, quia nouæ † constitutiones strictiùs accipiendæ sunt, adeò vt ex eis consequentia contra ius vetus admit-
23. tenda non sint, sed iure sacro.† Et sic longè ante legem Iuliam ab Augusto promulgatam adulrerij pœna erat vltimum supplicium, quo plectebantur tam adulter, quàm
24. adultera, nimirum † per ignis combustionem, ante legem Moysi datam in monte Sinai, dum secundùm legem naturæ viuerent homines, vt legitur *in Genesi cap.38.vers.24.* post verò legem datam per lapidationem, vt *in Leuitic. cap. 20.*
25. *vers.10.iuncto vers.1.& final.* Sed de iure † Authenticorum, de quo in Authentica *sed hodie, C.eod.tit. & in Auth. vt nulli iudicum, &c.§.si quando verò.* pœna mortis mansit quoad adulterum, quoad fœminam verò adulteratam successit pœna fustigationis, & detrusionis in Monasterium, ita vt
26. si maritus † eam non receperit intra biennium, vel biennio nondum lapso mortuus fuerit, tonsa debeat Monasticum habitum suscipere, & in Monasterio perpetuò habitare,
27. bonis adulteri † dote priùs, & augmento eius vxoris, si habeat, vel quarta parte ei, si pauper, de bonis prædictis priùs detractis, ad eius descendentes, vel ascendentes ad tertium vsque gradum; illis verò non existentibus, fisco
28. applicandis. Bonis autem † adulteræ tonsæ, & in Monasterium detrusæ descendentibus, si habeat, pro duabus tertiis partibus; pro tertia verò restanti Monasterio applicantur, quos si non habeat, duæ tertiæ Monasterio, reliqua verò tertia pars ascendentibus applicatur; nullis verò

† post

† post eam existentibus, siue descendentibus, siue ascendentibus, totum Monasterio applicatur; de iure verò Canonum † pœna adulterij in laicis est excommunicatio, *cap. intelleximus, de adulter. in antiq.* cum *ibi* not. per Canonistas, & præterea detrusio in Monasterium, ex not. per Abbat. & alios *in cap. gaudemus, de diuortiis.* quod vtplurimum † etiam hodie vsurpatur in fœminis, idque commune firmat Couarr. *in lib. 4. Decretal. part. 2. cap. 7. §. 7. num. 20.* Clerici verò † de adulterio conuicti deponuntur ab officio & beneficio, ita vt neque ad Altare accedere possint, & perpetuò detrudantur in Monasterium, per text. *in can. si quis Clericus, 81. distinct.* & per *gloss. fin. in can. lator. 2. q. 7.* cum aliis iuribus & authoritatibus in id allegat. per Couarr. *vbi suprà n. 19.* Adde Clar. *in §. adulterium, q. 4. num. 7.* qui tamen post Alciatum ab eo relatum firmat eam pœnam hodie non esse in vsu; neque enim si ea pœna locum haberet, tot Clericos per ciuitatem incedentes conspiceremus. De consuetudine verò † generali totius Italiæ, imò & ipsius Galliæ, pœna corporalis versa est in pecuniariam, vt testatur Clar. *in dict. §. adulterium, num. 7. vers. sed quicquid sit, ad finem vsque num.* & *ibi* Baiard. ad Clar *n. 55. 59. & seqq.* apertiùs declarat, licèt *num. 56.* dicat Romæ † pœnam vltimi supplicij adulteros subire, ex constitutione Sixti V. quæ tamen neque Romæ seruatur: id tamen seuerè obseruatur in Parlamento Tholosano.

29. 30. 31. 32. 33. 34.

Nec mirum si lege Iulia crimen adulterij non tam seuerè vindicatum fuerit, ac cætera crimina, quod etiam de consuetudine generali renouatum esse videtur, quia multa † specialia in eo fuere inducta, quibus tale crimen eluditur. 35.
Quamuis † in cæteris criminibus accusatio admittitur intra vicennium. 36. *l. querela. C. ad leg. Cornel. de fals.* In hoc tamen non admittitur vltra quinquennium continuum. *l. mariti. §. præterea, cum duob. seqq. ff. ad leg. Iul. de adulter. l. quinquennium. C. eo. tit. l. adulter. C. eod.* quod cõputatur à die admissi criminis, vsque ad diem quo quis postulatus est, quod olim † fiebat per denuntiationem cum inscriptione. 37. *l. 3. ff. de accusat.* hodie verò cùm inscriptionis vsus ab aula recesserit, per querelam in actis datam, quæ in locum accusationis sub-

38. rogata fuit.*l.*8.*C.de accusat.*cum *ibi* notat. Marito verò † &
patri, quibus dabatur ius accusandi vxorem & filiam, iure
mariti, id est, sine inscriptione intra sexaginta dies vtiles,
qui computabantur ex die diuortij, non autem ex die ad-
39. missi criminis; bimestri verò † lapso quatuor menses con-
cedebantur pro accusatione facienda per eos iure extranei,
40. vel per extraneos.*l.*4.§.*extraneis.ff.eod.* Ideoque † maritus
& pater qui sine inscriptione accusabant, calumniæ nomi-
ne tenebantur tantùm, nec pœnæ talionis subiiciebantur,
41. licèt † de iure Authentic.se inscribere tenerentur ad instar
aliorum.§.*quia verò, vers. si de adulterio, Authentic. vt liceat*
42. *matri & auiæ.* Hodie verò † omnino cessante inscriptionis
vsu, non est differentia inter maritum, seu patrem, &
extraneos, sed tantùm quæritur quis in accusatione præfe-
43. ratur, de qua *in l.*2.§.*si simul.ff.eod.* præsertim cùm † ex con-
stitutione Constantini *in d.l.quamuis* 30. *C. de adulter.* om-
nes extranei ab hac accusatione repellantur. Et quinque
tantummodo personæ ad hanc accusationem admittantur,
nimirum maritus, pater, adulteræ frater, patruus & auun-
44. culus, ne aliis † volentibus temere liceat fœdare matrimo-
45. nia. Vnde per statuta ciuitatum plerumque cauetur, † ne
in crimine adulterij iudex ex officio sine querela procede-
re possit, vt per statutum Auen.*lib.*3.*rubr.*1.*art.*1.Et sic non-
nisi data querela per vnum ex quinque, de quibus *in dict.
l.quamuis.*



CAPVT III.

De pœna legis Iuliæ de adulteriis.

SVMMARIVM.

1 *Pœnâ legis Iuliæ* de adulter. *nedum tenentur adulteri, verùm etiam stupratores & lenones, puta qui domum suam accommodarint adulterij stuprive committendi causa.*

2 *Adulteris, stupratoribus & lenonibus competit quinquennij exceptio.*

exceptio, seu præscriptio, ad excludendam accusationem.

3 *Virgines & honestæ viduæ stuprum passæ non aliam patiuntur pœnam, quàm honoris diminutionem.*

4 *Virginum, vel honestarum viduarum stupratores coguntur actione ciuiliter intentata ad eas competenter dotandas, & ducendas, si æqualis sint conditionis cum stupratoribus, & eo magis si sub promissione de contrahendo eas seduxerint.*

5 *Dotatio sufficit si adsit inæqualitas stupratoris cum virgine, seu vidua stuprum passa.*

6 *Virgines, seu viduæ honestæ stuprum passæ, si iuris interpretatione vim passæ censeantur, recusante stupratore eas ducere, non solùm corporaliter castigatur, verùm etiam in foro sæculari pœna vltimi supplicij afficitur.*

7 *Nefarij puerorum stupratores comburuntur.*



HOc autem sciendum, teneri † pœnis supradictis ipsius legis Iuliæ nedum adulteros, verùm etiam stupratores. *l. stuprum. ff. eod.* & lenones, puta qui domum suam accõmodarint adulterij stuprive committendi causa, *d. § item lex iulia de adulter. vers. pœnam autem. Instit. de publ. iudic.* Quibus etiam †competit quinquennij exceptio, seu præscriptio ad excludendam accusationem. *d. l. mariti. §. hoc quinquennium.* Sed virgines,† seu honestæ viduæ stuprum passæ non aliam pœnam patiuntur, quàm honoris diminutionem. Imò earum stupratores † actione ciuiliter proposita cogi possunt ad eas competenter dotandas, & ducendas, præsertim si æqualis sint conditionis cum stupratoribus. *cap. 1. & cap. 2. de adulter. & stupr.* cum *ibi* not. maximè si sub promissione de contrahendo eas seduxerint; quamuis † ob inæqualitatem vnum sufficere possit, scilicet dotatio, ex Gomes. *in l. 80. Taur. n. 8.* Imò si iuris† interpretatione vim passæ censeantur, si renunciat eas ducere, non solùm corporaliter castigantur, vt deciditur *in d. c. 1. & c. 2.* Verùm etiam in foro sæculari pœna vltimi supplicij afficiuntur. *l. vn. C. de raptor. virg.* sin verò ageretur † de nefando puerorum stupro, tunc pœna vltimi supplicij, eáque acerbiori plectuntur, puta per ignis combustionem, *l. cùm vir nubit in fœminã, C. eod. tit.* ex Gomes. *in l. 80. Tauri, n. 302.*

[Right margin numbers, in order beside the lines where they appear: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.]

§. Vnic.

SVMMARIVM.

1 *Pater potest filiam sub eius patria potestate positam domi suæ, vel in domo generi, vnà cum adultero in adulterio deprehensam, insimul cum adultero occidere.*

2 *Pater filiusfamilias cùm sit in alterius potestate, filiam quæ in aui paterni potestate existit, in adulterio deprehensam occidere non potest, de iuris rigore; quod tamen postea temperatum fuit, vt illi quoque occidendi licentia detur.*

3 *Pater adoptiuus si filiam adoptiuam in potestate habeat, iuxta distinctiones à Iustiniano relatas, in adulterio deprehensam in locis, de quibus suprà, cum adultero poterit occidere.*

4 *Domus accipitur pro domicilio patris, seu mariti, & extenditur ad domum patris, licèt in ea non habitet.*

5 *Licentia à lege datur patri, seu marito occidendi filiam domi suæ in adulterio deprehensam ad vindicandam maiorem iniuriam, quòd causa fuerit filia adulterum admittere in domum patris.*

6 *Secundum ergo requisitum pro exercenda licentia patri à lege data occidendi filiam, est dummodo eam domi suæ, vel in domo generi in adulterio deprehenderit.*

7 *Licentia à lege patri data occidendi filiamfamilias sub sua potestate positam in adulterio deprehensam, fluxit ex eo quòd per legem duodecim Tabularum parentes haberent in filios, quos in potestate habebant ius vitæ necisque.*

8 *Tertium requisitum est, vt sibi liceat occidere si filiam in ipsa adulterij turpitudine, quod Græcè dicitur ἐν ἔργῳ, deprehenderit.*

9 *Quartum requisitum est, quòd vtrumque, scilicet filiam, & adulterum vno ictu, & impetu occidat, æqualiter vindictam de vtroque sumens.*

10 *Præterea vtrumque simul, & incontinenti occidere debet, diciturque simul & incontinenti vtrumque occidisse, si dum adulterum occidit, filiam profugientem aliquot horis pòst interfecerit.*

11 Patri

11 *Patri permittitur adulterum cum filia deprehensum occidere cuiuscunque dignitatis existentem, licèt Consularem, quod tamen marito non licet.*

12 *Ea ratione diuersum statuitur in patre, quàm in marito.*

13 *Pater filiæ adulteræ Consulem cum filia deprehensum occidere non potest, item nec eum dum Magistratu fungitur accusare.*

14 *Maritus potest adulterum cum vxore sua deprehensum occidere, si vilis sit conditionis, & tria concurrant.*

15 *Marito non licet vxorem etiam domi suæ in adulterio deprehensam occidere.*

16 *Quartum requisitum est, vt qui adulterum occidit, relicta vxore, si sibi impunè id esse velit, statim teneatur vxorem dimittere, & in triduo proximo profiteri apud eum, cuius est iurisdictio, locum in quo, & quem occiderit.*

17 *Pater & maritus concurrentibus requisitis quibus suprà, impunè in adulterio deprehensos interficiunt, & eximuntur ab omni pœna, qua per leges sæculares contra homicidas statuitur.*

18 *Aestimatio serui in adulterio occisi ne quidem ciuiliter actione legis Aquiliæ domino præstanda est per occisorem.*

19 *Impunitas datur patri & marito requisitis, de quibus suprà, concurrentibus filiam & adulteros respectiuè occidentibus, ex præscripto legum sæcularium, quæ id permittunt, quo possint iniuriam sibi illatam vindicare sine pœnæ incursione.*

20 *Hac licentia interficiendi in adulterio deprehensos patri, datur ad vindicandum proprium honorem, qui vitæ præfertur.*

21 *Maiorem censet legislator iniuriam dum in domum patris, seu mariti adulter admittitur.*

22 *Domus sua cuique debet esse tutissimum refugium pro bonorum vita & honoris conseruatione.*

23 *Lex permissiua occidendi adulteros proptereà in certis tantùm casibus toleratur.*

24 *Maritus & pater adulterum occidentes, secundùm legem sæcularem permissiuam, peccatum mortale, illiusque pœnam in alio sæculo incurrunt, nisi ab eo per confessionem sacramentalem*

talem liberentur, ex communi Canonistarum sententia.

25 *Pater modum à lege Iulia præscriptum excedens, quia fortè adulterum occiderit, filiam autem dimiserit, tenetur quidem lege Cornelia* de sicariis, *sed non subiicitur pœna mortis naturalis, quæ ordinaria est, sed leuiori pœna afficiendus erit.*

26 *Maritus modum à dicta lege præscriptum excedens, fortè vxorem deprehensam cum adultero interficiendo, mitiori pœna punitur.*

27 *Maritus si occiderit adulterum honestæ conditionis, quem tamen occidere non poterat, mitiùs punietur, & sic exilio mulctabitur.*

28 *Qui aggressorem ad sui defensam occiderit, modum inculpatæ tutelæ excedendo non punitur pœna ordinaria legis Corneliæ* de sicariis, *sed mitiori.*

29 *In statu Ecclesiastico, signanter Auenioni, & in Comitatu Venaisino, iudices possunt ex causis iam dictis lenire pœnam vltimi supplicij, & in exilium, siue perpetuum, siue ad tempus vertere.*

30 *Iudices inferiores & priorum instantiarum in Gallia non possunt pœnam lenire, sed tantùm supremæ Curiæ; priùs tamen impetratis litteris gratiæ in Cancellaria cuiuslibet Prouinciæ, quibus legitimis causis cessantibus ad ipsum Regem recurrendum erit.*

31 *Pater & maritus possunt adulterum in adulterio deprehensum, siue domi, siue alibi, si occidere nolint, aut non poßint retinere per viginti horas diurnas & nocturnas continuas testandæ eius rei gratia vicino vocando.*

32 *Acclamatio & vicinorum vocatio criminis alicuius admissi, inducit probationem per dicta & depositiones dictorum vicinorum.*

33 *Adulter retentus semel remissus reduci non potest, nisi forsan euasisset.*

34 *Pater & maritus si nolint quod apud Deum tutius est, aut non poßint occidere, multo magis poterunt in adulterio deprehensos iniuria afficere.*

35 *Pater & maritus debent per seipsos talem vindictam exequi, non aliis committere.*

36 *Pater*

36 *Pater & maritus possunt secum habere, qui eos comitentur, & associent ad id exequendum, nec minus per seipsos dicuntur exequi licentiam sibi à lege datam, licèt comites & qui eos associent habeant.*

37 *Pater, vel maritus Clericum in Sacris constitutum in adulterio deprehensum occidens, vel iniuriâ afficiens, non incurrit pœnam excommunicationis maioris.*

ALia est pœna contra adulteros dum dicta lege Iulia. *cap.* 2. eiusdem legis ex Cuiac. *lib.* 21. *cap.* 18. permittitur patri † filiam sub eius patria potestate positam in adulterio deprehensam domi suæ, vel in domo generi insimul cum adultero occidere. *l. patri. ff. eod.* vnde *in fine d. l.* excludit patrem † filiumfam. qui cùm sit in alterius potestate, filiam sub sua potestate non habet, quæ in aui potestate existit; quod tamen ex Licinio Ruffino temperatum fuisse Cuiac. testatur *lib.* 21. *obseru. cap.* 8. vt patri quoque filiofam. permitti debeat vt filiam in adulterio deprehensam occidere possit, quæ occidendi licentia † datur etiam patri adoptiuo. *l. neque ea lege. ff. eod.* si tamen filiam in potestate habeat iuxta distinctiones à Iustin. relatas *in l. penult. C. de adopt.* Domum accipit† pro domicilio patris, seu mariti. *d. l. nec in ea lege. §. ius occidendi*, quod extenditur ad domum patris, licèt in ea non habitet. *l. quod ait lex. §. sed si pater. ff. eod.* ea ratione, † quia maiorem iniuriam legislator putauerit quòd ausa fuerit filia adulterum admittere in domum patris, seu mariti. *d. l. quod dicta lex: §. quare non vbicunque.* Et hoc est secundum † requisitum. Et inde fluxit † ea licentia occidendi filiam patri per legem data, quòd parentes haberent olim ius vitæ necisque in filios, seu liberos, quos in potestate habeant, vt in legibus XII. Tabularum sub tit. *de iure priuato. cap.* 1. cum *ibi* notat. Idque ita demum † patri permittitur, si filiam in ipsa turpitudine adulterij deprehenderit. *d. l. quod ait lex, in princ.* id est, in ipso actu, seu opere, quod Græcè dicitur ἐν ἔργῳ. Requiritur etiam † quòd vtrunque, scilicet filiam, & adulterum vno ictu & impetu occidat æquali vindicta aduersùs vtrumque simul & incontinenti, † debet vtrunque occidere, licèt dum adulterum oc-

Margin numbers: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

cidit filiam profugientem aliquot horis, pòst interfecerit.
11. *d.l. quod ait lex.* §. *fin.* Permittiturque † patri occidere adulterum cuiuscunque dignitatis cum filia deprehensum, licèt Consularem. *d.l. nec in ea lege.* §. *fin.* quod tamen maritus non
12. potest, quia pater † consilium pro liberis capit, maritique calor, seu impetus facilè decernentis fuit refrænandus; non ta-
13. men Consulem † si à patre fuerit deprehensus, occidere poterit, quia neque eum dum Magistratu fungitur, accusare possit. *l. marito.* § *fin. ff. eod.*

14. Marito autem permittitur † eadem lege Iulia adulterum cum eius vxore domi suæ in adulterio deprehensum occidere, dummodo sit vilis, & abiectæ conditionis, puta infamis, quales sunt hi qui enumerantur *in d.l. marito*, vel aliàs libertus mariti, vxorisve eius, patris, matris, filij, filiæ, vtriúsve eorum, siue cuiúsve eorum, siue cum alio communis sit, quod multo magis obtinebit si seruus fuerit. Tria itaque requiruntur quòd maritus domi suæ non alibi adulterum deprehenderit, ita vt neque possit occidere in domo eius soceri deprehensum. *d.l marito* 42. quod in ipsa turpitudine, i.e. in ipso Veneris opere tunc deprehenderit. *dict. l. quod ait lex, in princ.* Tertiò quod adulter deprehensus sit vilis conditionis, vt suprà dictum est, vxorem autem
15. † licèt domi suæ in adulterio deprehensam, marito non licet occidere, quia eius facilè decernentis calor & impetus fuerit refrænandus. *d.l. nec in ea lege.* §. *fin.* Quartum requisi-
16. tum † ex Cuiac. *d. lib. obser.* 21. *cap.* 18. addi poterat ex eodem Paulo de adulteriis, vt nimirum per maritum sic occiso adultero si impunè id sibi maritus esse velit, teneatur statim vxorem dimittere, & in triduo proximo profiteri apud eum cuius est iurisdictio, locum in quo, & quem occiderit.

Concurrentibus itaque requisitis, de quibus suprà tam
17. pater, † quàm maritus licitè & impunè in adulterio deprehensos interficiunt, & eximuntur ab omni pœna quæ per leges sæculares contra homicidas statuitur, vt de patre legitur *in l. nihil interest. ff. eod. tit.* & de marito *in l. Grac-*
18. *chus. C. eod.* ita vt neque † ciuiliter teneatur ad serui in adulterio occisi æstimationem domino præstandam actione

legis

legis Aquiliæ. *l. qui occidit. ff. ad l. Aquil.* quod quidem verum est † ex præscripto legum sæcularium, quæ id permittunt 19.
in certis tantummodo casibus, quo possint iniuriam sibi illatam propria autoritate vindicare, sine pœnæ incursione, vt *in l. 1. & 2. C. quando licet vnicuique se sine iudic. vindicare. l. 3. cum simili. ff. de instit. & iur.* tendátque hæc licentia † in 20.
adulterio deprehensos interficiendi ad vindicandum proprium honorem, qui vitæ præfertur. *l. isti quidem. ff. de eo quod met. caus. l. 1. §. diuus. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* maioremque † iniuriam censeat legislator dum in domum patris, seu 21.
mariti admittitur. *d. l. quod ait lex. §. non vbicumque.* Et cuique domus † debeat esse tutissimum refugium pro bonorum, 22.
vitæ & honoris conseruatione. *l. plerique. ff. de in ius vocan.* cum *ibi* notat. vnde non mirum si tot iustis de causis à pœna seculari eximantur, quæ lex permissiua † in certis tantummodo casibus propterea toleratur, licèt ea permissione 23.
† legis vtentes peccatum mortale incurrant, illiusque pœnam in alio sæculo nisi ab ea per sacramentalem confessionem liberentur, per gloss. primam *in can. inter hæc 33. quæst. 2.* quæ singularis est, & communiter à Canonistis approbatur, teste Gom. *in l. 76. Taur. numer. 15. & in dict. l. 80. num. 52.* 24.

Si verò pater modum † à lege Iulia præscriptum excesserit, quia fortè adulterum occiderit, filiam autem dimiserit, tenebitur quidem lege Cornelia de sicariis, *d. l. nihil interest,* non tamen pœnæ mortis naturalis, quæ ordinaria est, subiicietur, sed leuiùs puniendus erit, vt in marito † modum excedente fortè vxorem deprehensam interficiendo nominatim deciditur *in l. 38. §. Imperatores. ff. eod. tit.* quia difficillimum sit iustum dolorem temperare, & quia plus fecerit, quàm quòd se vindicare non debuerit: vnde mariti humiliores in opus publicum, vel in exilium perpetuum damnantur, honestiores in insulam relegantur, etiam ad tempus. *l. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornel. de sicar. l. 3. §. si tamen. ff. ad senatusc. Syllan.* facit text *in d. l. Gracchus. §. vlt.* quæ accipienda † de adultero honestæ conditionis occiso, quem tamen marito occidere non licet. *d. l. marito*, & propterea exilio mulctandum fore deciditur. Idemque videmus esse con- 25. 26. 27.

28. stitutum in eo † qui aggressorem ad sui defensam excedendo modum tutelæ inculpatæ, ex notat. *in d. l. 3. ff. de iustit. & iur.* Et hæc communia sunt tam patri, quàm marito.

29. Aduertendum tamen quòd † in statu Ecclesiastico, etiam in hac patria, & passim per totam Italiam, iudices ex causis iam dictis possunt per se ordinariam pœnam vltimi supplicij lenire, & in exilium siue perpetuum, siue ad tempus vertere. *d. l. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* cum aliis iuribus
30. in id præallegatis. In Gallia verò † id iudices inferiores & priorum instantiarum non possunt, sed supremæ tantùm Curiæ, priùs tamen impetratis litteris gratiæ in Cancellaria cuiuslibet Prouinciæ, aliàs namque iustis illis causis cessantibus, ad ipsummet Regem recurrendum erit.

31. Communia quoque sunt patri, & marito, † vt cuilibet ipsorum liceat, si nolint, aut non possint occidere adulterum deprehensum, siue domi suæ, siue alibi, eum retinere valeant per viginti horas diurnas, & nocturnas continuas,
32. testandæ eius rei gratia vicinos vocando, qui testes † futuri sint accusatori, tum in adulterio deprehensum fuisse, quod capite quinto legis Iuliæ inductum fuisse, testatur Vlp.
33. *in l. capite 5. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Sed semel † remissus reduci non potest, nisi forsan euasisset. Illud quoque vtrique
34. commune est quòd multo magis † in adulterio deprehensos possunt iniuria afficere, si nolint, quod apud Deum tutius est, aut non possint occidere. *d. l. nec in ea lege. §. sed qui occidere*, puta naribus exsectis, vt legitur *in l. 37.* per Gothofredum, ex Harmenop. *lib. 6. cap. 24.* posita post *l. fin. C. eod.* quæ fuit Nouell. Leonis 32. vt refert Balsam. *in Trullo.*
35. *can. 87.* Quartò commune etiam est quòd per seipsos † debeant talem vindictam exequi, non aliis committere, licèt
36. qui † eos comitentur & associent, ad id exequendum secum habere possint. *d. l. Gracchus, in sui prima parte.* Denique
37. si Clericum † in Sacris existentem sic deprehensum occiderint, vel iniuria affecerint, non incurrunt pœnam excommunicationis maioris, de qua *in can. si quis suadente diabolo 17. q. 4.* sed ab ea eximuntur. *c. 3. §. nec ille, de sentent. excommunicat.*

CAP.

CAPVT IV.

De pœnis adulterij in iudicio ciuiliter instituto pro interesse partis ciuiliter agentis.

SVMMARIVM.

1 Matrimonium olim inter virum & uxorem diuortio secuto dirimebatur.

2 Quandoque matrimonium bona gratia mutuo vtriusque consensu dirimebatur; quod tamen Iustinianus Nouell. 117. fieri vetuit, nisi certis tantummodo causis.

3 Ob impotentiam coëundi veritate comperta ex aspectu corporis obstetricum & aliorum in arte peritorum relatione, etiam attento iure Pontificio mutuo consensu & bona gratia matrimonium dirimitur, non expectato biennio, seu triennio per Iustinianum dicta Nouell. 117. requisito.

4 Matrimonium ob impotentiam coëundi non tam dirimitur, quàm nulliter contractum declaratur, & sic partes in pristinum reponuntur statum.

5 Matrimonium item dirimitur cum bona gratia ob Monachismum alterius coniugum.

6 Monachismus contingens in persona alterius coniugum iure ciuili aequiparatur casui mortis, quo superstes in saeculo eadem lucra consequeretur, ac si religionem professus è vita excessisset.

7 De iure Canonico per ingressum religionis alterutrius coniugum dirimuntur sponsalia, siue sint contracta per verba de praesenti, siue de futuro, modò non secuta fuerit copula, ita vt alter in saeculo manens possit cum alia persona liberè matrimonium contrahere.

8 Si alter coniugum ad sacros Ordines promotus fuerit, non ex eo matrimonium semel legitimè contractum dirimitur.

9 Ita demum dirimitur, si alteruter coniugum religionem à Sede Apostolica approbatam professus tria vota emiserit expressè, vel tacitè.

10 *Ea iuris Canonici constitutio, vt per ingressum religionis matrimonium simpliciter contractum, sine copula dirimatur, introducta fuit exemplo Beati Ioannis Euangelistæ, qui post contractas nuptias in Cana Galilææ, authore Christo, vxore dimissa, virginitatem seruando, vitam Apostolicam tria illa vota in se continentem professus fuit.*

11 *Item ea iuris Pontificij decisio alia ratione fulcitur quòd alter coniugum Religionem sic profitendo tradiderit se prius Monasterio, quàm coniugi, cùm in matrimonio traditio fiat per consummationem.*

12 *Matrimonium semel consummatum inter Christi fideles quod dicitur ratum, quia semel ratificatum per fidei sacramentum, semper durat, quamdiu coniuges in humanis degunt.*

13 *Post consummatum matrimonium alteri coniugum non licet ingredi religionem, nisi altero consentiente, & religionem etiam ingrediente, aut continentiam vouente, qui in sæculo manere potest.*

14 *Post consummatum matrimonium alter coniugum religionem ingressus de monasterio reuocatur, & coniugi non consentienti restituitur.*

15 *Per copulam maritus & vxor vna & eadem caro efficiuntur.*

16 *Post consummatum matrimonium si alter coniugum in hæresim lapsus fuerit, non dissoluitur fœdus matrimonij, sed tantùm quoad thorum separantur.*

17 *Coniuge ad fidem reuerso qui post consummatum matrimonium lapsus fuerat in infidelitatem, alter eo inuito religionem ingredi poterit, vt permissum est inter sponsas, etiam per verba de præsenti ante copulam subsecutam.*

18 *Matrimonium inter infideles contractum & consummatum dicitur verum, non tamen ratum.*

19 *Vnus coniugum infidelium ad fidem Christi conuersus, poterit cum altera persona liberè matrimonium contrahere, si alter maneat infidelis, & irrequisitus cohabitare recuset, vel nolente cohabitare id fieri non possit sine scandalo & horrore nomi fidelis, vel ad peccandum ex ea cohabitatione induceretur.*

20 *Libellus repudij per alterutrum ex coniugibus alteri etiam no-*

lenti

lenti missus non omni casu matrimonium dirimebat.

21 *Libellus repudij concipiebatur apud Romanos vt plurimum per hac verba: Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito, & dabatur adhibitis septem ciuibus Romanis puberibus præter libertum eius, qui diuortium faciebat.*

22 *Hebræis licebat, certis tamen de causis, inter coniuges diuertere, & libellum repudij mittere.*

23 *Iure ciuili, præsertim inspecto iure Codicis, & Nouellarum, certis tantùm de causis permissum erat inter coniuges diuortium facere.*

24 *Causæ propter quas permissum est diuortium facere, ad duas potissimum reducuntur.*

25 *De iure ciuili vxori non datur accusatio contra maritum ex capite adulterij.*

26 *Vxori competit ius agendi ciuiliter contra maritum, quatenus vxorem alterius adulterauerit.*

27 *Vxori neque ius agendi ciuiliter competit contra maritum, si eum solutã rem habuerit, præterquam si bis monitus à publica conuersatione dictarum mulierum vidente & inspiciente vxore, siue intra domum propriam, siue extra desistere noluerit.*



HActenus satis superque dictum fuit de pœnis ad vindictam publicam ab omni iure constitutis contra adulteros. Nunc de pœnis quæ imponuntur in iudicio ea de causa ciuiliter instituto pro interesse partis ciuiliter, non autem criminaliter agentis, iuxta text. *in l. fin. ff. de priuat. delict.* Et sic non extra ordinem, sed iudicio ordinario causam suam prosequentis. Iure itaque † ciuili inter maritum & 1. vxorem diuortio secuto dirimebatur matrimonium, quandoque bonâ gratiâ, † mutuo consensu vtriusque coniugis 2. interueniente. *l. vitricus. §. 1. cum duabus seqq. ff. de donat. inter vir. & vxor.* quod Iustinian. *Nouell.* 117. fieri vetuit, nisi certis tantummodo de causis, & inter alias etiam ea viget † hodie, 3. de qua *in l. in causis, & in Authent. sed hodie. C. de repud.* quæ confirmatur iure Pontificio, etiam non expectato biennio, seu triennio, per Iustin. *vbi suprà proximè* requisito *cap. v.* &

passim

passim *totâ tit. de frig. & malefic.* ex impotentia coëundi, nimirum rei veritate comperta ex aspectu corporis, & habita relatione per obstetrices, & alios in arte peritos. *d. cap.* 1.
4. cùm *ibi* notat. quo casu † non tam dirimitur, quàm nulliter fuisse contractum declaratur matrimonium, & sic partes in pristinum reponuntur statum, ex notat. per Canoni-
5. stas *in dict. cap.* 1. Secunda causa † dirimendi matrimonium cum bona gratia, erat Monachismus alterutrius coniugum. *l. Deo nobis. §. nam & maritis. C. de Episcop. & Cler. Nouell. 5. Nouella 22. Nouell. 117. & Nouell. 123.* vbi casus Mona-
6. chismi † contingens in persona alterutrius coniugûm æquiparatur casui mortis, quo superstes in sæculo eadem lucra consequeretur, ac si è vitâ excessisset religionem professus.
7. Quod de iure Canonico † procedit, dirimuntur namque sponsalia, siue sint contracta per verba de futuro, siue per verba de præsenti, non secutâ tamen copulâ per religionis ingressum alterutrius coniugum, ita vt alter in sæculo manens possit cum alia persona liberè matrimonium contrahere. *cap. commissum, cum ibi notat. de sponsal. & matrim.* & quamuis ex *cap. vnic. de vot. & vot. redempt. lib. 6.* quidam in-
8. ferre voluerint, † idem iuris esse, nimirum ex illis verbis per susceptionem sacri Ordinis, si ad sacros Ordines alter coniugum fuerit promotus; tamen contrarium fuit determinatum per Ioannem XXII. *in Extrauag. Antiqua altercatione, de vot.* scilicet votum non censeri solemne, & efficax ad dirimendum matrimonium sic contractum, nisi quate-
9. nus † religionem à Sede Apostolica approbatam professus tria emiserit vota, expressè, vel tacitè, obedientiæ paupertatis & castitatis, quæ non interueniunt in susceptione
10. sacrorum Ordinum. Quod sic † introductum exemplo B. Ioannis Euangelistæ, qui post contractas nuptias in Cana Galilææ, autore Christo, vxore dimissâ virginitatem seruando vitam Apostolicam professus fuit, tria illa in se con-
11. tinentem. Affertur quoque alia ratio, † quòd nimirum tradiderit se prius monasterio, quàm vxori, cùm in matrimonio traditio & consummatio fiat per copulam subsecutam. *cap. 2. cum ibi notat. de conuers. coniugat.*
12. Verum est post matrimonium † semel consummatum

per

per copulam subsecutam inter Christi fideles, quod dicitur ratum, *cap. quanto. §. nam & si, de diuort.* quia semel ratificatum per fidei sacramentum semper duret quandiu coniuges in humanis degunt, iuxta illud Euangelij, *Quos Deus coniunxit, homo non separet*; Matth cap. 19. *& can. quos Deus* 33. *q.* 2. *cap. inter corporalia, de transl at. Episcopi.* non licebit† alteri coniugum religionem ingredi & profiteri, nisi altero consentiente, & religionem pariter ingrediente, aut continentiam vouente, qui in sæculo manere possit, si senex sit, vel aliàs sine suspicione incontinentiæ. *cap.* 1. *cap cùm his, de conuers. coniugat.* Aliàs † namque religionem ingressus de monasterio reuocaretur, & coniugi non consentienti restitueretur. *d. cap.* 1 *in fin.* ea ratione, quia † per copulam vna & eadem caro sint effecti, nec vna pars possit ad Deum conuerti, altera in sæculo remanente. *cap ad Apostolicam, eod. tit.* Adeò vt † si alter coniugum in hæresim, vel infidelitatem lapsus fuerit, non dissoluatur fœdus matrimonij, sed tantùm quoad thorum separentur, & eo † ad fidem reuerso, possit alter religionẽ ingredi eo inuito. *c. fin. eod. tit.* quod licere diximus inter sponsos per verba de præsenti. *cap. verum, eod. tit.* Sed si inter† infideles contractum fuisset matrimonium, & consummatum, quod dicitur verum, non tamen ratum, si vnus † ipsorum ad fidem Christi conuersus requisito altero in infidelitate manente & cohabitare recusante, vel nolente quidem, non tamen sine scandalo & horrore noui fidelis, aut si ad peccandum ex tali cohabitatione induceretur, poterit cum altera liberè matrimonium contrahere. *cap. quanto, & cap. penult. de diuort.* Quemadmodum verò non semper & omni casu mutuo vtriusque coniugis consensu dissoluebatur matrimonium, præsertim de iure Codicis *l. consensu, in princip. de repud.* sed iustis & certis de causis, de quibus *suprà proximè*, ita libello † repudij per alterutrum ex coniugibus alteri misso etiam volenti, matrimonium non omni casu dirimebatur, vt olim. *l.* 2. *§.* 1. *ff. de diuort.* vbi verba referuntur, quibus libellus † repudij concipiebatur apud Romanos, nimirum, *Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito*; adhibitis tamen septem testibus ciuibus Romanis puberibus, præter libertum eius, qui diuortium

13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.

N n faciebat,

22. faciebat, quod etiam Hebræis licebat, † certis tamen de causis, *Deuteron. cap.* 24. *in princ.* cum *ibi* notat. Sed certis
23. tantummodo † de causis, vt statuitur per Theodoſ. *in dict. l.consensu.* §. *ſi qua igitur.* vbi de causis propter quas id marito permiſſum eſt, quæ cum aliis à Iuſtiniano relatis *in l.iubemus, C.eod.tit.* confirmantur per eundem Iuſtinianum *in Nouell.* 22. *cap.* 15. aliàs §. *cætera, Nouel.* 117. *cap.* 8. *&* 9. aliàs §. *quia verò plurimas, &* §. *cauſas autem, & Nouel.* 134. *c.* 11. §. *quia verò,* vbi de pœnis repudiantium ſine aliqua ex cauſis per dictas
24. conſtitutiones definitis; eæ verò omnes† cauſæ ad duas potiſſimum reducuntur, nimirum ſi adulterium ab altero coniugum commiſſum fuerit, vel ad cauſam ſæuitiæ præteritæ, ſeu ob iuſtum metum inferendæ, vt ex dictis conſtitutio-
25 nibus deprehenditur. Et quamuis † iure ciuili accuſatio vxori non detur contra maritum ex capite adulterij, *l.* 1. *C.ad leg. Iul. de adulter.* ea ratione, quia in marito adulterante non interſit confuſio ſanguinis, prout in vxore, quamuis
26. vxori † competat agendi ciuiliter, quatenus vxorem alterius adulterauerit, vt infertur ex *d.* §. *ſi quando verò, Nouel.*
27. 134. ſecus † ſi cum ſoluta rem habuerit, quo caſu contra eum de adulterio agitur, neque ciuiliter vxor agere poteſt, præterquam ſi bis monitus à publica conuerſatione dictarum mulierum vidente & inſpiciente vxore ſiue intra domum propriam, ſiue extra deſiſtere noluerit. *d. l. conſenſu.* §. *ſi qua igitur*, in illis verbis, *vel ad contemptum, & in d. Nouel.* 22. *cap.* 15. in illis verbis, *aut ita luxurioſè viuentem, & in dict. c.* 9. *verſ. ſi quis in ſua domo, Nouell.* 117.



CAPVT V.

De actione de moribus, ſeu malæ tractationis.

SVMMARIVM.

1 *Actio de moribus dabatur olim præcipuè ad vindictam contra alterum ex coniugibus, qui per ſuos malos mores cau-*
ſam

ſam dederat diuortio.

2 *Vxor vindicta nomine ob grauiores mores in ſexta parte dotis, & ob leniores in octaua mulctabatur.*

3 *Maritus ob grauiores mores, ſcilicet adulterium, tenebatur vxori dotem, ſeu illius ſolutionem repræſentare, quæ olim ſi in mobilibus conſiſtebat, fieri debebat annua, bima, trima die, ob mores autem leniores intra ſex menſes à die diuortij computandos, dotem reſtituere cogebatur.*

4 *Maritus dotem quæ in rebus ſoli conſiſtebat, & quarum reſtitutio fiebat incontinenti ſoluto matrimonio, fructus qui per quadriennium continuum ex dictis rebus ſoli dotalibus percipi potuiſſent, vxori ſoluere tenebatur.*

5 *Conuentio de remittenda dicta mulcta ob malos mores futuros alterius coniugum, dum contrahitur matrimonium de iure reprobatur.*

6 *Publica coërcitio priuata pactione ad futuros caſus relata tolli non poteſt.*

7 *Conuentio quæ relationem habet ad mores præteritos in diuortio faciendo de iure ſuſtinetur.*

8 *Dolus futurus per priuatorum pactiones remitti non poteſt.*

9 *Actio de moribus non datur hæredi, nec contra hæredem.*

10 *Victus ciuiliter in iudicio de moribus, non poteſt agere criminaliter ea de cauſa.*

11 *Iniuriarum actio ciuiliter ad mulctam pecuniariam pro vindicta intentata criminalem, & è conuerſo, criminalis ciuilem abſorbet.*

12 *Duplex pœna pro vno eodemque delicto imponi non poteſt, quod nominatim in crimine adulterij obtinet.*

13 *In actione de moribus ciuiliter intentata paria delicta inter coniuges mutua compenſatione tolluntur.*

14 *Lenocinij allegatio contra maritum facta ab vxore criminaliter per maritum de adulterio accuſata, eam à reatu non eximit, ſed vterque ſua pœna venit puniendus.*

15 *Actio de moribus prout & retentiones quæ ob mores, res amotas & his ſimiles cauſas olim vſurpabantur, omnino abolitæ fuerunt per Iuſtinian.*

16 *Iudicium de moribus hodie inutile manet, cùm certæ ſint cauſæ ſtabilitæ, ob quas tantummodo repudiare licet, ex quarum*

probatione apparet cuius culpa repudium factum fuerit.

17 *In locum actionis de moribus successit hodie actio ciuilis, qua maritus, vel uxor signanter inspecto iure Pontificio agit ex causa adulterij, vel sæuitiæ ad separationem thori iudicio Ecclesiæ faciendam.*

18 *Maritus diuertens ab uxore culpa uxoris, lucratur dotem liberis quoad proprietatem reseruandam, & consequitur lucra nuptialia, non expectata morte.*

19 *Vxor si culpa viri fiat separatio, statim consequitur dotem cum lucris nuptialibus.*

20 *Vxor indotata à marito separata, si culpa sua separatio fiat, tenetur quartam partem bonorum suorum loco dotis tradere marito.*

21 *Maritus si culpa sua fiat separatio, tenetur uxori indotatæ tradere quartam partem bonorum suorum loco dotis.*

22 *Separatio quoad thorum fieri dicitur, quia matrimonium inter Christi fideles semel consummatum indissolubile manet.*

23 *De iure Pontificio vir & uxor ad imparia non iudicantur, sed æquè uxor virum atque vir uxorem de adulterio saltem ciuiliter impetere potest.*

24 *Actio ciuiliter intentata ad separationem thori subrogata in locum iudicij de moribus, non datur hæredi, nec in hæredem, & qui semel egerit iudicio ciuili, non poterit intentare criminale, & è conuerso.*

25 *Maritus uxorem in adulterio repertam occidens, authoritate propria lucra dotis prætendere non potest.*

26 *De iure Canonico non magis licèt viro impunè adulterare, quàm uxori.*

27 *In iudicio ciuiliter intentato ex adulterij causa ad separationem thori paria delicta utriusque coniugis mutua compensatione tolluntur.*

1. CTIO de moribus diuortio facto olim proponebatur ad vindictam, præcipuè contra alterum ex coniugibus qui per suos malos mores causam dederat diuortio. *l. 5. & l. 10. ff. de pact. dotalib.* li-
2. cèt nomine vindictæ uxor † in sexta parte dotis ob grauiores mores, & in octaua ob leniores, mulctaretur: maritus

maritus † autem ob mores grauiores, scilicet adulterium 3.
ad repræsentandam dotem; seu illius solutionem, quæ fieri debebat, annua, bima, trima die, si in mobilibus consistebat; hodie verò intra annum. *l. vnic.* §. *exactio. C. de rei. vxor. actio.* ob mores autem leniores intra sex menses à die diuortij computandos: sin autem in immobilibus † quæ sta- 4.
tim restituuntur, *d. §. exactio*, fructus eorum qui per quadriennium continuum ex dictis bonis immobilibus percipi potuissent, vxori soluerentur, vt disertè tradit Vlp. *in fragment. t. t. de dot. §. retentiones. §. morum. §. mariti*, vnde ea de causa quandoque denominatur accusatio. *l. viro. l. cùm mulier. ff. solut. matrim.* & inde fit † vt dum contrahitur matri- 5.
monium, reprobetur conuentio, eo quòd † per eam publica 6.
coërcitio priuata pactione tolleretur. *l. 5. ff. de pact. dotalib.* licèt in diuortio † faciendo talis conuentio, quæ refertur 7.
ad mores præteritos, admittatur. *l. 10. eod. tit.* & simili † casu 8.
pactio reprobatur, de qua *in l. si vnus. §. aliud. §. pacta ff. de pact.* inde etiam consequens erat, † vt ea actio neque daretur hæ- 9.
redi, neque in hæredem. *l. rei iudicata. §. 1. ff. solut. matrim. l. 1. C. Theodos. de dot.* Et victus † ciuiliter in hoc iudicio non pos- 10.
sit criminaliter ea de causa agere. *l. 1. C. Theodos. victum ciuiliter, criminaliter agere posse*, vbi casus iste excipitur.

Exemplo nimirum actionis iniuriarum quæ † ciuiliter in- 11.
tentata dum pro vindicta agitur ad mulctam pecuniariam, absorbet criminalem. *l. 6 ff de iniur.* & è conuerso criminalis ciuilem absorbet, ne pro vno eodemque delicto duplex pœna imponatur, quod in crimine adulterij ita nominatim decidit *l. miles. §. si socer. ff. de adulter.* Infertur denique ex præmissis † in hac actione ciuili paria delicta mutua compen- 12.
satione dissolui *d. l. viro, in fin.* secus dicendum † in accusatio- 13.
ne adulterij, dum quis ea ratione reus efficitur publico iuditio, puta vxor quæ opponit de lenocinio † mariti eam 14.
accusantis: talis namque allegatio eam non eximit à reatu, licèt maritum oneret pœna lenocinij puniendum. *l. 2. § si publico. l. si vxor. §. iudex. ff. ad leg. Iul. de adulter.* hæc itaque actio † de moribus per Iustin. *in d. l. iubemus. §. iudicio. C. de* 15.
repud. prout & retentiones, quæ ob mores, res amotas, & his similes causas olim vsurpabantur, omnino abolitæ fue-

16. runt *d.l.vn.§.taceat.C.de rei vxor.actio.* quia cùm certæ † sint stabilitæ causæ, ob quas tantummodo repudiare licet, *d.l.consensu, d.l.iubemus*, cum aliis iuribus in id præallegatis, inutile manet iudicium de moribus, cùm ex ea probatione appareat cuius culpa repudium factum fuerit: in illius itaque
17. actionis † de moribus locũ successit actio ciuilis, qua maritus, vel vxor hodie agit, signanter inspecto iure Pōtificio ex causa adulterij, vel sæuitiæ ad separationẽ thori Ecclesiæ iudicio
18. faciendam, vt inde maritus † lucretur dotem reseruandam liberis quoad proprietatem. *§. quia verò, Nouel. 117.* & lucra nuptialia consequatur non expectata vxoris morte. *cap.*
19. *plerumque, de donat. inter vir. & vxor.* Vxor verò † si culpa viri fiat separatio, consequitur dotem cum lucris nuptialibus, ex notat. per *gloss. primam, vt lite non contestat.* vbi text. formalis de separatione thori. Adde text. *in d. Nouell. 22.*
20. *cap. 15.* vbi si mulier † sit indotata, si culpa vxoris sit separatio, tenetur quartam partem bonorum suorum marito loco
21. dotis tradere. Et vice versa, † maritus quartam partem bonorum suorum, iuxta text. *in Auth. præterea. C. vnde vir &*
22. *vxor.* & dicitur † hæc separatio fieri quoad thorum, quia matrimonium inter Christi fideles consummatum indissolubile manet. *cap. hi qui*, cum simili, *32. q. 7.* Et de iure
23. Pontificio † vir & vxor ad imparia non iudicantur, sed æquè vxor virum perinde, atque vir vxorem, de adulterio
24. saltem ciuiliter impetere possit. Et similis actio † subrogata in locum iudicij de moribus similiter non datur hæredi, nec in hæredem, & qui egerit iudicio ciuili, non poterit
25. criminale intentare, & è conuerso, vnde qui vxorem † propria autoritate interfecit, non potest lucrum dotis prætendere. *l. ab hostibus. §. 1. ff. solut. matr.* quem in id refert Gomes. *vbi suprà in l. 80. Taur. num. 63.* qui propterea non priuatur successione filiorum, ex Gomes. *vbi suprà n. 64.* Deni-
26. que in hoc iudicio cùm non magis † liceat de iure Canon. viro impunè adulterare, quàm vxori, dum vterque conuin-
27. citur † adulterium commisisse, hæc delicta mutua compensatione tolluntur. *cap. intelleximus*, præsertim *circa fin. de adulteriis.*

CAP.

CAPVT VI.

Accusatio criminalis quibus modis terminetur, & finem capiat.

SVMMARIVM.

1 *Accusatio criminaliter semel instituta finem accipit per sententiam, aut per causæ desertionem.*

2 *Accusator reo legitimè per sententiam damnato eximitur ab omni pœna, & expensarum victoriam reportare debet vltra pœnas legitimas, in quibus reus damnatur, imò si suam suorumque iniuriam persequatur, certam summam nomine damnorum & interesse consequitur.*

3 *Si reus purè & simpliciter absoluitur, & iudex declarauerit accusatorem calumniatum fuisse, accusator damnatur in expensis, & ad damna partis læsæ, & præterea subit pœnas quæ calumniatoribus à legibus infliguntur.*

4 *Iudex dum deprehendit reum fore absoluendum, quærere incipit de consilio accusatoris.*

5 *Accusator à pœna calumniæ eximitur, si iudex reum absoluendo dixerit reum non probasse.*

6 *Hodie loco similium verborum passim vsurpatur clausula,* Alio non apparente, *vel*, rebus sic stantibus.

7 *Reus absolutus cum clausula*, Alio non apparente, *&*, rebus sic stantibus, *condemnatur in expensis de consuetudine, & superuenientibus nouis iudiciis contra eum iterum procedi potest.*

8 *Reus in dubio præsumitur absolutus ex capite innocentiæ, si ea clausula apposita non fuerit, ex communi interpretum opinione, & sic contra eum iterum procedi non potest, etiam nouis superuenientibus indiciis.*

9 *Reus per accusatoris præuaricationem absolutus iterum de eo crimine impeti, & accusari potest.*

10 *Accusator præuaricans translatitiè accusandi munere defungitur, proprias & veras probationes per collusionem dissimulat,*

falsas

falsas verò rei excusationes simulanter admittit.

11 *Accusator à iudice de temeritate notatus, dum reum absoluit, eximitur à pœna calumniæ, sed damnum & litis impensas aduersario suo cogitur inferre.*



Nitio huius tractatus visum fuit quónam ordine hæc iudicia criminalia instituerentur, demum proposita diuisione, quæ huc vsque cum suis subdiuisionibus plena manu explicata fuit, nunc videndum sequitur, quibusnam modis terminentur, & finem accipiant, vt deinde seriatim videamus, & in specie de quibusdam grauioribus criminibus, nimirum de crimine læsæ Maiestatis, homicidij, & falsitatis, postquàm de adulterio satis superque in superioribus è re nata dictum fuit.

1. Accusatio autem semel instituta † finem accipit quandoque per sententiam, quandoque per causæ desertionem, &
2. reo legitimè † per sententiã condemnato accusator ab omni pœna omnino eximitur, imò saltem expensarũ victoriam reportare debet vltra pœnas legitimas in quibus damnatur, etsi sui suorumque persequatur iniuriam, præterea damnorũ & interesse nomine certam summam consequitur, ex Claro *in § fin. quæst. 10. num. 2. q. 11. n. 3. & quæst. 95. numer. 4. & 9.*
3. Aut verò reus absoluitur, † & siquidem iudex declarauerit accusatorem calumniatum fuisse, nedum in expẽsis damnatur. *l. properandum. § fin autem. C. de iud.* latè Clar. *§. fin. q. 62. num. 4.* vbi *in verf. & loquendo*, & c ampliat ad damna & interesse partis læsæ, verùm etiam pœnam subit quæ à lege calumniatoribus infligitur. *l. 1. § quorum alterutrum, verf. fin autem. ff. ad SC. Turpill.* Reo namque absoluto, dum depre-
4. hendit † eum fore absoluendum, iudex quærere incipit de accusatoris consilio. *d. l. 1. § sed non vtique.* Quòd si iudex
5. † reum absoluendo dixerit accusatorem non probasse, à pœna calumniæ eximitur. *d. § quorum alterutrum, verf. nam*
6. *siquidem*, quorum verborum loco † hodie passim vsurpatur clausula, *Alio non apparente*, &, *rebus sic stantibus*, ex Clar. *d.*
7. *§ fin. q. 57. num. 2. in fin. & q. 62. num. 2.* eo casu † reus sic absolutus de consuetudine condemnatur in expensis, & superue

superuenientibus nouis indiciis iterum contra eum proceditur, licèt Clar. *ibid. num.* 3. velit ex communi DD. opinione in† dubio eâ clausulâ non appositâ censeri reum absolutum ex capite innocentiæ, quo casu nec contra eum potest etiam nouis superuenientibus indiciis, iterum procedi. Clar. *d. q. 57. n. 3.* 8.

Certum tamen est, si reus † per accusatoris præuaricationem fuerit absolutus, iterum de eo crimine impeti & accusari posse. *d. l. 1. §. præuaricatorem. ff. ad SC. Turpil.* eo quòd †translatitiè accusandi munere defungendo per collusionem proprias probationes dissimularit; falsas verò rei excusationes admiserit: quòd si † iudex reum absoluendo accusatorem de temeritate notauerit, tunc à calumniæ pœnâ eximitur. *d. l. 1. §. quæri possit.* Sed damnum & impensas litis aduersario suo inferre cogitur *d. §. hac autem. Instit. de pœn. temer. litigant.* 9. 10. 11.

---

§. Vnic.

SVMMARIVM.

1 *Per desertionem finitur instantia criminalis, nimirum per lapsum temporis à lege constituti, intra quod terminari debet.*

2 *De iure antiquo terminari debebat instantia criminalis intra annum à die inscriptionis computandum, hodie verò intra biennium à die litis contestatæ, prout in ciuilibus datur triennium.*

3 *Hodie biennio lapso criminales, triennio verò ciuiles instantiæ de iure ciuili omnino perimuntur, secus tamen de iure Canonico, quo instantiæ perpetuæ redditæ fuerunt.*

4 *In Gallia ius ciuile exactißimè seruatur.*

5 *Desertor verè dicitur qui causam expreßè deseruerit ab accusatione desistendo, affectum & animum accusandi deponendo, præsertim si prius cum aduersario tractauerit de compositione criminis, de quo eum accusauerat.*

6 *Desertor item dicitur qui intra tempus sibi à iudice præfinitum*

accusationem suam non peregit, vel qui ad causam agendam euocatus non adfuerit, vel qui expressè ab accusatione se discedere profitetur.

7 *Desertor incurrit pœnas à lege definitas, & inter alias, vt accusationem semel omissam repetere non possit, etiam abolitione interueniente, nisi hoc facere iubeatur rescripto principali.*

8 *Quis dicatur calumniari, quis prauaricari, & quis tergiuersari remissiuè.*

1. FInitur † autem per desertionem, seu lapsum temporis à lege constituti, intra quod instantia criminalis termi-
2. nari debet, puta anni, † secundùm iura antiqua. *l. in senatusconsulto. §. qui post. ff. ad SC. Turpil. l. reus. ff. de munerib. & honor.* qui computabatur à die inscriptionis. *l. 1. C. Theodos. vt intra ann. crim. quaest. termin.* Hodie verò ex *l. fin. C. vt intr. cert. temp.* datur biennium à die litis contestatæ computandum, prout in ciuilibus datur triennium. *d. l. properandum, in*
3. *princ. vers. censemus.* quibus † temporibus respectiuè lapsis perimuntur tam criminales, quàm ciuiles instantiæ, iure ciuili inspecto, quamuis secus sit de iure Canonico. *cap. ve-*
4. *nerabilis*, cum *ibi* notat. *de iudiciis.* In Gallia † tamen ius ciuile exactissimè seruatur, siue quia causam expressè de-
5. seruerit ab accusatione † desistendo, affectum & animum accusandi deponendo. *l. ab accusatione. §. 1. ff. ad SC. Turpil. l. fin. in princ. C. eod.* puta loquendo, seu tractando cum aduersario de compositione criminis, cuius nomine eum accusa-
6. uerat. *d. l. ab accusatione, in princip.* vel qui † intra tempus à iudice sibi præfinitum accusationem suam non peregit. *d. l. ab accusatione. §. destituisse. l. 7. C. de his qui accusar. non possunt.* Vel qui ad causam agendam euocati non adfuerint. *l. 3. §. fin verò. C. eod tit.* vel qui expressè ab accusatione se discedere pro-
7. fitentur. *l. 6. C. eod. tit.* quæ desertio † pœnam suam habet, de qua *in d. l. 3. §. fin. C. ad SC. Turpil. & in d. l. 6.* necnon *in l. abolitionem. C. ad l. Iul. de adulter.* nimirum inter alias, vt accusationem semel repetere non possit. *d. l. 6. d. l. abolitionem. §. fin.* etiam interueniente abolitione. *l. 1. C. de abolitio.* nisi hoc ita
8. iubeatur rescripto principali. *d. l. 1. in fin.* Quis † autem dicatur

catur calumniari, quis præuaricari, & quis tergiuersari, habetur disertè *in d.l.1.§.1.ff.ad Turpil.*



CAPVT VII.

De abolitionibus criminum.

SVMMARIVM.

1 *Abolitio à magistratu causa cognitâ concessa, qua ab accusatione proposita desistat, excusat à pœna terginersatori & desertori imposita.*

2 *Causa abolitionis obtinendæ à magistratu sunt infrascriptæ, si per errorem, temeritatem, vel calorem ad accusandum quis processerit, si suam suorumque iniuriam prosequatur, si cognatos suos in accusationem deduxerit, miserationis gratiâ, ab accusatione recedere volens.*

3 *Abolitio accusationis obtineri debet per accusatorem à magistratu intra 30. dies à die dictæ accusationis propositæ, etiam reo non consentiente; si neque carceres, tormenta, verbera, vel catenas inter ea sustinuerit.*

4 *Si reus intra 30. dies præmissa passus fuerit, accusatori per iudicem non datur abolitio citra rei consensum, prout etiam etiamsi talia non fuerit passus per iudicem post 30. dies non datur abolitio citra ipsius rei consensum.*

5 *Accusator semper & omni casu abolitionem obtinens sumptus reo dependere cogitur, quos in eam rem & circa ipsum interim fecerit.*

6 *Abolitio non solùm specialis per iudicem causa cognitâ concessa, verùm etiam generalis, quæ generaliter à Principe concessa fuerit ad diem insignem ob publicam gratulationem, vel ob rem prosperè gestam, eximit accusatorem à pœna terginersatori, seu desertori imposita.*

7 *Accusator desertoris pœnam non incurrit si post 30. dies quo feriæ finitæ sunt, reum prout de iure poterat non repetierit.*

8 *Accusator non cogitur accusationem semel intermissam propter*

abolitionem generaliter à Principe concessam reassumere.

9 *Accusator eximitur à pœna desertoris, seu tergiuersatoris propter abolitionem à lege datam, nimirum ob mortem accusatoris superuenientem, aut si iusta causa fuerit impeditus quo minus suam peragat accusationem.*

10 *Accusator eximitur à pœna desertoris si causam suam suorumque tantùm peragat, non autem publicam, pro qua interuenit promotor fisci, seu alius qui ex incumbenti officio ad vindictam reum de crimine delatum prosequitur.*


11 *Pars querelans potest renunciare querelæ à se factæ, concurrente fisci promotore, seu alia persona publica, idque pro suo tantùm interesse ciuili, cum clausula salutari citra praiudicium iuris fisci, quæ passim vsurpatur in tribunalibus ciuitatis Auen. & Comitatus Venaiscini.*

1. EXcusatur autem † *primò* à pœna tergiuersatori, seu desertori imposita, qui, interueniente abolitione, præsertim à Magistratu causa cognita concessa, ab accusatione proposita destiterit. *l. 2.*
2. *in princ. C. de abolitio* Causæ autem † abolitionis obtinendæ à Magistratu eæ sunt potissimum, scilicet, si per errorem, seu temeritatem, seu calorem ad accusandum processerint, si suam suorumque iniuriam prosequantur, si cognatos suos in accusationem deduxerint, miserationis gratiâ, ab accusatione recedere volentes. *d. l. 2. in princ. & in*
3. *§. fin.* & intra † dies 30. à die accusationis propositæ obtinebit accusator abolitionem etiam reo non consentiente. *l. 3. §. quando autem. C. eod. tit.* nimirum si neque carceres, neque tormenta, neque verbera, vel catenas interea sustinuerit:
4. aliàs namque † si talia passus fuisset, non datur abolitio nisi eo consentiente. *d. l. 3. in princ. vers. sin autem.* sed post 30. dies, etiamsi talia non fuerit passus, non datur abolitio citra rei consensum. *d. l. 3. §. post hoc verò tempus.* Et omni ca-
5. su † sumptus quos reus in eam rem, & circa ipsum interim fecerit, dependere cogitur accusator. *l. 3. in fin. C. de his qui*
6. *accusar. non poss.* Excusatur secundò si abolitio † non quidem specialis, de qua suprà proximè, sed generalis, à Principe pura generaliter concessa ob diem insignem, aut publicam

gratu

gratulationem, vel ob rem prosperè gestam. *l. abolitio, cum l. seq. ff. ad Turpil.* ita vt neque † desertoris pœnam incurrat, 7.
si post 30. dies à die quo feriæ finitæ sunt, reum, prout de iure poterat, non repetierit. *l. aut priuatim. §. fin. & l. si interueniente. ff. ad Turpil.* quia eo casu † non cogitur accusationem 8.
semel ea de causa intermissam reassumere.

Excusatur *tertiò* dum à lege datur abolitio, nimirum ob 9.
mortem accusatoris, aut si iusta causa fuerit impeditus quo minus suam peragat accusationem. *d. l. aut priuatim, in princ. vers. tertio genere, dict. l. fin. §. fin. C. ad Turpil. l. in SC. §. qui poss. ff. eod.* *Quartò* denique excusatur † qui causam suã suorumque 10.
tantùm peragit, non autem publicam, prò qua scilicet interuenerit promotor fisci, seu alius, qui ex incumbenti officio ad vindictam publicam reum de crimine delatum prosequitur: potest namque † pars querelans renunciare 11.
querelæ pro suo tantùm interesse ciuili, cum clausula salutari, citra præiudicium iuris fisci, quæ in Tribunalibus huiusce patriæ passim vsurpatur, & ea de re videndus Clarus *in d. §. fin. q. 6. n. 2. 3. & 4.*



CAPVT VIII.

De calumniatoribus, præuaricatoribus, & tergiuersatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Calumniator uerus non eximitur à pæna calumnia per abolitionem, nec alius iuris color, veluti excusatione deriuata eis proficere potest.*

2 *Calumniatorum pæna est nota infamia ex l. Remmia.*

3. *Ex eadem l. Remmia calumniatorum fronti inurebatur ferro candenti littera C. quo ex eius littera inustione certum omnibus esset eum infamem esse.*

4. *Infames dicuntur esse testes non integræ frontis.*

5 *Hodie ex Constantini primi Imperatoris Christiani constitu-*

tione maculari prohibetur, facies hominis per similes inustiones, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis est figurata.

6 *Inscriptiones quibus accusatores sese adstringebant ad pœnam talionis, quamuis in vsu esse desierint, nihilominus pœna talionis similitudine supplicij puniuntur calumniatores, quod de iure verum est, licèt de consuetudine non seruetur, præsertim in statu Ecclesiastico.*

7 *In Galliæ supremis Tribunalibus pœna talionis similitudine supplicij secundùm ius commune puniuntur calumniatores.*

8 *Pœna talionis similitudine supplicij locum habet in calumniatore fallaciter aliquem accusante publico iudicio.*

9 *Calumnia in priuatis & extraordinariis iudiciis officio iudicis coërcetur sine periculo infamiæ.*

10 *Præuaricatores eadem pœna tenentur, qua calumniatores, tam quoad notam infamiæ, quàm quoad similitudinem supplicij.*

11 *Pœna infamiæ restringitur ad præuaricantes in causa publici iudicij.*

12 *Tergiuersatorum, seu desertorum pœna si tales efficiantur per solum biennij lapsum à lege præscripti pro terminanda quæstione criminali, si sint honestiores personæ, est infamia; si verò sint humiliores, & pauperes, quibus damnum famæ iniuria non sit, exilio, id est, relegatione mulctantur, & præterea quarta parte bonorum.*

13 *Tergiuersatores, seu desertores tenentur quasi inciderint in SC. Turpill. licèt non verè, quippe qui ex sola mora & negligentia puniuntur.*

14 *Verus desertor punitur pœna infamiæ, & mulcta quinque librarum auri rogenda in fiscum, quæ tamen locum habet contra desertorem publici iudicij, cùm in priuatis & extraordinariis similes desertores coërceantur extra ordinem.*

15 *De pœna ciuiliter calumniantium titulus est* ff. de calumniatoribus.

Calumnia

Alumniatores autem veri † per abolitionem non eximuntur à pœna calumniæ, nec alius iuris color, veluti excusatione deriuata eis proficere potest. *l. fallaciter 9. C. de calumniator.* quæ illis † lege Remmia fuit irrogata, *l. 1. §. calumniatoribus. ff. ad Turpil.* quæ fuit nota infamiæ *l. 3. & l. 8. C. de calumniat.* in illis verbis, *pœna existimationis, & infamiæ supplicium*, & antiquitus ex eadem lege † fronti calumniatoris inurebatur, puta ferro candenti, littera C, quo ex eius litteræ inustione certum esset omnibus, eum infamem esse, ex Cicero. *in oratione pro Roscio.* vnde *in l. quæsitum. ff. de testib.* infames † dicuntur esse testes non integræ frontis; quamuis hodie † ex *l. si quis 17. C. de pœnis*, facies hominis, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, omnino per Constantinum primum Imperatorem Christianum maculari prohibeatur; & quamuis † inscriptiones quibus accusatores sese adstringebant ad pœnam talionis, in vsu esse desierint. Nihilominus tamen pœnâ talionis similitudine supplicij puniuntur. *l. 7. & vltim. C. de calumnia.* quod de iure Clarus post Afflict. firmat esse verum, licèt de consuetudine non seruari testetur, quæ consuetudo certè viget in statu Ecclesiastico, sed in Galliæ † supremis Tribunalibus ius commune seruatur, quæ locum habent † in calumniatore fallaciter aliquem accusante publico iudicio, quia in priuatis † & extraordinariis calumnia officio iudicis coërcetur sine periculo infamiæ. *l. 5. C. de calumniat. l. 3. ff. ad Turp.*

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Prauaricatorum eadem † est pœna, de quibus *in l. 1. ff. de prauaricat.* nimirum vt efficiantur infames. *l. 4. ff. eod.* Et præterea similitudine supplicij tenentur. *l. 6. ff. eod. tit.* quod tamen, † præsertim quoad infamiam, restringitur ad præuaricantes in causa publici iudicij, *d. l. 4.* 10. 11.

Tergiuersatorum, seu desertorum, † si quidem tales efficiantur per solum biennij lapsum à lege præscripti pro terminanda quæstione criminali, *dict. l. fin. C. vt intr. cert. temp.* pœna est infamiæ nota, si sit honestior, secus si fuerit humilior & pauper, cui damnum famæ iniuria non sit, qui exilio, seu relegatione mulctatur. *l. 1. & 2. C. eod. tit.* & præterea mulctatur quarta parte bonorum. *d. l. 1.* sic † tenetur 12. 13.

quasi

quasi inciderit in SC. Turpill. licèt non verè, quippe qui ex sola mora & negligentia punitur. *d. l. in SC. §. qui potest. ff. ad SC. Turpill. d. l. 2. C. vt intr. cert. temp.*

14. Verus autem desertor † punitur pœna infamiæ, & mulcta quinque librarum auri, cogenda in fiscum. *l. 3. §. vltim. ff. de preuaricat. l. spuriis qui publici. ff. de decurio.* vnde infertur eam pœnam obtinere tantùm contra desertorem accusationis publici iudicij, secus in aliis qui extra ordinem coërcentur. *d. l. 3. ff. ad SC. Turpill.* De † pœna autem ciuiliter ca-

15. lumniantium titulus est *ff. de calumniatoribus.*



CAPVT IX.

Quando ciuilis actio criminali praiudicet, & econtra.

SVMMARIVM.

1 *Quandoque ciuilis actio criminalem absumit & absorbet, & è conuerso, dum vtraque tendit ad vindictam, vel priuatam, vel publicam.*

2 *Actio ciuiliter intentata iniuriarum nomine ad mulctam, vel adulterij causa ad thori separationem & pœnas in se consequentes absumit, & absorbet accusationem criminalem, quæ eo nomine fieri potuisset.*

3 *Criminalis accusatio pro iniuria, seu adulterio absumit, & absorbet ciuilem.*

4 *Pro vno eodemque delicto, signanter iniuriarum, & adulterij, duplicem vindictam quis consequi non potest, nec per consequens duplex pœna imponi potest.*

5 *Quandoque vna actio præiudicat alteri circa ordinem cognitionis, itaut de vna priùs cognosci debeat, altera interim in suspenso manente.*

6 *Ciuilis quæstio si incidat in criminalem, cuius decisio perimat crimen, tunc ciuilis prius terminanda est.*

7 *Si in crimen plagij ciuilis quæstio de proprietate incidat, tunc*

ea

ea prius quæ crimen perimit, discutienda & terminanda erit.

8 *Si in crimen adulterij incidat quæstio status, de ea prius cognoscendum erit.*

9 *Si fiscus cum parte ciuili egerit ad pœnam contrauentionis inhibitionum, dum reus excipit se nihil noui fecisse, sed continuasse possessionem, ille articulus prius erit discutiendus tanquam excludens omnem delicti, licèt priuati, causam.*

10 *Causa status tanquam delicti exclusiua prius terminanda est.*

11 *Sententia semel lata super quæstione principali priusquam de statu quæstio moueatur, non ex eo suspenditur illius executio.*

12 *Falsitas etiam criminaliter incidens prius examinanda est, quàm super actione ciuili ius dicatur, tanquam perimens omnino ciuilem actionem, nisi aliter iudici visum fuerit.*

13 *Præiudicium quandoque consideratur dum ex sententia in causa ciuili videatur præscribi, licèt non necessariò forma sententiæ ferendæ in causa publici iudicij.*

14 *Ad euitandum eiusmodi præiudicium regulariter ciuilis actio quæ de re familiari, id est, de damno pecuniario datur pro crimine admisso, veluti legis Aquiliæ, furti, rapinæ, interdicti vnde vi, & de tabulis exhibendis, solet insimul proponi, exerceri, & vnica sententia terminari in publico iudicio eo nomine à lege concesso.*

15 *Actiones ciuiles quæ non ad rei persecutionem, sed ad vindictam priuatam dantur, quales sunt actiones iniuriarum, adulterij, & sepulchri violati nomine, non possunt concurrere cum publico iudicio ea de causa à lege concesso, quia vna aliam absorbeat.*

16 *Sufficit semel pro vno eodemque delicto vindictam cœpisse, siue ciuiliter, id est, actione priuata, siue criminaliter, id est, iudicio publico, nec bis vnum idemque delictum vindicari debet.*



Andem pro coronide eorum quæ spectant in genere ad hunc tractatum de criminibus, & delictis, discutiendus est articulus, quando ciuilis actio criminali præiudicet, vel è contra, qua de re titulus est *C. de ord. cognitio. & C. quando ciuilis actio criminali praiudic.* &c. Et sciendum est hoc
1. præiudicium diuersis modis considerari, quandoque † dum
2. vna actio aliam absumit & absorbet, vt in actione † iniuriarum, cùm vtraque tam ciuilis, quàm criminalis tendat ad vindictam, licèt agens ciuiliter tendat ad mulctam pecuniariam. *l. 6. ff. de iniuriis.* Idem obtinet si nomine adulterij ciuiliter actum sit, puta ad dotis amissionem, & alias pœnas pecuniarias, de quibus suprà, qualis erat olim actio de moribus, cuius loco successit hodie actio ad separationem thori, per text. *in l. miles. §. si socer. ff. ad leg. Iuliam de*
3. *adulter.* Et è conuerso, † criminalis ciuilem absorbet, ne
4. pro vno † eodemque delicto duplicem vindictam consequatur agens eo nomine, & per consequens reo duplex pœna imponatur.

5. Quandoque dum vna actio † alteri præiudicat circa ordinem cognitionis, & sic de vna priùs cognoscitur, altera
6. interim manente in suspenso, & si ciuilis quæstio † incidat in criminalem, cuius decisio perimat crimen, tunc ciuilis
7. priùs est terminanda, puta si ciuilis † quæstio de proprietate incidat in crimen plagij, tunc ciuilis quæstio priùs cognoscenda & terminanda erit *l. 8. C. ad leg. Fab. de plag.* vel
8. si in crimen † adulterij incidat quæstio status, de ea priùs cognoscendum. *l. quoniam. C. ad leg. Iul. de adulter.* Idem iu-
9. ris erit † si fiscus egerit ad pœnam contrauentionis inhibitionum de aliquid attentando, seu innouando, quia si reus excipiat se priùs fuisse in possessione, & eam continuando, nil noui propterea fecisse, ille articulus priùs erit discutiendus, quippe qui excludat omnem dicti criminis, licèt priuati, causam, inde *in l. pen. C. de ord. cognit.* causa
10. status † tanquam delicti exclusiua priùs terminanda est.
11. Idem dicitur *in l. fin. C. eod.* præterquam si sententia † super quæstione ante fuerit lata, quàm de statu quæstio moueatur, & idcirco quæstio † falsi criminaliter incidens priùs
12.

examinan-

examinanda, quàm super actione ciuili ius dicatur. *l. 2. C. Theodos. ad leg. Cornel. de fals.* nisi aliter iudici visum fuerit. *d. l. fin. in fin.*

Quandoque præiudicium † consideratur quòd ex sententia in causa ciuili videatur præscribi forma, licèt non necessariò sententiæ ferendæ in causa publici iudicij. *l. 4. ff. de public. iudic.* Qua de causa † ad euitandum eiusmodi præiudicium proposita fuit regula generalis *in tit. C. quando ciu. actio crimin. praiud.* &c. vt cum publicis priuata concurrant, quæ sunt de re familiari, id est, de damno pecuniario, qualia sunt iudicia quæ pro furto, rapina, ex cap. legis Aquiliæ, interdicti, vnde vi, & de tabulis exhiben. de quibus nominatim agitur *in dict. l. 4.* agit namque is ad quem ea res pertinet priuatim ad reparationem damni sibi illati, iudicio, seu actione priuata sibi eo nomine concessa, & præterea agitur per ipsum, seu fisci promotorem iudicio publico ob eiusmodi delicta, ad vindictam publicam, ita vt ea iudicia simul instituantur, exerceantur, & vnica sententia terminentur. Excipitur autem † à dicta regula actio iniuriarum adulterij nomine, & qualibet alia quæ vindictæ priuatæ, non pecuniæ, persecutionem habet, qualis est actio sepulchri violati. *l. 10. §. fin. ff. de acquir. vel omitten. hared. l. 6. l. 10. in fin. ff. de sepulcr. violat. l. 4. C. eod.* quia sufficiat † semel vindictam cœpisse, siue ciuiliter, siue criminaliter, ne pro vno eodemque delicto duplici pœna reus afficiatur, ita disertè Cuiac. licèt breuiter, more suo, *in suis Paratitlis*, ad dictum titulum, *Quando ciuilis actio crimina. praiudic.* &c.

13. 14. 15 16.



In tit. ff. & C. ad leg. Iul. Maiestatis.

DE CRIMINE LÆSÆ MAIESTATIS.

CAPVT I.

Maiestas quid, & quotuplex sit.

SVMMARIVM.

1 *Maiestas est dignitatis quædam summa excellentia, & suprema authoritas, cui supremus honor summaque in terris debeatur reuerentia.*

2 *Maiestas duplex est, diuina, & humana.*

3 *Maiestas diuina dicitur quæ in Deo consistit, & propterea infinita absolutè perfecta sine principio ab æternitate in æternitatem nusquam finem habitura protenditur.*

4 *Longè grauius est æternam, quàm temporalem lædere Maiestatem.*

5 *Hæretici incurrunt crimen læsæ Maiestatis diuinæ, & ideo puniendi saltem iisdem pœnis, quibus rei læsæ Maiestatis humanæ subiiciuntur.*

6 *Diuinæ Maiestati supremus honor debetur.*

7 *Ecclesiæ quæ à Deo immediatè dependent, domibus & patrimonio Imperij, vel Imperatoris anteponendæ sunt.*

8 *Maiestas humana dicitur ea, quæ post Deum in terrenis residet Principibus supremam in terris authoritatem obtinentibus à Deo sibi immediatè collatam.*

9 *Supremi Principes dum supremam authoritatem à Deo sibi concessam.*

cessam exercent in terris, se Dei vicarios hominibus exhibent.

10 *Principum suprema authoritas dicitur Sacra, & Maiestas denominatur.*

11 *Crimen læsæ Maiestatis humanæ dicitur esse proximum sacrilegio, quod in Deum directò committitur.*

12 *Lex Iulia maiestatis lata fuit ab Augusto Imperatore.*

13 *Crimen læsæ Maiestatis committi dicitur dum quid attentatur contra rempub. Romanam, vel Imperatorem, statum & Consiliarios.*

14 *Ante Augusti tempora suprema Maiestas penes populum Romanum residebat, & vltimis Reipublicæ temporibus penes Senatum, eaque quandoque supremis Magistratibus concedebatur, nimirum Dictatoribus, & interdum Consulibus.*

15 *Lege regia à populo Romano lata ipsi Imperatori, & in ipsum populum Romanum omne Imperium suum transtulit populus Romanus.*

16 *Priusquam Imperium à populo Rom. translatum fuisset in Imperatorem, ita demum crimen læsæ Maiestatis committebatur si quid in Rempublicam eiusque statum, seu securitatem, vel si in Magistratus populi Romani attentabatur.*

17 *Imperio in Principem, vel Imperatorem translato, crimen læsæ Maiestatis committebatur, si quid in personam Principis, vel Consiliariorum reuerentiam, aut Senatorum attentaretur.*

18 *Consiliarij, seu Senatores dicuntur esse pars corporis ipsius Principis, vel Imperatoris.*

19 *Ab Imperatoribus in alios successiuè, pro parte tamen ea potestas suprema translata fuit.*

20 *In summum Pontificem translata fuit suprema potestas ex donatione status Ecclesiastici, quem nunc in Italia possidet Sedes Apostolica Romanæ Ecclesiæ, facta per Constantinum Imperatorem, abdicando, seu expropriando ab Imperio Romano supremam iurisdictionem.*

21 *Suprema iurisdictio Imperij, ab Imperio expropriata super ciuitate Auen. & Comitatu Venaiscino, diuersis tamen temporibus translata fuit in Romanam Ecclesiam.*

22 *In Gallia, signanter in Francia, Imperium Romanum priua-*

tum fuit sua suprema authoritate per Francos Orientales, Normannos, Burgundiones, & alios similes.

23 *In Hispania pariter Imperium Romanum sua suprema authoritate priuatum fuit per Gothos, seu Visigothos, nationes Germanicas, vel Septentrionales, quæ nusquam Imperio Rom. subditæ fuerunt.*

24 *Imperium Romanum in Germania vix excessit limites fluminis Danubij.*

25 *Qui attentant contra personam Summi Pontificis, eiusque statum, etiam temporalem, crimen læsæ Maiestatis incurrunt.*

26 *Pontifex præfertur Imperatori, habito respectu ad spiritualem authoritatem, quam in terris exercet tanquam Dei Vicarius, cui temporalis annexa est.*

27 *Similiter dum attentatur contra personas Cardinalium, crimen læsæ Maiestatis incurrunt, & iisdem omnino pœnis subiiciuntur, quibus attentantes contra personas Principum secularium, vel Senatorum, seu Consiliariorum eis adhærentium.*

28 *Qui attentat contra personam, seu statum Regis Galliarum, & Hispaniarum, vel Serenissimi Sabaudiæ Ducis, & Consiliariorum, vel Senatorum eis adhærentium, crimen læsæ Maiestatis incurrit.*

29 *Crimen læsæ Maiestatis incurritur dum attentatur contra personam eorum, qui præter Deum neminem in superiorem agnoscunt.*

1. Maiestas sic definitur, † vt sit dignitatis quædam summa excellentia, & suprema authoritas, & cui supremus honor summaque in ter-
2. ris debeatur reuerentia: vnde duplex † consideratur Maiestas, quarum altera dicitur diuina,
3. † quæ nimirum in Deo consistit, & propterea infinita absolutè perfecta sine principio ab æternitate in æternitatem nusquam finem habitura protenditur, de qua text. est *in l. 1. C. de summ. Trinit. & fid. Cathol.* in illis verbis, *vnam deitatem sub pari Maiestate, in l. non distinguemus, §. sacerdotio. ff. de recept. arbitr. & in Authent. Gazaros. C. de hæretic.* ibi, *cùm longè*
4. † *grauius sit æternam, quàm temporalem lædere Maiestatem.* Vnde

Vnde infertur † hæreticos incurrere crimen læſæ Maieſta- 5.
tis diuinæ, & propterea ſtatuitur iiſdem pœnis puniendos, quibus afficiuntur res læſæ Maieſtatis humanæ. Inde etiam
infertur, † diuinæ Maieſtati ſupremum honorem deberi. 6.
§. *arripiunt, vt omnes obediant iudicibus prouinciarum.* dum
Eccleſias † quæ à Deo immediatè dependent, domibus, & 7.
patrimonio Imperij, vel ipſius Imperatoris anteponendas eſſe conſtituitur.

Altera Maieſtas dicitur humana, † quæ poſt Deum reſi- 8.
det in terrenis Principibus, ſupremam in terris authoritatem obtinentibus, à Deo ſibi immediatè collatam, & dum
eam † exercent, ſe Dei Vicarios hominibus exhibent: vnde 9.
dicitur ſacra † eorum authoritas. *d.* §. *arripiunt*, & Maieſtas 10.
denominatur. *l. quicunque. C. de operib. publicis.* Et eâ ratione
† crimen Maieſtatis humanæ dicitur eſſe proximum ſacri- 11.
legio, quod in Deum directò committitur. *l. 1. in princ. ff. ad l. iul. maieſt.* Lex Iulia Maieſtatis † lata fuit ab Auguſto 12.
Imperatore, & ideo non mirum ſi crimen læſæ Maieſtatis in tit. ff. & C. dicatur committi † dum quid attenta- 13.
tur contra Rempubl. Romæ, vel ipſum Imperatorem, vt videre eſt *in l. 1. §. 1. & ſeqq. l. 3. §. lex autem Iulia, & §. eadem lege, & l. fin. in fin. ff. eodem, & l. quiſquis. C. eod.* quia ante Au-
guſti tempora † dum ſuprema Maieſtas penes populum Ro- 14.
manum eſſet, & vltimis Reip. temporibus penes Senatum, quæ quandoque ſupremis Magiſtratibus concederetur, nimirum Dictatoribus, vel interdum Conſulibus, ſcilicet per ea verba, *viderint Conſules ne Reſpub. quid detrimenti capiat*, præterea priuſquam Auguſtus Imperium ſuſcepiſſet,
lege † à populo Romano lata, quæ Regia dicitur, & appella- 15.
tur, per quam ei ſcilicet Imperatori, & in eum ſcilicet populum Romanum omne imperium ſuum tranſtulit populus Romanus. *l. 1. ff. de conſtit. Princip. §. ſed & quod. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.* Ita demum † crimen læſæ Maieſtatis com- 16.
mittebatur, ſi quid in Rempub. Romanam, eiuſque ſtatum, ſeu ſecuritatem, ſi in Magiſtratus populi Romani aliquid attentabatur. *d. l. 1. §. 1. verſ. cuiuſque opera*, &c. Imperio ve-
rò † in Principem, vel Imperatorem tranſlato, ſi quid in 17.
perſonam Principis, vel Conſiliariorum reuerentiam, aut

Senato

Senatorum committeretur. *d. l. quisquis, in princip.* quia sint
18. pars † corporis ipsius Imperatoris, deinde ab Imperatori-
19. bus † in alios successiuè, pro parte tamen, ea potestas
translata fuit. Et primò quidem in summum Pontificem,
20. † donatione facta Ecclesiæ Romanæ status Ecclesiastici,
quem nunc in Italia possidet per Constantinum Imperato-
rem, abdicando, seu expropriando ab Imperio etiam supre-
mam iurisdictionem, prout in specie ita factum fuit, per
21. duas tamen diuersas † vices quoad supremam iurisdictioni
præsentis ciuitatis Auen. & Comitatus Venaissini, qua
22. itidem in Gallia † priuatum fuit Imperium Romanum per
Francos Orientales, & Normannos atque Burgundiones,
23. & his similes; in Hispania † verò per Gothos, seu Visigo-
thos, nationes Germanicas, vel Septentrionales, quæ nus-
24. quam Imperio Romano fuere subditæ, cùm Imperium Ro-
manum vix excesserit limites fluminis Dannubij in Ger-
mania.

25. Et inde infertur † crimen læsæ Maiestatis incurrere, eos
qui attentant contra personam Summi Pontificis, eius-
que statum, etiam temporalem, quippe qui supremam ob-
26. tineat authoritatem, cuius ratione † præfertur Imperatori,
habito respectu ad supremam illam authoritatem spiritua-
lem, quam in terris exercet tanquam Dei Vicarius, cui
temporalis annexa est. *can. duo sunt 96. distinct.* & si quid at-
27. tentetur † in personas Cardinalium, iisdem omnino pœnis
subiiciuntur, quibus attentantes contra personas Princi-
pum secularium, vel Senatorum, seu Consiliariorum eis
adhærentium, de quibus *in d. l. quisquis*, ex constitutione
Bonifacij VIII. *in cap. felicis recordationis, de pœnis lib. 6.*

28. Et pariter committitur, si quid attentetur contra perso-
nam, seu statum Regis Galliarum, & Hispaniarum, vel
Serenissimi Ducis Sabaudiæ, & Consiliariorum, vel Senato-
rum eis adhærentium, quia supremam authoritatem obti-
29. neant. Idem iuris erit in cæteris Principibus, † qui præter
Deum neminem superiorem agnoscunt, quales sunt Prin-
cipes, plerumque Reges vocati, nationis Germanicæ, seu
populorum Septentrionalium, qui Rom. Imperio minimè
subsunt, Turcarum & Persarum Imperatores, cæterique
Princi

Principes ſupremi, ſiue in Oriente, ſiue in Occidente, ſiue denique in regione Meridionali exiſtant.



CAPVT II.

Regalia maiora quibus conceſſa.

SVMMARIVM.

1 *Ducibus, Principibus, cæteriſque Italiæ Potentatibus, per Imperatorem, & reſpectiuè per ſummum Pontificem maiora regalia omnino conceſſa fuere, nimirum cognitio trium inſtantiarum, ius legis condendæ, & cudendæ monetæ, & his ſimilia.*

2 *Regalia maiora nominatim conceſſa fuere Ducibus Sabaudiæ, Mantuæ, Mutinæ & Rhegij, olim Ferrariæ, item Vrbini, Placentiæ, Parmæ & Magno Duci Hetruriæ, qui reſpectiuè dependent à ſuprema Imperij, vel ſummi Pontificis authoritate.*

3 *Suprema poteſtas penes Imperium, vel Romanam Eccleſiam reſidens, perquam rarò ad effectum deducitur, niſi in caſum reuerſionis dictorum feudorum regalium; videlicet ob lineam fininitam.*

4 *Ducatus Ferrariæ ad Eccleſiam Rom. reuerſus fuit, ob lineam finitam, & breui ita contingere ſperatur in Ducatu Vrbini.*

5 *Suprema Imperij, vel Eccleſiæ Rom. authoritas effectum ſuum ſortitur dum lis oritur ſuper dictis maioribus feudis ab Imperatore, vel à Pontifice conceſſis, quæ ſolet agitari reſpectiuè in Camera Imperiali, vel in ſupremo Pontificis Conſiſtorio.*

9 *Temporibus noſtris, vel noſtrorum antenatorum, lis orta ſuper Marchionatu Montisferrati inter Sereniſſimos Sabaudiæ Ducem ex vna, & Ducem Mantuæ ex altera in Camera Imperiali agitata fuit.*

7 *Præter illos duos caſus rarò contingentes ſuprema Imperij, vel*

Senatorum committeretur. *d. l. quisquis, in princip.* quia sint
18. pars † corporis ipsius Imperatoris, deinde ab Imperatori-
19. bus † in alios successiuè, pro parte tamen, ea potestas
translata fuit. Et primò quidem in summum Pontificem,
20. † donatione facta Ecclesiæ Romanæ status Ecclesiastici,
quem nunc in Italia possidet per Constantinum Imperato-
rem, abdicando, seu expropriando ab Imperio etiam supre-
mam iurisdictionem, prout in specie ita factum fuit, per
21. duas tamen diuersas † vices quoad supremam iurisdictioni
præsentis ciuitatis Auen. & Comitatus Venaissini, qua
22. itidem in Gallia † priuatum fuit Imperium Romanum per
Francos Orientales, & Normannos atque Burgundiones,
23. & his similes; in Hispania † verò per Gothos, seu Visigo-
thos, nationes Germanicas, vel Septentrionales, quæ nus-
24. quam Imperio Romano fuere subditæ, cùm Imperium Ro-
manum vix excesserit limites fluminis Dannubij in Ger-
mania.

25. Et inde infertur † crimen læsæ Maiestatis incurrere, eos
qui attentant contra personam Summi Pontificis, eius-
que statum, etiam temporalem, quippe qui supremam ob-
26. tineat authoritatem, cuius ratione † præfertur Imperatori,
habito respectu ad supremam illam authoritatem spiritua-
lem, quam in terris exercet tanquam Dei Vicarius, cui
temporalis annexa est. *can. duo sunt 96. distinct.* & si quid at-
27. tentetur † in personas Cardinalium, iisdem omnino pœnis
subiiciuntur, quibus attentantes contra personas Princi-
pum secularium, vel Senatorum, seu Consiliariorum eis
adhærentium, de quibus *in d. l. quisquis*, ex constitutione
Bonifacij VIII. *in cap. felicis recordationis, de pœnis lib. 6.*

28. Et pariter committitur, si quid attentetur contra perso-
nam, seu statum Regis Galliarum, & Hispaniarum, vel
Serenissimi Ducis Sabaudiæ, & Consiliariorum, vel Senato-
rum eis adhærentium, quia supremam authoritatem obti-
29. neant. Idem iuris erit in cæteris Principibus, † qui præter
Deum neminem superiorem agnoscunt, quales sunt Prin-
cipes, plerumque Reges vocati, nationis Germanicæ, seu
populorum Septentrionalium, qui Rom. Imperio minimè
subsunt, Turcarum & Persarum Imperatores, cæterique
Princi

Principes ſupremi, ſiue in Oriente, ſiue in Occidente, ſiue denique in regione Meridionali exiſtant.



CAPVT II.

Regalia maiora quibus conceſſa.

SVMMARIVM.

1 *Ducibus, Principibus, cæteriſque Italiæ Potentatibus, per Imperatorem, & reſpectiuè per ſummum Pontificem maiora regalia omnino conceſſa fuere, nimirum cognitio trium inſtantiarum, ius legis condendæ, & cudendæ monetæ, & his ſimilia.*

2 *Regalia maiora nominatim conceſſa fuere Ducibus Sabaudiæ, Mantuæ, Mutinæ & Rhegij, olim Ferrariæ, item Vrbini, Placentiæ, Parmæ & Magno Duci Hetruriæ, qui reſpectiuè dependent à ſuprema Imperij, vel ſummi Pontificis authoritate.*

3 *Suprema poteſtas penes Imperium, vel Romanam Eccleſiam reſidens, perquam rarò ad effectum deducitur, niſi in caſum reuerſionis dictorum feudorum regalium, videlicet ob lineam fininitam.*

4 *Ducatus Ferrariæ ad Eccleſiam Rom. reuerſus fuit, ob lineam finitam, & breui ita contingere ſperatur in Ducatu Vrbini.*

5 *Suprema Imperij, vel Eccleſiæ Rom. authoritas effectum ſuum ſortitur dum lis oritur ſuper dictis maioribus feudis ab Imperatore, vel à Pontifice conceſſis, quæ ſolet agitari reſpectiuè in Camera Imperiali, vel in ſupremo Pontificis Conſiſtorio.*

9 *Temporibus noſtris, vel noſtrorum antenatorum, lis orta ſuper Marchionatu Montisferrati inter Sereniſſimos Sabaudiæ Ducem ex vna, & Ducem Mantuæ ex altera in Camera Imperiali agitata fuit.*

7 *Præter illos duos caſus rarò contingentes ſuprema Imperij, vel*

Rom. Ecclesiæ authoritas sine effectu plerumque manet.

8 Serenissima Venetiarum Respub. etiam ab ipsius origine nusquam subdita fuit Imperio Romano.

9 Respub. Genuensis & Lucensis Imperatorem in superiorem agnoscunt.

10 Si quid admissum sit contra Venetiarum Rempub. id omnino adscribendum erit crimini læsæ Maiestatis in primo gradu.

11 Genuensis & Lucensis Respublicæ æquiparandæ erunt Potentatibus Italiæ, quibus regalia maiora concessa fuere.

12 Litis pendentia super Marchionatu Montis Ferrati in Camera Imperiali inter Duces Sabaudiæ & Mantuæ probatur.

13 Supremum dominium quod Summus Pontifex obtinet in regno Neapolitano, renouatur singulis annis, propter censum 6000. ducatorum auri cum equo albo in vigiliis beatorum Petri & Pauli Apostolorum solui consuetum à Rege Hispaniarum, cum præstatione homagij, seu recognitione.

14 Qui attentant contra Duces, Reges, seu Respub. in superiorem recognoscentes Papam, vel Imperatorem, puta contra eorum personas, seu Consiliariorum eis adhærentium, vel statum ipsorum, ipsiusque status securitatem, perinde crimen læsæ Maiestatis incurrunt, ac si supremi forent, & neminem præter Deum in superiorem agnoscerent.

15 Qui attentant contra dictos Reges, Duces, seu Respub. superiorem agnoscentes, incidunt in crimen læsæ Maiestatis, sed in secundo gradu, non in primo.

16 Pœna criminis læsæ Maiestatis in secundo gradu in hoc mitior est à pœna criminis læsæ Maiestatis in primo gradu, quia filij condemnati non subeunt pœnas de quibus in l. quisquis. §. filij verò, C. ad l. Iul. Maiest.

17 Pœna vltimi supplicij & confiscationis bonorum locum habet pro dicto crimine læsæ Maiestatis commisso in secundo gradu aduersùs Principes superiorem agnoscentes, quamuis contrarium de iure verius esse firmat Apostil. ad Alex. consil. 13. lib. 6. in litt. A. post Socin. & alios ab eo relatos.

18 Qui attentarunt contra Ducem Sabaudiæ, & olim Principem Delphinum, pœnam subiere vltimi supplicij & confiscationis bonorum, & ita de facto seruatum fuit, quidquid sit de iure.

19 Rex

19 Rex Franciæ effectus dominus patriæ Delphinatus, in fine prandij per eum Ottoni quarto Imperatori transeunti per villam nouam secus Auen. splendissimè exhibiti, ab eodem Imperatore supremam Imperij authoritatem in dicta patria Delphinatus dono sibi datam accepit, quam dictus Imperator ab Imperio penitus abdicauit.



Ota difficultas versatur circa Duces, Principes, seu Potentatus, nominatim Italiæ, quibus per Imperatorem † maiora regalia omnino 1.
concessa fuere, nempe cognitio trium instantiarum, ius legis condendæ, ius cudendæ monetæ, ius denique alia faciendi, de quibus per solam in prooemio constitutionum antiquarum Sabaudiæ *gloss. 1. per totam*, quales sunt Duces † Sabaudiæ, Mantuæ, Mutinæ & 2.
Rhegij, olim Ferrariæ, Vrbini, Placentiæ & Parmæ, & Magnus Dux Hetruriæ, qui respectiuè dependent à suprema Imperij authoritate, vel Summi Pontificis; quæ tamen perquam rarò † ad effectum deduci potest, nisi in casum 3.
reuersionis dictorum feudorum regalium, puta ob lineam finitam, vt nostris temporibus † contigit in Ducatu Fer- 4.
rariæ ad Ecclesiam Romanam reuerso, & breui contingere speratur in Ducatu Vrbini, vel dum & quando inter duos † ex istis Principibus, seu Potentatibus, de aliquo ex 5.
istis Ducalibus, Regalibus, & maioribus feudis lis oritur, talis namque lis solet agitari in Camera Imperiali, si de feudo ab Imperatore concesso lis oriatur, vel in supremo Pontificis Consistorio, si de feudo à Rom. Ecclesia concesso lis agitetur, vt nostris temporibus contigit, † vel etiam no- 6.
strorum Antecessorum circa Marchionatum Montis Ferrati, super quo lis agitabatur inter Sabaudiæ Ducem ex vna, & Mantuæ Ducem ex altera, ita vt † præter illos casus ra- 7.
rò, vt præmissum est, contingentes, suprema Imperij authoritas, vel ipsius Ecclesiæ Romanæ sine effectu plerumque maneat.

Diuersum omnino ius constituendum erit in Serenissi- 8.
ma † Repub. Venetiarum, quæ nusquam subiecta fuit Imperio Romano, etiam ab ipsius origine; secus quoad Remp.

9. † Genuensem, quoad Rempubl. Lucensem, quæ in superiorem Imperatorem agnoscit: vnde indubitanter, si quid
10. † admissum fuerit contra Rempubl. Venetiarum, id omnino adscribendum erit crimini læsæ Maiestatis. Non idem
11. erit † in admissis contra Rempubl. Genuensem, Lucensem, & his similes.

Supremi autem dominij quod super Ducatibus iam dictis, vel super Republ. Genuensi, seu Lucensi penes Papam, vel Imperatorem nudum quodammodo remansit, effectus potissimum consideratur, si casus reuersionis, puta ob lineam finitam, venerit, vt in Ducatu Ferrariæ ad Sedem Apostolicam annis superioribus reuerso contigit, & in Ducatu Vrbini breui contingere speratur, vel dum inter duos Principes lis agitatur super aliquo ex dictis Principatibus, vt euenit casus circa Marchionatum Montisferrati,
12. super quo † lis adhuc pendet in Camera Imperiali inter Ducem Sabaudiæ agentem ex vna, & Ducem Mantuæ se defendentem ex altera, quod deprehenditur ex responsis Socini iunioris, Menochij & aliorum insignium totius Italiæ Iurisconsultorum desuper factis, & in lucem editis. Sed
13. in Regno Neapolitano † dum singulis annis pro eo penditur Sedi Apostolicæ à Rege Hispaniarum census annuus sex millium ducatorum auri cum equo albo, in Vigilia Beatorum Petri & Pauli Apostolorum. renouatur annuatim memoria supremi domini penes Sedem Apostolicam existẽtis.

14. Quæritur namque, an attentantes † contra iam dictos Duces, Reges, seu Respubl. in superiorem recognoscentes Papam, vel Imperatorem, puta contra eorum personas, seu Consiliariorum eis adhærentium, vel statum ipsorum, ipsiusque status securitatem, incurrant crimen læsæ Maiestatis, proinde ac si in eos attentassent qui supremi sunt, & neminem præter Deum in superiorem agnoscunt, stante potissimum quòd omnia regalia, etiam maiora, in eos translata fuere, de quibus suprà proximè. Et quidem omnes
15. † concludunt, incidere quidem in crimen læsæ Maiestatis, sed in secundo gradu, non autem in primo, per text. *in l. 3. §. reus autem Maiestatis. C. de Episcopali audient.* cum *ibi* notat. per DD. signanter per Castrens. qui dicit eum textum

de

de iure meliorem esse ad id probandum, vbi *in vers. pœna tamen*,&c. vult sufficere† eo casu pœnam statutam *in l. quisquis, in princ. C. ad l. Iul. Maiest.* pœnam verò statutam *in d. l. quisquis*, §. *filij verò eius*, contra filios condemnati, pro crimine læsæ Maiestatis commisso aduersùs Imperatorem & alios Principes supremos, non habere locum quoad Principes superiorem recognoscentes, vt post Cyn. & Salicet. *in d. l. quisquis*, tenet August. ad Angelum *de maleficiis, in verb. que ay tradito la tua patria*, in additione, *Tu autem in hac materia*, *num.6.* Et post eum Gigas *de crimin. læsæ Maiest. quæst.29. per tot* præsertim *num.2. & 3.* fusè Clarus *in §. læsæ Maiestatis*, *num.2. vers. dubium est*, &c. Quamuis pœ- 16.
na † vltimi supplicij & confiscationis bonorum, habeat locum, ex Alex. *consil.13. num.2. lib.6.* Huius tamen contrarium de iure verius esse firmat Apostillator ad eundem Alex. *d. consil.13. in littera A.* post Socin. *consil.275. lib.2.* vbi de ciuitate Lucali, & alios ibi per eum allegatos, & in 17.
puncto de Duce†Sabaudiæ & Principe Delphino, qui etiam Imperatori suberat, Guid. Pap. *decis.344. num.1. & 2.* attestans, ita de facto seruari, quidquid sit de iure, & de Principe Delphino nominatim, loquitur Ripa *in rubr. extr. de constitut. num.8. & de rescript. responso 26. num.3.* Quamuis Rex 18.
Franciæ † effectus Dominus patriæ Delphinatus ab Ottone IV. Imperatore hîc transeunte per Villam nouam secus Auenionem, in fine prandij sibi per Regem Francorum tunc splendissimè exhibiti, supremam Imperij authoritatem in dicta patriâ Delphinatus dono sibi datam acceperit, quam Imperator ab Imperio penitus abdicauit. 19.



CAPVT III.

Criminis læsæ Maiestatis gradus.

SVMMARIVM.

1 *Criminis læsæ Maiestatis plures sunt gradus, quos plerique Interpretum Capita vocant.*

2 *Primus gradus est eorum, qui attentant contra maiestatem supremi Principis, seu Reipub. supremam potestatem habentis.*

3 *Crimen læsæ Maiestatis in primo gradu committentes antiquitus dicebantur rei perduellionis.*

4 *Qui ex crimine Maiestatis in primo gradu, seu capite commisso damnabantur, pœnam vltimi supplicij & confiscationis bonorum ita subibant, vt à die delicti commissi priuarentur bonorum suorum administratione.*

5 *Et eorum sic damnatorum filij masculi perpetuò infames effecti arcentur ab omnibus honoribus & dignitatibus, fiuntque inhabiles & incapaces omnis successionis, siue materna, siue auita ex vtroque latere, item collateralium, imò etiam extraneorum per testamentum, seu aliam vltimam voluntatem in eorum fauorem disponentium.*

6 *Filij damnatorum ex causa criminis læsæ Maiestatis in primo gradu, in quibus paterni, seu hæreditarij criminis exempla metuuntur, perpetua debent ægestate sordescere, quò illis mors sit solatium, vita verò supplicium.*

7 *Nobilitas sine diuitiis sordescit, seu, vt alij dicunt, stercus est.*

8 *Filiabus sic & eo nomine damnatorum commiserationis gratiâ conceditur, vt de materna hæreditate solam consequantur legitimam pro medio·ri earum alimonia.*

9 *Cum filiabus mitiùs lex agit.*



Ed vt res tota pleniùs intelligatur, sciendum
1. est plures † esse gradus criminis læsæ Maiestatis, quos plerique interpretum Capita vocant.
2. Primus namque gradus est quoad eos, † qui attentant in maiestatem supremi Principis, seu Reipub. supremam authoritatem habentis, qualis est hodie Respub. Venetiarum, siue in personas, siue contra illius statum, eiusque securitatem, modis recensitis *in l.* 1. 2. 3. *&* 4. *ff. ad leg. Iul. Maiest. & in d. l. quisquis*, quique propter-
3. ea † antiquitus rei perduellionis dicebantur, id est, hostes Reipub. *l. fin. §. planè. ff. eod.* Et qui eo nomine damnantur,
4. † non solùm subeunt pœnam vltimi supplicij, & confiscationis

tionis bonorum, ita vt à die delicti commissi sint ipso iure priuati bonorum suorum administratione. *dict. l. quisquis. §. emancipationes, & l. ex iudiciorum. ff. de accusationibus*, cum similibus. Verùm etiam eorum filij masculi † perpetuò in- 5.
fames effecti arcentur ab omnibus honoribus, & dignitatibus, fiuntque inhabiles & incapaces omnis successionis, siue maternæ, siue auitæ, ex vtroque latere, paterno & materno. Item collateralium, imò etiam extraneorum per testamentum, seu aliam vltimam voluntatem in eorum fauorem disponentium, quo † perpetua egestate sor- 6.
dentibus sit mors solatium, vita supplicium. *d. l. quisquis. §. filij verò*, vbi gloss. *in verb. soluentibus*, illud notabile axioma
† elicit, nimirum quòd nobilitas sine diuitiis sordescit, seu, 7.
vt alij dicunt, stercus est; filiabus verò † commiserationis 8
gratiâ conceditur, vt de materna hæreditate solam consequantur legitimam pro mediocri earum alimonia. *d. l. quisquis. §. ad filias*, quia in filiabus † non sit ille timor quòd se- 9.
quantur vestigia delicti paterni, vt in filiis.



CAPVT IV.

Reorum læsæ Maiestatis pœna quæ.

SVMMARIVM.

1 *Ius Pontificium plerumque dat interpretationem iuri ciuili, seu legibus sæcularibus.*

2 *Iure Pontificio prædicta pœna declarata, seu ampliata fuere, vt domus, seu habitationes condemnatorum debeant in totum dirui, nusquam postea reficienda.*

3 *Perpetuam infamiæ notam perpetua testatur ruina.*

4 *Pœna criminis læsæ Maiestatis contra damnatorum filios statuta ad eorum filios extenditur: quorum tamen personas non egreditur.*

5 *In regno Galliæ plerumque ex solita benignitate eiusmodi pœna filios filiásve concernentes solent gratiosè remitti.*

6 *In eodem regno vtplurimum bona paterna fisco applicata solent gratiosè donari per Regem filiis, aut saltem propinquioribus damnati de eo crimine.*

7 *In statu Ecclesiastico pœna filiis, seu filiabus ipsius ex eo crimine damnati à lege inflictæ solent per Summum Pontificem gratiosè remitti.*

8 *Crimen læsæ Maiestatis diuinæ incurrentes, puta ob hæresim, iisdem pœnis subiiciuntur, quæ statuta sunt contra reos criminis læsæ Maiestatis humanæ.*

9 *In hæresis crimine fit confiscatio ipso iure à die criminis admissi, & ab eo tempore priuantur bonorum suorum administratione, quo minus de eis disponere possint, vt in crimine læsæ Maiestatis humanæ.*

10 *Hæretici dominio rerum ipsarum ipso iure priuantur, quod ab eo tempore ipso iure transit in fiscum, non tamen possessio, nisi per incorporationem, quæ fit demum lata sententia facti declaratoria.*

11 *Bona per hæreticum post crimen alienata etiam titulo oneroso reuocantur à detentatoribus, etiam non restituto pretio, nisi quatenus in alienantis vtilitatem conuersum fuisset, & occupatum à fisco in bonis hæretici repertum.*

12 *Fiscus penes se rem & pretium habere non debet.*

13 *In hæresis crimine bona reuocantur à possessore cum fructibus medio tempore perceptis, modò bona fide non fuerint consumpti.*

14 *Bona rei læsæ Maiestatis, siue diuinæ, siue humanæ, quorum administratione priuatur à die criminis admissi, statim post cœptam & institutam accusationem sequestranda sunt sub manu curiæ, quod seruatur in praxi.*

15 *Reus criminis læsæ Maiestatis humanæ rerum suarum dominium retinet, & sola tantùm administratione priuatur à die criminis admissi.*

16 *Sententia facti declaratoria non sufficit in crimine læsæ Maiestatis humanæ, sed requiritur condemnatoria & priuatiua ad euocandum possessionem & dominium.*

Iure


Vre Pontificio, per quod † vtplurimum iura ciuilia, seu leges seculares interpretationem recipiunt, ita pœnæ prædictæ declaratæ fuerunt, ne dicam ampliatæ, vt domus, † seu habitationes condemnatorum debeant in totum dirui, nusquam postea reficiendæ, vt perpetuam † infamiæ notam perpetua testetur ruina, *d. cap. felicis, vers. fiant habitationes eorum deserta*, &c. & præterea vt pœna extra filios † statuta ad eorum filios extendatur, personas verò filiorum non egrediatur, *c. statutum el. 2. de hæret. lib. 6.* quamuis plerumque † in Regno Galliæ ex solita benignitate Christianissimi Francorum Regis eiusmodi pœnæ filios filiasve concernentes soleant gratiosè remitti. Imò vtplurimum † bona paterna fisco applicata solent gratiosè donari per Regem filiis, aut saltem propinquioribus, de eo crimine damnati, & quoad filios, seu filias solent dictæ pœnæ † ipsis à lege inflictæ per summum Pontificem in statu Ecclesiastico gratiosè remitti.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.

Et inde rectè infertur † easdem omnino pœnas habere locum, si commissum fuerit crimen læsæ Maiestatis diuinæ, puta ex causa hæresis. *d. Authent. Gazaros, & prædicto cap. statutum.* Imò confiscatio † non solùm ipso iure fit in causa hæresis à die criminis admissi, verùm etiam ab eo tempore priuantur administratione bonorum suorum, quo minus de eis disponere possint, vt in crimine læsæ Maiestatis humanæ. *d. l. quisquis. §. emancipationes. d. l. ex Iudiciorum. §. adeò, & l. fin. §. sic & diui Seuerus. C. ad l. Iul. Maiest.* habetur text. *in l. donationes 31. §. fin. ff. de donat.* Sed præterea dominio † rerum suarum ipso iure priuantur quod ab eo tempore in fiscum ipso iure transit. *cap. cùm secundùm leges, de hæret. lib. 6.* possessio tamen non transit nisi per incorporationem quæ fit demum lata sententia facti declaratoria, argumento *l. cùm hæredes. ff. de acquir. vel amitt. possess.* per text. *in d. cap. cùm secundùm leges*, vnde à detentatoribus † reuocantur bona quocunque titulo, etiam oneroso alienata post crimen admissum, neque restituto pretio, nisi quatenus conuersum fuisset in vtilitatem alienantis, & occupatum à fisco in bonis hæretici repertum, ex notat. per Bart. & DD. *in l. si debitor,*

8.
9.
10.
11.

12. tor, *circa fin. ff. de his quæ in fraud. credit.* ne aliàs fiscus † rem & pretium penes se haberet.

13. Et in crimine hæresis † bona reuocantur à possessore, cum fructibus medio tempore perceptis, modò bona fide non fuerint consumpti, ex gloss. communiter approbata *in Authent. de incest. nupt. in princ. sub verb. imminent*, sic declarata per DD. *ibi, & in l. post contractum ff. de donat.* ita referente Peregr. *de iure fisc. lib. 5. tit. 1. n. 174.*

14. Et vtroque casu bona † ipsius rei cùm priuetur eorum administratione, erunt sequestranda sub manu Curiæ, statim post cœptam & institutam accusationem, argumento *l. de pollicitationibus, in fin. ff. de pollicit.* quam post Albericum in id citat Gomes. *de delict. c. 14. n. 4. in fin.* & ita seruatur in praxi.

Quod autem in crimine læsæ Maiestatis humanæ reus do-
15. minium † rerum suarum non amittat, sed eo retento sola priuetur administratione, text. est *in l. quæsitum. ff. qui & à*
16. *quibus manumiss.* vnde eo casu † sola sententia facti declaratoria non sufficit, sed requiritur sententia condemnatoria, & priuatiua ad auocandum possessionem, & dominium, ex notat. per Peregr. *vbi suprà num. 171. vers. sed horum opinio*, &c.



CAPVT V.

Crimina quando extinguantur, & quando non.

SVMMARIVM.

1. *Crimina omnia, siue publica, siue priuata, morte ipsius rei extinguuntur, quæ tamen sit communis, & naturalis.*
2. *Reus criminis si mortem sibi violenter adsciuerit, non ex eo à reatu liberatur.*
3. *Lite contra reum contestata quando principaliter agitur de pœna ademptionis bonorum, id est, de pœna pecuniaria, si mors ipsius rei superueniat, non propterea liberatur à pœna.*

4. In-

4 *In crimine repetundarum & læsæ Maiestatis per mortem reus non eximitur à reatu, & pœna.*

5 *Maiestatis iudicium reo mortuo inchoari potest, vt reo conuicto eius memoria damnetur.*

6 *Ita demum rei criminis læsæ Maiestatis memoria damnatur, si sit perduellionis reus hostili animo aduersùs Rempubl. seu Principem armatus, quod generaliter accipiendum erit de reo criminis læsæ Maiestatis in primo gradu.*

7 *In crimine læsæ Maiestatis diuinæ, puta hæreseos, reorum memoria pariter damnatur.*

8 *Ad damnandam rei criminis læsæ Maiestatis siue diuinæ, siue humanæ, memoriam omissa citatione mortui, qui efficaciter citari non potest, citantur hæredes à quibus bona defuncti iure confiscationis sunt auocanda, & pro conseruando honore defuncti.*

9 *Præuia citatione contra hæredes mortuo de crimine conuicto per legitimas probationes fertur sententia contra eius memoriam.*

10 *Per eam sententiam iudex pronuntiat defunctum delictum illud commisisse, & per hoc memoriam eius damnat & infamat, eiusque bona fisco applicat, quæ deinde ab hæredibus auocantur.*

11 *Memoria defuncti non potest accusari lapso quinquennio à die mortis computando.*



Egulariter constitutum est omnia crimina, † siue publica, siue priuata, morte ipsius rei extingui. *l.* 1. vbi de militiæ desertore. *l.* 2. vbi de crimine falsi. *C. si reus, vel accusator mortuus fuerit. l.* 1. *§. fin. ff. de requir. reis, vel absentib. damnandis. l. fin. ff. ad l. Iul. Maiest.* quæ generaliter loquuntur. Et dum *in d. l. fin.* Vlpian. vult mortalitate reatum extingui, Cuiac. *in suis paratitlis, ad d. tit. C. si reus, vel accusator.* &c. interpretatur de morte criminis, & naturali, ad excludendam mortem, † quam reus criminis sibi violenter adsciuerit. *l. pen. C. eod. tit.* 1. 2.

Quidam excipiuntur casus *in l. ex iudiciorum, ff. de accusat.* nimirum si lis† contra reum fuerit contestata. Et quan- 3.

Rr 2 do

do principaliter agitur de pœna ademptionis bonorum, & sic de pecunia, vt distinguendo declaratur *in l.fin. C.si reus, vel accusat.* Secundò in crimine repetundarum † & Maiestatis
4. iudiciis, quæ vltima exceptio firmatur *in l.penult. & fin. C.ad l.Iul.Maiest & in §.2.Instit. de publ. iudic.* vbi nominatim
5. statuitur † reo mortuo hoc iudicium incohari posse, vt eo conuicto eius memoria damnetur. Sed *in d.l.fin. §.planè. ff.eod.* id vult locum habere non in quolibet reo Maiest. sed
6. in eo, † qui sit perduellionis reus, hostili animo aduersùs Rempubl. seu Principem armatus. Et sic reus qui sit læsæ Maiestatis in primo gradu, & de memoria damnanda rei perduellionis, text. est præter superiùs allegatos, *in l.cùm filius. §.fin. ff.de legat.2.& in §.interdum, versic.per contrarium,*
7. *Instit.de hæreditat.quæ ab intest.* quod etiam locum habet † contra hæreticos, *l.4.§.in morte.C.de hæret.*

Sic autem proceditur ex præscripto glossæ singularis *in d. §.interdum, vers. per contrarium, sub verb. memoria, & sub verb.damnata*, communiter approbatæ, teste Gomes.*d. cap.*
8. *2.num.12.circa fin.* nimirum vt omissa citatione † mortui, qui citari non potest efficaciter, *l. de qua re. §.fin. ff.de iudic.* cum *ibi* notat. citentur hæredes à quibus bona defuncti iure confiscationis sunt auocanda, & pro conseruando honore
9. defuncti, vt deinde mortuo conuicto † per legitimas probationes feratur sententia contra eius memoriam. *d.l.fin.C.ad*
10. *l. Iul Maiest.* per quam iudex pronuntiat † defunctum delictum illud commisisse, & per hoc memoriam eius damnat & infamat, eiusque bona fisco applicat, quo scilicet auocentur, & eripiantur à dictis defuncti hæredibus.

11. Lapso verò quinquennio † à die mortis non potest accusari postea defuncti memoria *l.2.C.de apostat.d.l.4.§.in mortem.C.de hæret.* cum *ibi* not per Glos. & DD.

CAP.



CAPVT VI.

Criminis læsæ Maiestatis secundus gradus.

SVMMARIVM.

1 *Crimen læsæ Maiestatis committitur in secundo gradu, dum quid attentatur contra personam, seu statum Ducum, Marchionum, Comitum, &c. suprema regalia obtinentium, sed Papam, seu Imperatorem in superiorem recognoscentium.*

2 *Dux Sabaudiæ olim Princeps Delphinus, Dux Mediolani, Respublica Lucensis, & cæteri potentatus Italiæ in superiorem agnoscunt Imperatorem, seu summum Pontificem.*

3 *Ob crimen læsæ Maiestatis commissum in secundo gradu non incurruntur pœna confiscationis bonorum damnandæ memoriæ delinquentis vitâ functi, nec præterea locum habent pœnæ contra filios ordinatæ, sed tantùm locum habet pœna vltimi supplicij, licèt de facto contrarium seruetur.*

4 *Pro crimine læsæ Maiestatis in secundo gradu firma est omnium conclusio, pœnas contra filios delinquentium statutas non habere locum, quod an dicti Principes subalterni seruent, Deus viderit.*

5 *Dux Sabaudiæ in suis statibus est Vicarius Imperij, vnde qui attentant contra eius personam, seu statum, dici potest quòd incurrunt crimen læsæ Maiestatis in primo gradu.*

6 *Duces, Marchiones, Comites in regno Galliæ, multo magis in regno vtriusque Siciliæ, non habent maiora regalia, sed primam tantùm causarum cognitionem habent, vel ad summum secundam.*

7 *Attentantes contra personas, seu statum dictorum Ducum, Marchionum, Comitum, &c. crimen læsæ Maiestatis non incurrunt, dummodo illæsa maneat supremi eorum Principis Maiestas.*

8 *Magistratum offendens si merum & mixtum habet imperium, incurrit crimen læsæ Maiestatis.*

9 *Indubitanter qui Magistratum populi Rom. offendebat, crimen*

læsæ Maiestatis incurrebat, hodie sine dubio id procedit quoad Magistratus Reipublicæ Venetiarum, præsertim cùm Optimates, vulgò Clarissimi, in ea Republ. Magistratus exerceant, penes quos residet ipsius Reipublicæ maiestas, authoritas & Imperium supremum.

10 *Offendens Magistratus supremi Principis lateri inhærentes, & commissos à Principe pro regimine prouinciarum, committit crimen læsæ Maiestatis in primo gradu.*

11 *Idem iuris erit si quis offenderit officiales Curiarum supremarum in Parlamentis Galliæ, quod vsurpatum fuit nouissimis temporibus in prouincia Prouinciæ.*

12 *Idem dicendum si quis offenderit Gubernatores Prouinciarum.*

13 *Offendens Magistratus inferiores, quales sunt iudices regij, committit crimen læsæ Maiestatis; sed in secundo gradu nudè subit tantùm pœnam vltimi supplicij absque confiscatione bonorum, ita vt neque eius memoria semel vitâ functi damnari possit, nec eius liberi pœnis affici.*

14 *Offendens iudicem deputatum à feudatario, qui suo nomine proprio, non Principis iurisdictionem sibi concessam exercet, non incurrit crimen læsæ Maiestatis.*

1. CRimen læsæ Maiestatis dicitur esse † in secundo gradu dum attentatur contra personam, seu statum Ducum, Comitum, Marchionum, &c. suprema regalia obtinentium, sed Imperatorem, seu Papam in superiorem recognoscentium, quales sunt
2. Dux † Sabaudiæ, olim Princeps Delphinus, de quibus Guid. Pap. *in d. decis.* 341. Dux Mediolani, de quo Decius *consil.* 410. Alciat. *consil.* 19. *lib.* 7. Respubl. Lucen de qua Socin. *consil.* 275. & cæteri Potentatus Italiæ, de quibus Gigas *in d. tract. de crimin. læsæ Maiestat. sub tit. Qualiter & à quibus committatur crimen læsæ Maiestatis, quæst.* 29. qui omnes concludunt incurri quidem & committi crimen læsæ Maiestat. sed
3. in secundo gradu. Et idcirco non intrare † pœnas confiscationis bonorum damnandæ memoriæ ipsius delinquentis
4. vitâ functi, neque habere locum † pœnas contra filios ordinatas; sed pœnam tantùm vltimi supplicij, quamuis quidquid

quid de iure sit, de facto tamen contrarium seruari testentur authores præcitati; præ cæteris verò Gigas *d. quæst.* 29. *in fin.* Clarus *in d §. læsæ Maiest. num. 2. versic. dubium est*, &c. & nouissimè Peregrinus *de iure fisci lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 24. *vers. alij verò distinguunt*, *num.* 25. *&* 26. vbi de Republ Genuensi Imperatorem recognoscente post Menoch. ab eo citatum; omnes tamen vno ore concludunt pœnas contra filios committentium crimen læsæ Maiestatis in primo gradu, locum non habere in isto casu; sed Deus faxit quòd apud eos ita seruetur, quod certè indubitatum esse existimaui etiam de iure in Duce Sabaudiæ, eo quòd sit † Vicarius Imperij 5.
in suis statibus; in Ducibus verò, Marchionibus, Comitibus, & his similibus, qui maiora regalia non obtinent, quales sunt † Duces, Marchiones, Comites in regno Galliæ, & 6.
longè magis in regno vtriusque Siciliæ.

Qui primam tantùm causarum cognitionem habent, vel ad summum secundam attentantes contra eorum personas, † seu statum, neque crimen læsæ Maiestatis incurrere, 7.
dummodo illæsa maneat supremi eorum Principis Maiestas, ex not. per Ferrer. *in additione ad decis. Guid. Pap.* 144. *circa fin.* ita disertè Gigas *in d. tract. sub tit. Qualiter in crimin. læsæ Maiest. procedatur*, *quæst.* 14. *in fin.* & Oldrad. ante eum *consil.* 43.

Magistratum offendens, † si merum & mixtum imperium 8.
obtineat, incurrit crimen læsæ Maiest. quia dicitur habere Maiestatem authoritate publica sibi concessa. *l. penult. in fin. ff. de iust. & iur. l. si qua melior. ff. de iurisdict. omnium iudicum.* & quoad Magistratum † populi Romani committitur sine dubio etiam in primo gradu. *d. l.* 1. *ff ad l. iul. Ma. est* quod hodie indubitanter obtinet in Magistratibus Reipubl. Venetiarum, præsertim cùm Magistratum exercentes sint de Optimatibus, vulgò Clarissimis, penes quos residet ipsius Reipubl. Maiestas, authoritas & Imperium supremum. 9.

Idem dicendum de Magistratibus † ipsius Principis supremi, eius lateri inhærentibus, *d. l. quisquis.* Imò & commissis à Principe pro Regimine prouinciarum Gigas *vbi suprà sub tit. Qualiter & quando*, *quæst.* 26. *in princ.* Et propterea 10.
† extendenda ea decisio ad officiales Curiarum suprema- 11.

rum

rum in Parlamentis Galliæ, de quibus Guid.Pap. *in d.decis.* 341. *in fin.* Et ita vidimus temporibus nostris ab hinc biennio, seu circiter obseruatum fuisse contra offendentes officiales, puta Senatores & Præsidem, & Aduocatum Regium, respectiuè supremæ Curiæ Parlamenti in prouincia

12. Prouinciæ. Idem quoque dicendum † de Gubernatoribus Prouinciarum.

13. Sin verò offenderentur Magistratus † inferiores, quales sunt iudices Regij, tunc committitur quidem crimen læsæ Maiestatis, sed in secundo gradu, pro quo pœna imponitur vltimi supplicij, absque tamen confiscatione bonorum, ita vt neque eorum memoria damnari possit, nec liberi eorum pœnis afficiendi, de quibus *in d.l.quisquis.*

14. Sin verò offenderetur iudex deputatus † à feudatario, qui suo nomine proprio, non Principis, iurisdictionem sibi concessam exercet, neque eo casu crimen læsæ Maiestatis incurri.



CAPVT VII.

Nonnullæ limitationes circa præmissas conclusiones.

SVMMARIVM.

1 *Offendens Magistratus in odium Principis, quo officialibus vtiliter sibi deseruientibus priuetur, dici potest hostiliter armatus in Principem, & ideo incurrit crimen læsæ Maiestatis, etiam in primo gradu.*

2 *Magistratum occidens ob priuatam inimicitiam, quæ inter ipsum & occisorem priuatim exercebatur, non incurrit crimen læsæ Maiestatis.*

3 *Andreas de Isernia, Consiliarius Reginæ Ioannæ, à priuatis eius inimicis occisus & interfectus fuit.*

4 *Officium Magistratus falsò sibi arrogans, & se pro Magistratu gerens, cùm non sit, tenetur pœnâ legis Iuliæ Maiestatis.*

5 Qui

5 *Qui priuatum carcerem exercuerit, eadem pœna tenetur.*
6 *Qui priuatum carcerem exercet, puniebatur olim pœna vltimi supplicij, quæ per Iustinianum minorata fuit, & reducta ad pœnam infamiæ, litis amissionem, & per totidem dies in carcere publico detentionem.*
7 *Priuatum carcerem exercens non incurrebat crimen læsæ Maiestatis in primo gradu, sed in secundo, vel vlteriori gradu.*
8 *Eripiens aliquem de manibus curiæ, qui confessus, aut legitimè conuictus, vel condemnatus esset, incidit in dictum crimen læsæ Maiestatis, licèt crimen ab eo commissum non sit læsæ Maiestatis.*
9 *Eripiens aliquem dum ducitur ad vltimum supplicium, lædit supremam Principis Maiestatem, & imperium, & idcirco incurrit crimen læsæ Maiestatis in primo gradu.*

PRæmissæ autem conclusiones limitantur, si & quatenus Magistratus † fuerit offensus in odium Principis, vt scilicet officialibus sibi vtiliter deseruientibus priuaretur, & sic offendens Magistratum verè dici posset hostiliter armatus in Principem, iuxta text. *in d. l. fin. §. planè. ff. ad l. Iul. Maiestat.* secus si Magistratum † ob priuatam inimicitiam, quæ inter ipsum & occisorem priuatum exercebatur, occiderit, ex Capicio *decis.* 130. *num.* 7. & 13. vbi affert exemplum de Andrea † Isernia Consiliario Reginæ Ioannæ à priuatis eius inimicis occiso & interfecto. 1. 2. 3.

Pariter qui officium Magistratus † falsò sibi arrogârit, & se pro Magistratu gesserit, cùm non esset, pœna legis Iuliæ Maiestatis tenetur. *l. 1. §. finali. ff. ad l. Iul. Maiest.* & inde sequitur † eâdem pœna teneri qui priuatum carcerem exercuerit, cuius criminis † pœna est vltimum supplicium. *l. 1. C. de priuat. carceribus.* quamuis ex *l. 2. C. eod.* per Iustinian. prædicta pœna minorata fuerit, & reducta ad pœnam infamiæ, litis amissionem, & per totidem dies in carcere publico detentionem: vnde sequitur † non esse primi gradus, sed secundi, vel vlterioris. 4. 5. 6. 7.

Denique eripiens † aliquem de manibus curiæ, qui con- 8.

 fessus

fessus, vel condemnatus esset, incidit in crimen læsæ Maiestatis, modò tamen ereptus de crimine, de quo accusabatur, legitimè conuictus, aut confessus, aut condemnatus esset. *l. cuiusque.* & *ibi* gloss. *in verb. reo*, & postea DD. *ff. ad l. Iul. Maiestat.* quod voluit Gigas indistinctè; verùm etiamsi crimen, de quo accusabatur, non esset læsæ Maiestat. *in quæst.* 58. *per tot. sub tit. Qualiter & quando.* quod multo
9. magis † procedit si eum eripuerit dum duceretur ad vltimum supplicium. eo namque modo læditur suprema Principis Maiestas, & imperium.





In tit. ff. & C. ad l. Corneliam de sicariis.

DE
SICARIIS ET
VENEFICIIS.

PROLEGOMENA.

SVMMARIVM.

1 *Iuris vniuersi, siue gentium, siue ciuilis, siue Pontificij principia & summa fundamenta petenda sunt ex lege Decalogi.*

2 *Lex Decalogi in monte Sinai à Deo vocibus Angelorum Moysi tanquam Legislatori data fuit in duabus tabulis lapideis descripta, per eum publicanda populo Israëlitico, tunc dilecto, nunc reprobato, cum praecepto eis praecisè facto de contenta adimplendo, nihil addendo, vel detrahendo.*

3 *Praecepta in Decalogo contenta cùm sint iuris diuini, & Deum Legislatorem principaliter respiciant, manserunt huc vsque, & perpetuò manebunt, immutabilia instar iuris naturalis.*

4 *Moyses nedum Legislatoris, verùm etiam ante & post legem, sicut praemissum est, sibi datam, & ab eo promulgatam, summi iudicis officio inter Hebraeos fungebatur.*

5 *Moyses ab initio solus iudicabat de controuersiis Hebraeorum, postea ex consilio Iethro soceri sui, munus iudicandi distribuit in alios.*

6 *Moyses munus iudicandi distribuit in Decanos quinquagenarios, & Chiliarchas ab eo selectos, ex Nobilibus & prudentioribus totius populi, qui minima decernerent, grauiora Moysi referrent.*

7 *Post legem Decalogi datam Deus dedit Moysi praecepta iudicialia quae mutationi supposita fuere.*

8 *Moyses præterea cognoscebat de his, quæ ad Dei cultum pertinebant, priusquam Aaron in summum assumeretur Sacerdotem.*

9 *Ritualia quoque præcepta, seu cerimonialia à Deo data fuere.*

10 *Præcepta ritualia, seu cerimonialia hodie ob veritatem quæ nobis per Christi aduentum apparuit, cuius figuram gerebant, ferè omnia antiquata fuere.*

11 *Posteriori tempore Moysi à Deo præceptum fuit, vt septuaginta viros de Senioribus populi, non tam ætate, quàm prudentiâ deligeret, qui loco eorum, quos priùs elegerat, iuxta consilium à Iethro sibi datum indicarent.*

12 *Septuaginta Senioreres à Mose delecti ad eum subleuandum accepto per eos Spiritu Dei de omnibus causis inter Hebræos decernebant, & iudicabant.*

13 *A dictis septuaginta Senioribus à Mose, vt præmissum est, selectis, fluxit consilium Sanedrim, quod mansit ad Christi vsque tempora, in quem tulerunt mortis sententiam.*

14 *Inter præcepta iudicialia hoc erat vnum de pœna mortis contra homicidas ordinata.*

15 *A pœna mortis eximitur nedum per eadem præcepta iudicialia, verùm etiam de iure ciuili, qui furem nocturnum occiderit.*

16 *Per dicta præcepta iudicialia distinguebatur voluntarius homicida ab inuoluntario, vnde iuris vtriusque authores distinxere homicidium voluntarium à casuali.*

17 *Tractatus legis Corneliæ* de sicariis *in tria distribuitur capita, nimirum quis fuerit author dictæ legis Corneliæ: secundò quanam fuerit pœna contra homicidas, primùm de iure sacro, deinde in foro fori Principum sæcularium, demum in foro Poli, & in foro fori Ecclesiastico.*

18 *Tertiò qui in eas leges committant, illatumque pœnas incurrant, inspecta nimirum persona occisoris & occisi, & qui ab eiusmodi pœnis eximantur, vel quando minuantur, vel etiam augeantur.*

19 *E re nata videbitur, quodnam sit homicidium voluntarium, & quodnam casuale.*

Iuris


Vris vniuersi, † tam Cæsarei, quàm Pontificij, 1.
imò & ipsius Iurisgentium, quod apud omnes
gentes æquè seruatur, §. *quod verò naturalis, Inst. de iur. natur. Gent. & ciuili*, principia & summa fundamenta petenda sunt ex lege Decalogi in monte Sinai † à Deo vocibus Angelorum Moysi tan- 2.
quam legislatori data, in duabus tabulis lapideis descripta,
per eum publicanda populo Israëlitico, tunc Deo dilecto,
nunc verò reprobato, cum præcepto eis præcisè facto de
ea adimplendo, nihil addendo, vel detrahendo, vt legitur *Exodi cap. 20. & Deuteron. cap. 5.* & præcepta in Decalogo † contenta, Moralia nuncupata, cùm sint iuris diuini, 3.
& Deum Legislatorem principaliter respicientia, manserunt huc vsque, & perpetuò manebunt immutabilia, instar iuris naturalis, de quo *in §. sed naturalia quidem iura, Instit. eod. tit.* sed cùm Moses † nedum Legislatoris, verùm 4.
etiam ante & post legem sic, vt præmissum est, sibi datam
& promulgatam summi iudicis officio inter Hebræos defungeretur, ab initio quidem solus, deinceps † ex consilio 5.
Iethro soceri sui distributo munere iudicandi † in Decanos 6.
quinquagenarios, centuriones & Chiliarchas, ex Nobilibus & prudentioribus totius populi, qui minima decernerent, grauiora Moysi referentes, vnde post legem Decalogi
datam dedit Deus præcepta iudicialia, † quæ mutationi sup- 7.
posita fuere, de quibus *Exod. cap. 2. & seqq.* & quia de his
quæ † ad Dei cultum pertinebant, cognoscebat, præsertim 8.
priusquam Aaron in summum assumeretur Sacerdotem. Ritualia † quoque à Deo fuere data præcepta, seu cerimonia- 9.
lia, de quibus *Exod. cap. 25. & seqq.* hodie ob veritatem
† quæ nobis per Christi aduentum apparuit, cuius figuram 10.
gerebant, ferè omnia antiquata fuere: præceptum Moysi
† vt LXX. viros è Senioribus populi non tam ætate, 11.
quàm prudentia deligeret, qui loco eorum, quos priùs elegerat iuxta consilium sibi à Iethro eius socero datum, accepto per eos Spiritu Dei † ad eum subleuandum de omnibus 12.
causis decernerent, & iudicarent, vnde fluxit † consilium 13.
Sanedrim *Num. 11. vers. 16.* quod mansit ad Christi vsque
tempora, in quem tulerunt mortis sententiam, *Matth. c. 26.*

14. *& 27.* & inter præcepta iudicialia † hoc erat vnum de pœna mortis contra homicidas ordinata *Genes. cap. 9. vers. 6. Exod. cap. 21. vers. 12. & Num. cap. 5. vers. 16. & seqq. Exod.* verò
15. *cap. 22. vers. 1.* à pœna eximitur, † qui furem nocturnum occiderit, qua de re *in l. 4. ff. ad leg. Aquil. & in d. cap. 35. Num.* Di-
16. stinguitur voluntarius † homicida ab inuoluntario, quod causam dedit nostris iuris vtriusque autoribus distinguendi homicidium voluntarium à casuali.

In tria autem potissimum capita totus iste tractatus di-
17. stribuetur. † *Primò* namque videbitur, quis fuerit author legis Cornel. de sicariis, &c. *Secundò*, quænam sit pœna, primùm de iure sacro, deinde in foro fori Principum secularium, demum in foro Poli, & in foro fori Ecclesiastico.
18. *Tertiò*, & postremò, † qui in eas leges committant, illarumque pœnas incurrant, inspecta nimirum personâ occisoris, & personâ occisi, & qui ab eiusmodi pœnis eximantur, vel quando minuantur, vel etiam augeantur, & inde occasione
19. data, † quódnam sit homicidium voluntarium, & quod casuale.



CAPVT I.

Author legis Corneliæ de sicariis quis.

SVMMARIVM.

1 *Lucius Cornelius Sylla Dictator perpetuus, dictam legem Corneliam de sicariis Romæ tulit, ab eo sic nominatam primùm publico iudicio criminaliter instituto contra sicarios & venefícia parantes, seu administrantes, & præterea incendiarios pœna capitali in eos stabilita, vnde tit. ff. & C.* ad l. Cornel. de sicariis.

2 *Eadem lege lata Lucio Cornelio Sylla Dictatore rogante contra falsarios sancitum fuit publico iudicio in eos criminaliter instituto, & pœna pariter capitali contra eos ordinata, quæ testamentaria dicta.*

3 *Dicta*

3 *Dicta lex Corn. de falsis ex SC. Liboniano prorogata fuit ad alios modos falsi committendi, & circa alia quàm testamenta.*

4 *Eodem Sylla Dictatore rogante lex de parricidiis lata fuit.*

5 *Lex Pompeia de parricidiis posteriori tempore Pompeio Consule rogante lata derogauit legi Corn. de parricid. eamque suppressit, vnde fluxere tituli ff. & C.* ad l. Pomp. de parricid.

6 *Quartum caput dicta legis pœnam ordinauit contra iniuriam inferentes publico iudicio eo nomine contra eos instituto.*

7 *Ob quatuor capita dicta legis Lucius Sylla augendo numerum Prætorum antiquorum quatuor Pratores adiecit, quorum singuli inquirerent, & cognoscerent de dictis quatuor iudiciis per eum institutis.*

8 *Cuique ex dictis quatuor Pratoribus vnius tantùm publici ex dictis quatuor per eam legem institutis sigillatim & separatim cognitio, seu iurisdictio concessa fuit.*

9 *Tot quaestiones publicæ per legem Corn. de nouo instituta fuere, quot Pratores adiecit Lucius Cornelius Sylla.*

10 *Vnus ex dictis quatuor Pratoribus crimen iniuriarum atrociter exequebatur & coërcebat.*

11 *In d. l. Corn. de sicar. nullum fuit caput de crimine læsæ Maiestatis, quod quintum fuisset caput eiusdem legis & ea de causa quintus etiam Prator fuisset adiectus.*

12 *E numero dictorum quatuor Pratorum per Syllam de nouo adiectorum infertur, dictam legem Corneliam quatuor tantùm capitibus constitisse, scilicet de sicariis, parricidiis, de falsis, & iniuriis.*



D primum itaque deueniendo, sciendum est Lucio Cornelio Sylla Dictatore † perpetuo legem latam fuisse Romæ, quæ ab eo Cornelia nominatur, *primùm* publico iudicio criminaliter instituto contra sicarios & veneficia parantes, seu administrantes, & *præterea* incendiarios pœna capitali in eos stabilita, vnde titulus ff. & C. *ad l. Corneliam de sicariis*, contra falsarios: † vnde titulus ff. & C. *ad l. Corneliam de falsis*, quæ Testamentaria dicta fuit, quia de falso circa testamen- 2.

ta: 1.

ta commisso. *l. 2. ff. eod. tit.* pœna similiter capitali contra dictos falsarios ordinata. *l. 5. l. 22. in fin. C. eod.* quæ ex SC. Li-
3. boniano,† & per constitutiones prorogata fuit ad alios modos falsi committendi, & circa alia quàm testamentum. *l. 2. § qui rationibus. l. 9. §. pœna, & in l. instrumentorum 16. §. 1. &*
4. *seqq. ff. eod. Tertiò* fuit lata† lex eodem Sylla Dictatore rogãte de parricidiis, cuius mentio habetur *in l. 2. §. deinde Conelius*
5. *Sylla. ff. de origin. iur.* cui lex Pompeia *de parricid.* † posteriori tempore Pompeio Consule rogante lata derogauit, eamque suppressit, vnde titulus ff. & C. *ad l. Pompeiam de parricid.*
6. fuit, & quarta, seu quartum caput † legis Corneliæ de iniuriis publico iudicio, nimirum eo nomine instituto contra iniuriam inferentes. *l. hos accusare. §. vltim. ff. de accusation.* vn-
7. de ea de causa† quatuor Prætores adiecit Sylla, quorum singuli inquirerent, & cognoscerẽt de dictis quatuor publicis
8. iudiciis per eũ institutis; sigillatim tamen † & separatim cuique ipsorum vnius tantùm publici iudicij ex dictis quatuor cognitione, seu iurisdictione concessa, *d. l. 2. §. deinde Corne-*
9. *lius*; ita vt credibile sit † tot quæstiones publicas per eum constitutas fuisse, quot Prætores adiecti fuere, & de Præ-
10. tore † qui crimen iniuriarum atrociter exequebatur, & coercebat, text. habetur *in l. si quis iniuriam. ff. de iniur.* & inde Cuiacius, qui in suis paratitlis ad tit. ff. *ad l. Corneliam de sicar.* censuerat fuisse legem latam de Maiestate eodem Sylla Dictatore rogante & autorante, quæ vulgò lex Cornelia Maiestatis vocabatur, suppressam tamen & abolitam per l. Iuliam Maiestatis, deinde ab Augusto Imperatore latam muta-
11. ta sententia† *in d. §. deinde Cornelius*, è numero dictorum quatuor Prætorum per Cornelium Syllam adiectorum, & de nouo creatorum, habita proportione ad quatuor capita di-
12. ctæ suæ legis Corneliæ, firmat & infert † nullam fuisse per eum latam legem de Maiestate, sed tantummodo illis quatuor capitibus constitisse, scilicet de sicariis, de parricidiis, de falsis, & de iniuriis.

CAP.



CAPVT II.

Pœna de iure sacro quæ.

SVMMARIVM.

1 *Homicida iure sacro morte naturali plectitur.*

2 *Dicta pœna mortis naturalis ore proprio Christi confirmata fuit per ea verba*, omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt.

3 *Iure sacro ex lege antiqua permittebatur propinquis occiso ob duritiem cordis, & peruicaciam Hebræorum, occisorem propria authoritate interficere, si occisor in eorum manus incidisset, vel eis iudicio populi traditus fuisset.*

4 *Id emendatum & antiquatum fuit lege Euangelica, secundùm quam occisores vitâ priuantur per carnifices authoritate publica ad id deputatos.*

5 *Per leges sæculares, nimirum per dictam l. Corn. de sicariis, homicida morte ciuili plectitur, nimirum per aqua & ignis interdictionem.*

6 *Hi quibus aqua & igni interdicebatur, extorres fiebant à ciuitate, quibus omne commercium, seu communicatio cum ciuibus denegabatur.*

7 *In locum aqua & ignis interdictionis subrogata fuit posteriori tempore deportatio cum bonorum omnium ademptione, seu publicatione.*

8 *Homicida si honestiore loco positus sit, deportatur, si verò sit in secundo gradu, capite plectitur, videlicet per decollationem, si humilior cruce, vel ludo, pu'a gladiatorio, aut venatorio, dum gladiatoribus, aut bestiis subiiciebatur.*

9 *Distinguitur ludus siue gladiatorius, siue venatorius à damnatione ad gladium, seu ad bestias.*

10 *De damnatione ad gladium apud iuris authores non habetur mentio quòd ea pœna fuisset abolita per Constantinum.*

11 *Hodie ab aula recessit damnatio ad bestias, prout etiam crucis*

supplicium abolitum fuit per Constantinum Imperatorem in honorem Christi.

12 *In locum crucis supplicij successit damnatio ad furcam.*

13 *Pro qualitate personarum minuuntur, vel augentur pœna, iuxta gradus suprà positos, quod nominatim obtinet in dicta pœna legis Cornelia* de sicariis, *& pœnis contra seditionis authores ordinatis.*



Ro secundi capitis explicatione dicendum, iure
1. †sacro morte naturali homicidas mulctatos fuisse *Genes.cap.9.vers.6.Exod.cap.21.vers.12.Num.c.1.*
2. *num.16.& seqq.* quæ pœna † ore proprio Christi confirmata fuit *Matth.cap.26.* in illis verbis, *omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* quod tamen permittitur
3. † propinquis occisi, si occisor in eorum manus inciderit, vel eis iudicio populi traditus fuerit, interficere ob duritiem cordis, & peruicaciam Hebræorum, *d.cap.35.Num.vers.*
4. *16.& seqq.* Id emendatum, † seu antiquatum fuit lege Euangelica, cùm debeantur vitâ priuari per carnifices autoritate publica ad id deputatos.

Per leges verò seculares primò, nimirum per d. legem
5. Cornel.*de sicariis*, &c. † morte ciuili mulctatos fuisse, scili-
6. cet per aquæ & ignis interdictionem, quibus nempe † extorribus à ciuitate factis omne omnino commercium, seu
7. communicatio cum ciuibus denegaretur, in eius locum † posteriori tempore subrogata fuit deportatio cum bonorum omnium ademptione, seu publicatione. *l.3.§.penult.ff.ad leg.*
8. *Cornel.de sicar.* vbi tamen † fit distinctio, per quam honestiore loco positi, puta in dignitate, pœnam d.legis, scilicet deportationem sustinent; qui verò sunt in secundo gradu, capite plectuntur per decollationem, de qua *in l.capitalium.ff.de pœn.* & is est sensus Iustiniani *in §. item lex Cornelia, de sicariis, Instit.de publ.iudic.* humiliores verò cruce, vel ludo, puta gladiatorio, aut venatorio, dum gladiatoribus, seu bestiis subiiciuntur. *d l.3.§.penult.* de quo *in l.aut damnum*
9. *§.quæcunque 11.& §.12.ff.de pœn.* quem † ludum vtrobique ex eo textu eleganter distinguit Cuiac. à damnatione ad gladium, & ad bestias, *obseruat.lib.13.cap.10.* De damnatio-

ne

ne † ad gladium apud nostros iuris Interpretes non habe- 10.
tur mentio, eo quòd abolita fuerit per Constantin. *l. 1. C. de gladiat. penitus tollen.* prout † etiam hodie ab aula recessit 11.
damnatio ad bestias; quamuis hodie abolito † crucis sup- 12.
plicio per Constantinum Imperatorem in honorem Christi ad furcam damnentur, *d. l. capitalium, in princ. & §. famosos,* vbi pro cruce Tribonianus furcam adscripsit, nec nouum est † pro qualitate personarum minui, vel augeri pœnas. *l. si quis aliquid. §. instrumenta, & § authores. ff. de pœn.* vbi contra authores seditionis similes pœnarum gradus constituit, qui pœnâ legis Corneliæ *de sicariis* tenentur, vt suo loco dicetur, & *ibi* Tribonianus pro cruce furcam posuit; adde *l. penult. ff. ad l. Cornel. de sicar.*

---

§. I.

Quæ in foro fori Principum sæcularium.

SVMMARIVM.

1 *Iure Pontificio occisor etiam laicus, licèt aliàs iurisdictioni Ecclesiasticæ non sit suppositus pro causis temporalibus, si Clericum quamuis Psalmistam, clericali habitu incedentem interfecerit, incidit in excommunicationem latæ sententiæ, quæ Græcis* Anathema *dicitur.*

2 *Qui ob Clericum percussum, vel interfectum inciderit in excommunicationem maiorem, nonnisi à solo Summo Pontifice absolui potest, præterquam in mortis articulo.*

3 *Maiorem excommunicationem incurrens, omnino separatur ab Ecclesia, & priuatur nedum sacramentorum communione, verùm etiam fidelium consortio.*

4 *Excommunicatio minor dicitur dum quis simpliciter priuatur communione Sacramentorum absque eo quòd separetur ab Ecclesia & fidelium consortio.*

5 *Maior excõmunicatio est instar interdictionis aquæ & ignis, quæ à Gentilibus vsurpabatur cũ aliis similibus pœnis id operãtibus.*

6 *Homicida si Clericus sit, dum contra eum inquiritur de veritate criminis admissi, & contra eum de dicto crimine indiciatum*

proceditur, interim suspenditur ab Ordinum exercitio.

7 *Clericus de homicidio legitimè conuictus deponitur, & beneficiis, si qua habet, priuatur.*

8 *Clericus degradatus existens incorrigibilis, tradendus est curiæ sæculari, qui per eam legitimè puniatur, vel in arcta Monasteria detradendus.*

9 *Clericus homicida irregularitatem incurrit, ita vt non possit deinceps ad maiorem gradum promoueri, & ab Ordinum susceptorum ministerio abstinere debeat.*

POEnæ de iure Pontificio constitutæ in foro fori contra
1. homicidas, siquidem laicus † sit occisor, licèt iurisdictioni Ecclesiasticæ pro causis temporalibus non sit suppositus; si tamen Clericum, quamuis Psalmistam, clericali habitu incedentem interfecerit, incidit in canonem latæ sententiæ excommunicationis maioris, quæ Græcis *Anathema*
2. dicitur, & à qua † nonnisi à solo summo Pontifice absolui potest, præterquam in articulo mortis, *can. si quis suadente Dia-*
3. *bolo* 17. *quæst.*4. per quam † scilicet omnino separatur ab Ecclesia, & priuatur nedum Sacramentorum communione, verùm etiam fidelium consortio. *can. ad mensam. §. aliquan-*
4. *do.* Est & alia 11. *quæst.*3. *& can. fin.* 1. *quæst.*4. dum enim † simpliciter priuatur communione Sacramentorum absque eo quòd separetur ab Ecclesia, seu fidelium consortio, dicitur
5. minor excommunicatio. *d. §. aliquando.* Maior † autem est instar interdictionis aquæ & ignis, quæ à Gentilibus vsurpabatur cum aliis similibus pœnis id operantibus, de quibus fusè Diaz *in sua praxi crim. canon. cap.* 116. *num.* 1. Sin ve-
6. rò homicida sit Clericus, † tunc dum de veritate criminis admissi inquiritur, & contra Clericum de eo iudicatum proceditur, suspenditur ab exercitio Ordinum, quos antè
7. susceperat legitimè, † conuictus per sententiam deponitur, & beneficiis, si quæ habet, priuatur, *cap. cùm non ab homine, de iudic. cap. ex litteris* 10. *de excess. Prælat.* glos. sing. *in cap. sicut dignum. §. fin.* & *ibi* gloss. singul. *verb. consilium*, adeò
8. vt degradatus, † si existat incorrigibilis, tradi debeat curiæ sæculari, qui per eam legitimè puniatur. *d. cap. cùm non ab homine, in fin.* vel in arcta Monasteria detrudi. *cap. tua discretionis*,

tionis, de pœn. & præterea irregularitatem incurrit,† *can.miror, cum quatuor seqq.* 50.*distinct.* itaut non possit ad maiorem gradum deinceps promoueri, imò & ab Ordinum susceptorum ministerio abstinere.*d. cap. sicut dignum.§.fin.* 9.

---

§. II.

Quæ in foro Poli, & in foro fori Ecclesiastico.

SVMMARIVM.

1 *In foro Poli, seu pœnitentiali pro homicidio commisso duplex iniungitur pœnitentia, publica nimirum, quæ pro publicis delictis, aut priuata, quæ pro occultè commissis per Confessarios imponitur.*

2 *Publica alia est, vel simpliciter publica, qualis est ea, quæ Episcopis occisoribus per* 13. *annos, Presbyteris per* 12. *Diaconis per decem imponitur, ea lege, vt Episcopi depositi peregrinentur toto tempore eorum vitæ; Presbyteri verò & Diaconi in Monasterium detrudantur.*

3 *Publica item alia solemnis est, quæ laicis, qui tamen sint innupti, ob atrociora delicta in scandalum populi commissa imponebatur die Cinerum.*

4 *Solemnitas ea erat, vt pœnitenti detonsum caput habenti deducto extra fores Ecclesiæ cilicium cum pulla veste imponeretur.*

5 *Olim ex canone sancti Basilij pro homicidio voluntario imponebatur pœnitentia publica & solemnis* 20.*annorum, pro inuoluntario decem annorum.*

6 *Is cui iniungebatur pœnitentia* 20. *annorum, quatuor primis extra fores Ecclesiæ stans adplorabat singulos fideles ingredientes, rogans ad eorum genua se prouoluendo, & delictum admissum confitendo, vt pro se orarent.*

7 *Quinque annis sequentibus manebat inter Auditores, qui erant Catechumeni, & cum eis ab Ecclesia exibat.*

8 *Septem sequentibus annis prostratus instar Carthusiensium erabat, & cum sic prostratus manebat, & ab Ecclesia exibat,*

vt verisimile est, ante communionem.

9 *Quatuor postremis annis inter consistentes, idest, qui pedibus stabant, in Ecclesia manebat, & cum illis exibat.*

10 *Post dictum tempus 20. annorum sic completum admittebatur ad Communionem.*

11 *Quando decem annis peragebatur pœnitentia, duobus primis inter adploratores, tribus sequentibus inter Auditores, per quatuor sequentes inter prostratos, vltimo verò inter consistentes manebat in Ecclesia, & ab ea exibat, & vndecimo anno communicabat.*

12 *Per canones posteriores mitiùs actum fuit cum pœnitentibus, quibus pro voluntario homicidio septem annorum pœnitentia imponebatur, pro inuoluntario quinque.*

13 *Qui Presbyterum interficiebat, duodecim annorum, qui Diaconum, decem, qui verò Episcopum 15. annorum pœnitentiam agebat.*

14 *Qui Subdiaconum interfecerat, mulcta pecuniaria afficiebatur pro medietate Ecclesiæ, cui occisus præfuerat, vel inseruiebat, pro alia verò medietate animæ occisi applicanda.*


15 *Ab ea publica & solemni pœnitentia per certum annorum numerum imposita fluxit indulgentiarum vsus.*

1. IN foro Poli, † seu pœnitentiali, duplex iniungitur pœnitentia, aut publica pro publicis delictis, aut priuata, quæ pro delictis occultè commissis per Confessarios imponitur.
2. Item publica, aut † simpliciter publica, qualis est ea, quæ Episcopis occisoribus 13. annorum, Presbyteris 12. Diaconis 10. imponitur, ea lege vt Episcopi depositi peregrinentur toto tempore eorum vitæ, Presbyteri verò & Diaconi in Monasterium detrudantur. *can. si quis homicidium, in prin-*
3. *cip. 50. distinct.* Alia verò † solemnis quæ laicis, innuptis tamen, ob atrociora delicta in scandalum populi commissa imponebatur die Cinerum, cum ea solemnitate, de qua
4. *in can. in capite, d. distinct.* vbi † cilicium imponebatur cum pulla veste pœnitenti detonsum caput habenti, deducto
5. extra fores Ecclesiæ olim † ex canone sancti Basilij 56. dabatur pœnitentia intra 20. annos pro homicidio voluntario, & intra 10. pro inuoluntario, cum

solemni

solemnitate, vt † nimirum in pœnitentia 20. annorum 6.
quatuor primis extra fores stans adploraret singulos fideles ingredientes, rogans ad eorum genua se prouoluendo, & delictum admissum confitendo, vt pro se orarent,
postea † quinque annis immediatè sequentibus inter Au- 7.
ditores maneret, quales erant Catechumeni, & cum eis
ab Ecclesia exiret; deinceps † septem annis sequentibus 8.
prostratus instar Carthusiensium oraret, & cum sic prostratis, seu se submittentibus maneret, & cum eis ab Ecclesia exiret, vt verisimile est ante communionem; quatuor ve-
rò † postremis annis inter consistentes, id est, qui pedibus 9.
stabant, & cum illis exiret, post quæ tempora completa
† admittebatur ad Communionem: sin autem † per decem 10. 11.
annos peragenda foret pœnitentia, duobus primis annis inter adploratores, tribus seqq. inter Auditores, per quatuor annos sequentes inter prostratos; vltimo verò anno inter consistentes, postea vndecimo anno communicabat. *dict. can. Basil.* 56. *&* 57. sed per posteriores Canones † mitius cum 12.
illis actum fuit, quia pro voluntario septem annis, pro inuoluntario quinque annis complebatur pœnitentia annorum distributione, vt suprà, proportionaliter facta. *d. cap. si quis homicidium. §. fin. cum tribus seqq.* 50. *distinct.* Si tamen
† qui Presbyterum occiderit, 12. annorum, qui Diaco- 13.
num, 10. annorum pœnitentia imponitur, *cap. qui Presbyterum* 17. *quæst.* 4. *cap.* 2. *de pœn.* & si Episcopum, per quindecim annos, argument. *d. can. si quis homicidium, in princ. & can. qui subdiaconum* 17. *quæst.* 4. vbi † de mulcta pecuniaria pro 14.
medietate Ecclesiæ, cui occisus præfuerat, vel inseruiebat, alia verò pro anima occisi. *can. omnes Presbyteri* 17. *quæst.* 4. *&*
cap. 2. *de pœn.* Inde fluxit † indulgentiarum vsus tam pro viuis, 15.
quàm defunctis, quod disertè & seriatim explicat Bellarm. *de pœnitentia lib.* 1. *cap.* 22. præmissa diuisione & subdiuisione pœnitentiæ, referendo præterea differentias inter publicam & solemnem.

CAP.



CAPVT III.

Qui in eas leges committant.

SVMMARIVM.

1 *E quatuor delictorum generibus duo sunt præcipua, quorum primum factis constat, inter quæ cædes adscribuntur, alterum consiliis quæ ineuntur pro delictis exequendis.*

2 *Septem sunt modi, quibus quatuor delictorum genera considerantur.*

3 *E dictis septem modis tres tantùm cædibus & delictis magis conueniunt, nimirum causa, persona & euentus.*

4 *Causa sic attenditur, an voluntas & dolus occisoris causam dederit homicidio.*

5 *A voluntate & dolo occisoris causam dantibus homicidio fluxit homicidium voluntarium.*

6 *Homicidium voluntarium aliud est simplex, quod non appensatè & ex deliberatione præcedente, sed calore iracundiæ occasione rixæ præter opinionem extortæ committitur.*

7 *Homicidium simplex causa magis, id est, occasione rixæ, quàm voluntate, scilicet deliberata, committitur.*

8 *In occisore animus & voluntas occidendi deprehenditur ex armorum genere, puta si gladium strinxerit, & cum eo percusserit, vel telum arcu emiserit, vel quid aliud manu violenter iecerit.*

9 *Percutiens animo occidendi, licèt percussus non decubuerit, tenetur pœna legis Corneliæ, perinde ac si occidisset.*

10 *Animus non occidendi pariter deprehenditur ex genere armorum, puta si claui, seu cucuma in rixa quem percusserit.*

11 *Quamuis ex vulnere illato absque animo occidendi quis interierit, sic vulnerans absoluitur à pœna homicidij.*

12 *Consilium, seu voluntas ad actum proximum deducta, dum nempe quis animo occidendi quem vulnerauit, seu percussit, punitur potius, quàm factum.*

13 *Voluntas*

13 *Voluntas ad actum proximum non deducta, sed quæ finibus nudæ voluntatis, seu cogitationis steterit, non punitur.*

14 *Cogitatio, seu nuda voluntas punitur in atrocissimis, quale est crimen læsæ Maiestatis & venefici, dummodo talis voluntas, seu cogitatio probari possit.*

15 *Vulnerans animo occidendi, si mors non sequatur, de consuetudine totius mundi, quæ iuri in hoc derogauit, tenetur tantùm de vulnere illato.*

16 *Homicidium aliud committitur appensatè & ex deliberatione prius secum, vel cum aliis habita, quod dicitur homicidium ex proposito, de quo per Principem gratia concedi non consueuit.*

17 *Homicidium per insidias dicitur committi, dum expectando inimicum in loco occulto quis eum incautum occidit.*

18 *Homicidium proditorium dicitur dum fingens se amicum veniens, puta cum occiso tanquam socius itineris eum interficit.*

19 *Assassinium dicitur committi dum quis de alterius mandato pecuniâ acceptâ aliquem interficit.*

20 *Assassini nec gratiâ digni sunt, nec gaudent immunitate Ecclesiarum si ad eas confugerint.*

PRo tertij capitis explicatione, quínam scilicet committant in l. Cornel. *de sicar.* & incurrant pœnas, de quibus suprà contra homicidas stabilitas, recurrendum erit ad ordinem præscriptum *in l. aut facta, ff. de pœn.* & quia † inter facta quæ puniuntur, cædes adscri- 1.
buntur, quibus accedunt consilia quæ ineuntur pro cædibus exequendis, quæ sunt duo de quatuor generibus delictorum, *ibid.* relatis, quæ puniuntur. Idcirco de septem modis, † quibus dicta quatuor delictorum genera conside- 2.
randa sunt. *l. aut facta.* §. 1. tres tantùm † cædibus, & de- 3.
lictis magis conuenientes seligendos censui, nimirum causam, personam & euentum: causa siquidem sic attenditur, † an voluntas & dolus occisoris causam dederit homicidio, 4.
vnde fluxit † homicidium voluntarium, quod diuiditur 5.
† in homicidium simplex, quod non appensatè, & ex de- 6.
liberatione præcedente, sed calore iracundiæ occasione

rixæ præter opinionem exortæ. *l. 1. §. diuus Adrianus. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* commissum fuit, &, vt *ibi* inquit text. cau-
7. sa magis, † id est, occasione rixæ, quàm voluntate, scili-
8. cet deliberata, & in occisore † animus occidendi deprehenditur ex genere armorum, puta si gladium strinxerit, & cum eo percusserit, vel telum arcu emiserit, vel quid aliud manu violenter iecerit. *§. item lex Cornelia, vers. telum, Instit. de public. iudic.* adeò vt qui animo occidendi percusse-
9. rit, † licèt percussus non decubuerit, perinde pœna d. legis Corneliæ teneatur, ac si occidisset. *d. §. diuus. d. §. item*
10. *lex Cornelia, & l. is qui cum telo. C. eod.* prout vice versa † qui animum occidendi non habuit qui deprehenditur ex genere armorum, puta si claui, seu cucuma in rixa quem per-
11. cusserit, quamuis ex eo vulnere † interierit, absoluitur à pœna homicidij. *d. §. Diuus Hadrianus.* Ita disertè Paul. *lib.*
12. *5. sententiar. tit. 23. §. 2.* Eo quòd † consilium, seu voluntas puniatur potius, quàm factum: quod tamen accipiendum de voluntate ad actum proximum deducta, quia animo occidendi vulnerauit, seu percussit, vt dicitur *in d. §. Diuus*
13. *Adrianus*; secus si ad similem actum † voluntas deducta non fuisset, seu si finibus nudæ voluntatis, vel cogitationis stetisset, quæ non punitur. *l. cogitationis pœnam. ff. de pœn.* præ-
14. terquam † in atrocissimis, quale est crimen læsæ Maiestatis, vel veneficij, iuxta Gloss. singularem *in l. 1. §. hæc autem verba, in verb. putamus. ff. quod quisque iur.* & in puncto Clar. *lib. 5. §. fin. quæst. 92. num. 2.* Et quamuis ex iuribus præ-
15. allegatis qui animo occidendi † vulnerauerit, etiam morte non sequuta, teneatur de homicidio, tamen ex consuetudine totius mundi id abrogatum fuit, ita vt de vulnere illato dumtaxat teneatur, ex Claro *vbi suprà num. 1.* & Gom. disertè *de delict. c. 3. n. 30.*

16. Aliud homicidium committitur † appensatè & ex deliberatione priùs secum, vel cum aliis habita, quod dicitur ex proposito, de quo non solet per Principem gratia con-
17. cedi, aliud per insidias, † dum expectando inimicum in lo-
18. co occulto cum incautum occidit. Aliud proditoriè † dum fingens se amicum, veniens puta cum occiso tanquam socius itineris, cum interficit. Aliud denique per assassinium

† dum

† dum pecuniâ accepta de alterius mandato quis interficitur. Ita Clar. *in §. homicidium, è num. 7. vsque ad num.* 10. qui 19.
neque † gratia digni, neque gaudent immunitate Ecclesiarum, si ad eas confugerint, ex Clar. *vbi suprà proximè, & in d. §. fin. q.* 30. *n.* 11. 12. *&* 13. 20.

---

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Casus contingens causam dans homicidio citra voluntatem & dolum occisoris, facit & constituit homicidium inuoluntarium.*

2 *Si casum culpa lata praecedat, quae dolo proxima est, homicidium inde secutum punitur extra ordinem, poena tamen mitiori.*

3 *Dolus in delictis distinguitur à culpa lata, leui, & leuißima, prout in contractibus.*

4 *Putator ramum caedens iuxta iter publicum, vel priuatum, si tempore opportuno non acclamauerit, quo casus ipsius rami casi euitari poßit, dicitur esse in culpa.*

5 *Machinarij, quales sunt latomi & his similes, pariter dicuntur esse in culpa si opportunè non acclamauerint, dum de alto quid proiiciunt in iter publicum, seu priuatum.*

6 *Similis persona per acclamationem opportuno tempore factam eximitur à culpa, secus si acclamauerit dum periculum euitari non poterat, qui nihilominus dicitur esse in culpa.*

7 *Arborem caedens qua non sit iuxta iter publicum, vel priuatum, si non acclamauerat, non dicitur esse in culpa saltem lata & leui, nec enim diuinare poterat quem subtus arborem transiturum esse.*

8 *Leuißima culpa committitur omissa exactißima diligentia, per quam casus euitari potuisset, & num.* 11.

9 *Lata culpa committitur dum quis praetermittit facere quod omnes faciunt, veluti acclamare antequam quid proiiciatur in iter publicum, seu priuatum.*

10 *Leuis culpa committitur dum quis praetermittit facere ea,*

quæ à viro prudenti fieri solent.

12 *Committens homicidium merè casuale, ab omni pœna eximitur, etiamsi leuissima culpa casum præcessisset.*

13 *Homicidium voluntarium dicitur quod voluntate & actu committitur, vel voluntate tantùm ad actum proximum deducta, non tamen actu.*

14 *Homicidium inuoluntarium dicitur, quod actu tantùm citra voluntatem committitur, quale est homicidium casuale.*

1. AVt verò casus contingens † causam dat homicidio citra voluntatem & dolum occisoris, & inde fluxit homicidium inuoluntarium, & quandoque casum † culpa præ-
2. cedit, quæ siquidem sit lata, cùm dolo proxima sit, *l. quod Nerua. ff. depositi.* punitur extra ordinem, pœna tamen mitiori. Paulus *lib. 5. sententiarum tit. 33. §. si putator, & l. si putator ff. ad leg. Aquil.* vbi distinguitur† dolus à lata, leui, & le-
3. uissima culpa, qualis distinctio inter contrahentes consideratur. *l. contractus. ff. de regul. iuris. §. fin. Instit. de societ. & in l. si vt certò. §. custodiam*, cum simil. *ff. commodat.* siquidem lata
4. culpa in delictis cõsideratur, veluti si putator †ex arbore ramum cædens iuxta iter publicum, vel priuatum non acclamauerit tempore opportuno, quo casus eius euitari possit,
5. idem in machinariis, † quales sunt latomi & his similes, qui de alto aliquid proiiciunt in iter publicum, seu priua-
6. tum: sin autem acclamauerit, † tunc non dicitur esse in culpa; secus si acclamauerit, dum periculum euitari non
7. posset. *d. l. si putator. vers. culpam autem esse*; sed si arbor † non esset iuxta iter publicum, seu priuatum, tunc si non acclamauerit, non dicitur esse in culpa, quia diuinare non potuit quem subtus arborem transiturum. *d. l. si putator. §. fin.*
8. quamuis † adhibita exactissima diligentia id præuideri potuisset, qua omissa, cùm sit leuissima culpa, pœnam non meretur, neque ratione ciuilis interesse. *cap. ex litteris, cap. significat. de homic.* modò tamen rei licitæ operam daret, secus si illicitæ. *cap. dilectus, in fin. eod. tit.* Et multo magis si ne-
9. que lata † adsit culpa, quæ cõmittitur dum prætermittit facere,

cere, puta acclamare, quod omnes faciunt, neque leui, † quæ committitur dum prætermittit ea facere, quæ à viro prudente fieri solent. *d.l. si putator*, in illis verbis, *quod cum à diligente prauideri poterit*; *& in d.cap. ex literis*, in illis verbis, *circumspexisset sollicitè*, *& in cap. significauit*, in verbis, *vtrum equi vitium prius sciuisset*, neque leuissima, † quæ dicitur dum non fuit adhibita exactissima diligentia. *d. §. custodiam*, propter homicidium † merè casuale illud committens, ab omni pœna eximitur. *cap. Ioannes Sacerdos, eod. tit.* imò etsi leuissima culpa incideret, non propterea minus à pœna eximeretur. *d. cap. ex litteris*, cum aliis præallegatis, ex præmissis infertur aliud esse homicidium † quod voluntate & actu committitur, aliud quod voluntate tantùm, non actu. *d.l. is qui cum telo*, quæ species sub voluntario includuntur. Aliud quod actu † tantùm, non voluntate, quale est homicidium inuoluntarium, & species sub eo comprehensæ, signanter casuale, vnde concipitur rubrica in Decretalibus *de homicidio volunt. vel casual.* 10. 11. 12. 13. 14.

---

§. II.

SVMMARIVM.

1 *Pœnâ legis Corneliæ de sicariis, tenetur qui gladio, seu telo interficit.*

2 *Magistratus qui operam dedit vt quis iudicium falsum profiteretur de crimine capitali, vt quis innocens damnaretur, vel pecuniam accepit ad reum de capitali crimine damnandum, tenetur pœnâ legis Corneliæ de sicariis.*

3 *Qui falsum testimonium dolo malo dixerit in causa criminis capitalis, vt quis innocens damnaretur, tenetur etiam pœna dicta legis.*

4 *Qui causam dederit interitui naufragiorum, scilicet eos supprimi procurando, tenetur pœnâ d.l.*

5 *Item seditionum authores.*

6 *Item arma capiens adipiscendæ, vel recuperandæ possessionis causâ.*

7 *Item qui libidinis, vel promercij causa inuitum hominem, siue seruum, siue liberum, castrauerit, & per edictum D. Adriani etiam nolentem occiderit, tenetur pœnâ d. legis.*

8 *Item qui incendium fecerit, siue in agris, siue intra mœnia, secus si culpa etiam lata pracedente id contigerit.*

9 *Qui cætu concurrente incendium fecerit, tenetur praterea pœna legis Iulia de vi publica, qua erat eadem cum pœna contra sicarios ordinata.*

1. Legis Corneliæ *de sicariis* pœnâ tenetur † nedum qui gladio, seu telo interficit, verùm etiam qui cùm Ma-
2. gistratus esset, operam dederit † quo quis indicium falsum profiteretur de crimine capitali, vt quis innocens condemnaretur, vel pecuniam acceperit ad reum de capi-
3. tali crimine damnandum, quive † falsum testimonium dolo malo dixerit, vt quis innocens damnaretur. *l. 1. in princ. & §. 1. vers. qui falsum. l. 3. §. item is 4. vers. & qui falsam. ff. eod.*
4. Item qui † causa fuerit naufragorum interitus eos supprimi procurando. *d. §. item is, vers. & qui naufragium. l. 3. in fin. ff. de*
5. *incen. rui. naufrag.* Item † qui author seditionis fuerit. *d. §. item is, vers. qui author. l. si quis aliquid 3 1 5. §. authores. ff. de*
6. *pœn.* Paul. disertè *lib. 5. sentent. tit. 27. §. 1.* Item † qui adipiscendæ, vel recuperandæ possessionis causa arma sum-
7. pserit, & qui † libidinis, vel promercij causa inuitum hominem, seu liberum, seu seruum, castrauerit, pœna dict. l. Corneliæ tenetur. *d. §. item is, in fin. l. 4. §. Diuus Adrianus. ff. eod.* imò per edictum Diui Adriani, etiam qui volentem occiderit. *d. §. item, in fin.* Paul. *lib. 5. sentent. tit. 23. §. qui homi-*
8. *nem*, & *ibi* Cuiac. Item & qui † incendium fecerit, siue in agris, siue intra mœnia. *l. 1. in princ. l. si quis dolo. C. eod. l. 28. §. incendiarij. ff. de pœn.* secus si culpa etiam lata id fecerit,
9. sed si cœtu † concurrente id fecerit, tenetur etiam l. Iul. *de vi publ. l. qui cum. ff. ad l. Iul. de vi publ.* cuius eadem erat pœna quæ de sicariis.

§. III.

§. III.

SVMMARIVM.

1 *Veneno necans homines tenetur pœna legis Corneliæ de sicariis.*
2 *Plus est veneno necare, quàm gladio occidere.*
3 *Veneno necare attentans, licèt venenum dare non potuerit, tenetur eadem pœna.*
4 *Sciens, & non reuelans eos, qui veneno alios interficere attentant, punitur, mitiori tamen pœna, puta relegationis.*
5 *Venenum faciens, parans, vendens, dans, vel datum habens & retinens, hominis necandi causa, eadem pœna tenetur.*
6 *Prædicti omnes venenarij apud iuris authores nominantur.*
7 *Venenarij capite plectuntur, si honestiores sint, deportantur.*
8 *Veneno patratur homicidium, nedum voluntate, verùm etiam appensatè per insidias & proditoriè.*
9 *Veneficium si fiat data pecunia, assaßinium in se continet.*
10 *Venenarij ab Altari sunt euellendi vt moriantur.*
11 *Pigmentarij, seu pharmacopolæ puniuntur vltimo supplicio, si venena minus bene præparata apposuerint in poculis amatoriis, quæ meretrices suis amasiis propinanda præbent, ex quibus mors sequatur; si mors non sequatur, mitiùs extra ordinem puniuntur, & num. 13.*
12 *Pigmentarij sic puniuntur propter imperitiam artis, meretrices autem, quia sit res mali exempli.*
14 *Poculum si non malo animo datum sit, puta ad concipiendum, & mors inde sequatur, relegabitur tradens, quia sit malo exemplo.*
15 *Si abortionis causâ datum fuerit medicamentum, & ex eo perierit mulier, vel homo, id est, fœtus animatus in vtero existens, capite punitur, etiam ex constitutione iuris sacri.*
16 *Distinguitur fœtus formatus & animatus qui pro homine perfecto habetur ab informi, seu inanimato.*
17 *Interitus fœtus informis ad homicidium non pertinet, & ideo ex eo fœtu perdito qui causam dedit, mulctatur pœna exilij, relegationis, vel pecuniaria.*

Tenentur

TEnentur etiam pœnâ leg. Corneliæ *de ficariis*, qui veneno † necant homines, imò & quia plus est † veneno
1.2. necare, quàm occidere gladio. *l.1.C.de malefic. & mathematic.* Is qui attentârit † alium veneno necare, etsi dare non
3. potuerit, eadem pœna tenetur. *l. 1. in fin. & l. 2. ff. ad leg. Pomp. de parricid.* vbi, etiam sciens † neque reuelans puni-
4. tur, mitiori tamen pœna, puta relegationis: vnde qui
5. † venenum fecerit, parauerit, vendiderit, dederit, & datum habuerit, & penes se retinuerit hominis necandi causâ, eadem pœna tenetur. *l.1.§.1.& l.3.ff.ad leg. Cornel. de sicar.* qui omnes † venenariorum nomine veniunt apud IC.
6.
7. *in l.28.§.9.ff.de pœn.* quos † capite puniendos esse statuitur, exceptis honestioribus, qui deportantur in insulam, iuxta gradus pœnarum capitalium in hoc crimine suprà relatos. Nec mirum, si venenarij seueriùs puniantur, quia veneno
8. † patratur homicidium, nedum voluntate, verùm etiam appensatè. Imò & per insidias & proditoriè, quinimo
9. † si datâ acceptâque pecunia id fiat, seu attentetur, speciem
10. assassinij in se continet, vnde non mirum † si tales homicidæ ab Altari sint euellendi vt moriantur, iuxta decisionem iuris sacri, relatam *in cap. 1. de homicid.* quod conuenit his quæ suprà dicta fuerunt, similes homicidas Ecclesiarum immunitate non gaudere, & fluxit à iure sacro apud *Num. cap.* 35. Et quamuis non animo occidendi datum
11. fuerit, qualia sunt pocula † amatoria, quæ meretrices earum amasiis propinanda præbent, vel pigmentarij, vulgò Pharmacopolæ lustramenti gratiâ, scil. ad purgandũ dant: si venena minus bene præparata dederint, & mors inde se-
12. quatur, puniuntur pœnâ vltimi supplicij, hi propter † imperitiam & temeritatem, meretrices verò, quia res sit mali exempli, *d.l.3.§.adiectio autem, cum §.seq. l.38.§.qui abortio-*
13. *nis.ff.de pœn.* Sed si mors † non sequatur, mitiori pœna extra
14. ordinem puniuntur. *d.§ qui abortionis.* Sed si non malo † animo quis, puta ad concipiendum, dederit medicamentum, ex quo decesserit, quia malo sit exemplo, saltem relegabi-
15. tur; verùm si abortionis causa † datum fuerit, & ex eo perierit mulier, vel homo, puta fœtus animatus, in vtero existens, capite punitur. *d.§.qui abortionis*, in finalibus verbis,

si

si mulier, aut homo perierit. l.39.ff.de pœn. quod prius iure sacro ita constitutum fuerat, *Exod.cap.21.vers.22. & 23.* facit text. distinguens † fœtum formatum, seu animatum ab informi, seu inanimato, *in can. aliquando, cap. quod verò, cap. Moyses, & can.sicut femina 32.quæst.2.* vt nimirum interitus † fœtus informis non pertineat ad homicidium, & propterea mitiori pœna, puta exilij, seu relegationis, vel pecuniariâ mulctetur, quo in sensu accipi debet text. *in l.4. ff.de extraord.crim.l.8.ff.ad leg.Cornel.de sicar.& d.l.39.§.fin. ff.de pœn.* & in eam rem videndus Cuiac. *obseruat.lib.19.c.9.* qui firmat id procedere etiam fœtu non formato ob acceptam pecuniam. 16. 17.

---

§. IV.

SVMMARIVM.

1 *Venefici & venenarij adscribuntur inter maleficos vulgò nuncupatos, quorum appellatione veniunt etiam Magi.*

2 *Magi, seu arte magica vtentes, dicuntur qui carminibus, diris deuotionibus alios defigunt, vel qui cereas imagines hominis necandi causâ fingunt, qui propriè malefici dicuntur.*

3 *Aruspices, augures, ariolos & alios id genus vaticinatores nemo consulere debet sub pœna capitis.*

4 *Neque Mathematici vulgò Genethliaci, consulendi sunt, quorum ars disci & doceri prohibetur, qui à ciuitate expelluntur, & si perseuerant, relegantur.*

5 *Mathematici si de Principis, vel Reipubl. statu respondeant, capite plectuntur, & eadem pœnâ consulentes puniuntur.*

6 *Authores nouarum religionum & magicam artem profitentes viui comburuntur.*

7 *Libri artis magicæ comburi debent.*

8 *Item qui sacrificia vetita fecerint, pariter comburuntur.*

9 *Nedum homicidæ tenentur pœna legis Corneliæ de sicariis, verùm etiam mandatores & cædis complices.*

1. VEnefici, seu venenarij adscribuntur † inter maleficos vulgò nuncupatos, quod apertè indicat *l.* 1. *C. de malefic. Mathematic. & cæter. similib.* quorum appellatione veniunt
2. etiam Magi, qui carminibus † diris deuotionibus per Dæmonum inuocationes defigunt alios, qui cereas imagines fingunt hominis necandi causâ, qui propriè Malefici dicuntur. *l* 4 *l.* 5. *in princ. &* §. *Chaldæi. & l.* 7. *C. eod.* & ideo aru-
3. spices, † augures, ariolos & alios id genus vaticinatores, nemo consulere debet, sub pœna capitis. *d. l.* 5. Item
4. Mathematicos, † Græcè Genethliacos, quorum ars disci & doceri prohibetur. *l.* 2. *C. eod. d.* §. *Chaldæi.* à ciuitate expelluntur, aut si perseuerant, relegantur. Paul. *lib.* 5. *sentent. tit.*
5. 21. §. 1. Imò si de Principis, † vel Reip. statu respondeant, capite plectuntur. *d. l.* 7. & Paul. *vbi suprà* §. *fin.* & eadem pœ-
6. nâ puniuntur consulentes, item nouarum † religionum autores. Paul. *ibid.* §. 3. Item artem magicam profitentes viui comburantur. *l.* 6. *C. eod.* Paul. *eod. lib.* 5. *tit.* 23. §. 10. & 11.
7. vbi quòd libri † artis magicæ comburi debeant. *l. cætera.* §. 1.
8. *ff. fam. ercifcund. l.* 1. *C. de Episcop. audien.* Item qui vetita † sacrificia fecerit. *l.* 12. *ff. ad leg. Cornel. de sicar.* de quibus Paul. *d. tit.* 23. §. 2. Addi poterit text. *in l.* 1. *C. de pagan. & sacrif.* &c.
9. Et generaliter nedum homicidæ, † verùm etiam mandatores & cædis complices eadem pœnâ tenentur. Paul. *d tit.* 23. §. 5. *l. nihil interest. C. ad leg. Cornel. de sicar. & l.* 5. *C. de accusat.*

---

§. V.

SVMMARIVM.

1 *In homicidio duplex attenditur persona, occidentis, & occisi.*

2 *Inspecta persona occisoris quandoque quis in totum eximitur à pœna, puta si infans, vel furiosus occiderit.*

3 *Infantem excusat innocentia consilij, cui nimirum culpa adscribi non poßit.*

4 *Infans quidquid videt in ea ætate ignorat.*

5 *Furio*

5 *Furiosum excusat infelicitas facti, qui non facere, sed iniuriam pati dicitur.*

6 *Pœna legis Corn. de sicar. minuitur, si occisor animum occidendi non habuerit.*

7 *Pater, seu propinquus, qui iure patris emendat mores filij, seu propinqui, si ex ea emendatione præter voluntatem mors sequatur, mitiùs extra ordinem punitur.*

8 *Magister qui docendi gratiâ discipulum emendat, si mors sequatur, mitiùs extra ordinem punitur, præsertim si leui loro, aut virga molli id fecerit.*

9 *Qui per lasciuiam alium interfecerit, mitiùs punitur.*

10 *Iuuenes potentiores, qui per lasciuiam ætatis solent alios sago, seu stragula distento in altum iactare, quod vulgò dicitur* Brenner, *si mors sequatur, mitiùs extra ordinem puniuntur.*

11 *Ebrius qui alium occiderit, mitiùs quoque extra ordinem puniri debet.*

12 *Prædicti omnes, quia culpa non vacant, licèt dolus absit, mitiori pœna extra ordinem, puta relegationis saltim ad tempus puniri debent.*

13 *Si plures in rixa quem occiderint, pœna ordinaria eximuntur, præsertim si ignoretur quis eorum vulnus inflixerit, quod difficillimè sciri potest.*

SI personam consideremus, duplex attenditur † perso- 1.
na, nimirum occidentis, & occisi; inspectâ namque
occisoris personâ, quandoque † quis in totum eximitur à 2.
pœna, puta si infans, vel furiosus occiderit. *l. infans. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Illum † namque innocentia consilij ex- 3.
cusat cùm ei culpa non possit adscribi. *l. pæn. in fin. ff. de fideicom. libert.* & ignorat † quicquid videt in ea ætate. *l. 1.* 4.
§. impuberes. C. de fals. monet. hunc verò † infelicitas facti, 5.
qui non facere, sed iniuriam pati dicitur. *l. 3. §. 1. ff. de iniur. can. illud relatum, 15. quæst. 1.* vel minuitur † si animum 6.
occidendi non habuerit, qualis est pater, seu propinquus, qui iure patrio † emendat mores filij, seu propin- 7.
qui. *l. vn. C. de emendat. propinqu.* vel si à Magistro, qui
† docendi, & monendi gratiâ dicitur emendare. *d. l. aut* 8.

facta. §.causa.ff.de pœn. præsertim si leui loro, aut virga molli id fecerit. *d.§.causa. l.5.§.fin.l.6.ff.ad leg. Aquil.* Item si per
9. lasciuiam † quem occiderit. *l.4.§.cùm quidam.ff.ad leg. Cornel.de sicariis.* & exemplificari poterit in iuuenibus potentio-
10. ribus, † qui per lasciuiam ætatis solent alios sago, seu stragula distento in altum iactare, quod vulgò dicitur *Brenner.*
11. Idem in ebrio † qui alium occiderit. *l.milites, in fin. princip. vers.si tamen per vinum.ff.de custod.reorum. l.perspiciēdum.§.delinquitur.vers.impetu autem.ff.de pœn. l.omne delictum. §.qui se vulnerauit, vers.per vinum. ff.de re milit.* vbi quòd ea de causa pœna capitalis remittatur. facit text. *in l. vnic. C.si quis Imperat.maledix.verb.temulentia, cum ibi not.* per gloss.& DD.
12. Fatendum tamen erit prædictos † qui culpa non vacant, mitiori pœna extra ordinem, puta relegationis saltem ad tempus fore puniendos. *d.§.cùm quidam.* fac. *l.7.ff. eodem.* Item
13. pœnam ordinariam euitabunt, si plures † in rixa quem occiderint, quia ictus vniuscuiusque in hoc collectorum contemplari oporteat. *l. fin. ff. eod.* præsertim si ignoretur, quis eorum vulnus intulerit lethale. Ita Gomes. *de delict. cap.3. n.36.vers.3.conclusio.*

---

§. VI.

SVMMARIVM.

1 Ex persona occisi tenetur quis pœna homicidij, siue occisus fuerit seruus, siue liber, siue perfectæ ætatis, siue infans.

2 Pro fœtu iam formato, nondum tamen in lucem edito, si facto alicuius perierit, tenetur pœnâ homicidij.

3 Augetur pœna homicidij ordinaria, si occisus fuerit Princeps, vel in eius necem attentatum conspiratumve fuerit, vel in Magistratus odio Principis.

4 Idem iuris obtinet in Magistratibus sub Summo Pontifice temporalem iurisdictionem exercentibus.

5 Multo magis locum habet in Cardinalibus.

6 Si quis proprios parentes, vel liberos occiderit, tenetur pœna parricidij, constituta per legem Pompeiam de parricidiis, & renoua-

nouata per Constantinum Imperatorem.

7 *Hodie dicta pœna per legem Pompeiam statuta, & per Constantinum renouata, quòd nimirum occisor, seu parricida insutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia in vicinum mare, vel amnem proiiciatur, tanquam Christianismo repugnans in vsu esse desiit.*

8 *Ea pœna per legem Pompeiam extensa fuit dum quis socerum, socrum, generum, nurum, vitricum, priuignum, & ex transuersalibus fratrem, sororem, vsque ad fratres consobrinos inclusiuè occiderit.*

9 *Item si maritus vxorem, aut vice versa, vxor maritum.*

10 *Ex persona occisi quis à pœna homicidij in totum eximitur, si aggressorem, seu inuasorem occiderit, dum aliter vitæ periculum vitare non possit.*

11 *Dicta pœna minuitur si in occidendo aggressorem quis excesserit modum inculpatæ tutelæ, cùm ictus non dantur ad mensuram.*

12 *Furem nocturnum qui occiderit, vel diurnum qui se telo defendat, facta prius acclamatione eximitur à pœna.*

13 *Item occidens latronem prætereuntibus per vias publicas insidiantem, signanter si aggressor fuerit, nullam meretur pœnam.*

14 *Transfugas impunè licet occidere.*

15 *Hodie in Italia id receptum est quoad bannitos, quos cuique licet impunè occidere, non quidem de iure communi, sed vigore statutorum desuper editorum.*

16 *Item licet impunè occidere sibi siue mari, siue fœminæ stuprum per vim inferentem, seu inferre attentantem.*

17 *Marito ea de causa licitum est adulterum, cum vxore domi suæ in adulterio deprehensum impunè occidere.*

18 *Maritus si iusto dolore motus occidendo adulterum modum à lege præscriptum excesserit, pœna mitiori, nimirum relegationis extra ordinem plectitur.*

19 *Si quis inuadentem propria sua bona pro bonorum suorum conseruatione occiderit, eximitur à pœna homicidij.*

1. EX persona occisi † tenetur pœna homicidij, siue occisus fuerit seruus, siue perfectæ ætatis, siue infans. *l. si quis*
2. *necandi* 8. *C. eod.* adeò vt † pro fœtu iam formato, nondum tamen in lucem edito, teneatur. *d. l.* 38. §. *qui abortionis, in*
3. *l. fin. ff. de pœn.* Et quandoque † augetur pœna si occisus fuerit Princeps, vel in eius necem attentatum, seu conspiratum fuerit, vel in Magistratus odio Principis. *l.* 1. & passim *toto tit. ff. ad leg. Iul. Maiestat.* & de Magistratibus
4. † sub Summo Pontifice temporalem iurisdictionem exercentibus, si quid in eos attentetur, text. est *in cap. vn. de hom.*
5. *in Extrauag. Ioan. XXII.* & de Cardinalibus † *in cap. fœlicis, de*
6. *pœn. lib.* 6. si parentes, † vel liberi fuerint occisi, pœnâ parricidij tenentur, de qua *in l. pen. ff. ad leg. Pompei. de parricid.* quæ renouata fuit à Constant. *l. vnic. C. de his qui paren. vel*
7. *liber. occider.* licèt hodie † prout antea in vsu esse desierit; sed
8. leg. Pompeia *de parricid.* ea pœna † extensa fuit, nedum in eos, qui liberos, vel parentes occiderint, verùm etiam si socerum, socrũ, generum, nurum, vitricum, priuignum, & ex transuersalibus fratrem, sororem vsque ad fratres conso-
9. brinos inclusiuè. Item † & si maritus vxorem, aut vice
10. versâ, vxor maritum. *l.* 1 *ff. de parricid.* Quandoque † ex persona occisi quis à pœna in totum eximitur, vel minuitur,
11. puta si quis aggressorem, † seu inuasorem occiderit, dum aliter periculum vitæ vitare non posset. *l.* 2. *&* 3. *C. ad leg. Cornel. de sicar.* Paul. *lib.* 5 *sentent. tit.* 23. §. 3. *l. vt vim. ff. de iustit. & iur.* & fusè Clar. ea de re §. *vlt. quæst.* 60. qui si in occidendo excesserit modum inculpatæ tutelæ, cùm ictus non dentur ad mensuram, extra ordinem mitiùs punitur.
12. Item si † furem nocturnum. *l. furem. ff. eo. Exod. cap.* 21. *vers.* 2. *&* 3. si diurnum, qui se telo defendat, factâ priùs tamen
13. acclamatione. *l.* 4. *ff. ad leg. Aquil.* si latronem † prætereun-
14. tibus per vias publicas insidiantem. *l. si vt allegas. C. eod.* præsertim si fuerit aggressor. *d. l.* 2. Item transfugas † licet im-
15. punè occidere. *l.* 3. §. *fin. ff. eod.* quod hodie † intra Italiam extra bannitos vsu receptum est, de quibus apud Clar. *in* §. *homicidium, è num.* 52. vbi quòd id locum habeat non quidem de iure communi, sed vigore statutorum desuper edi-
16. torũ. Item licet † impunè occidere sibi siue mari, siue fœmi-

næ

næ per vim ſtuprum inferentem, ſeu inferre attentantem. *d.l.* 1. *§.pen.ff.eod.*Paul.*d.tit.*23.§.3.vnde & ea de cauſa † marito permiſſum eſt adulterum cum vxore in adulterio deprehenſum impunè occidere.*d.l.*1. *§.fin.l.Gracchus.C.ad leg. Iul.de adulter.* & ſi exceſſerit † modum à lege præſcriptum, iuſto dolore motus pœna mitiori, puta relegationis extra Ordinem plectitur. *d.l.Gracchus,in fin.* Denique ſi inuadentem † bona quis occiderit pro bonorum ſuorum conſeruatione. *l.6.C.ad leg. Iul.de vi publ.vel priuat.* 17. 18. 19.

---

§. VII.

SVMMARIVM.

1 *Ab euentu ſecuto per conſuetudinem generalem hodie homicidij pœna in totum regulatur.*

2 *De iure communi non exitus, ſeu euentus, ſed voluntas tantùm attenditur.*

3 *Cogitationis pœnam nemo patitur, niſi quatenus ad actum deducta fuiſſet, puta quia occidendi animo vulneraſſet, licèt ex vulnere mors ſecuta non fuiſſet.*

4 *Hodie iuxta dictam conſuetudinem generalem non animus, ſeu voluntas occidendi attenditur, ſed ita demum pœnam homicidij incurrit ſi mors ex vulnere ſecuta fuiſſet.*

5 *Iuris rigor temperatus fuit per dictam conſuetudinem generalem, inſpecto nimirum quod à clementiſſimo quoque fieret.*

6 *Vulnerans tenetur de occiſo, ſi fuerit illatum vulnus lethale, ex quo vulneratus poſt 30. aut 40. dies deceſſerit.*

7 *Idem iuris obtinet ſi poſt longum interuallum vulneratus deceſſerit, dummodo id non occiderit Medici imperitia, ſeu vulnerati culpa, aut negligentia.*

8 *Vulnus mortiferum iudicatur ex relatione Medicorum, & partibus corporis, in quibus vulneratus fuit, puta ſi in cerebro, gula, pectore, inteſtinis, & his ſimilibus.*

9 *Vulneratus lethaliter decedens poſt octauum menſem à vulnere accepto cenſetur ex eo vulnere deceſſiſſe, nec vulnerans eo caſu pœnam homicidij vitare poteſt, prætextu culpæ ipſius vulnerati, ſeu imperitiæ Medicorum.*

AB

1. AB euentu homicidij pœna † hodie in totum regulatur, attenta nimirum consuetudine generali, per quam recessum fuit à decisione, de qua *in l.1. §.D.Adria-*
2. *nus, ff. ad leg.Cornel. de sicar. & in l.7.C.eod.* Et eo iure † inspecto non exitus, seu euentus, sed voluntas specta-
3. batur. *l. Diuus. ff. eod.* quamuis cogitationis † pœnam nemo pateretur. *l. cogitationis. ff. de pœn.* nisi quatenus ad actum deducta fuisset, puta quia occidendi animo vulnerasset, licèt ex vulnere mors non fuisset sequuta: vt abun-
4. dè suprà edoctum fuit; hodie verò † iuxta d. consuetudinem generalem non animus, seu voluntas occidendi attenditur, sed ita demum pœnâ homicidij tenetur, qui vulnerauit, si mors ex vulnere sequuta fuerit, per text. *in d.l.aut facta. §.euentus. ff. de pœn.* Inspecto scilicet quòd à clementissimo quoque fieret, non autem iuris rigore, qui postea
5. † per dictam consuetudinem generaliter temperatus fuit.
6. Itaque si necandi † animo lethale vulnus illatum fuerit, ex quo vulneratus post aliquot dies, puta intra 30. seu 40. decesserit, vulnerans tenetur de occiso. *l.ait lex. §.1 ff.ad leg.*
7. *Aquil.* vbi id procedere vult, etiamsi † post longum interuallum decesserit. *l.ita vulneratus. l.si ex plagis. ff.eod.* dummodo id non acciderit Medici inscitia, seu vulnerati culpâ,
8. vel negligentiâ. Vulnus autem mortiferum † iudicatur ex relatione Medicorum, & partibus corporis, in quibus fuerit vulneratus, puta in cerebro, gula, pectore, intestinis, & his
9. similibus, & ita vulneratus † decedens, licèt post octauum mensem à vulnere accepto censetur ex eo decessisse. *l.huic scriptura. §.1. ff. ad leg. Aquil.* Ita vt neque vulnerans possit pœnam homicidij prætextu culpæ, seu Medicorum imperitiæ, euitare.

---

§. VIII. & vlt.

SVMMARIVM.

1 *Vulnerans non tenetur de occiso, sed de vulnere tantùm, si vulnus non fuerit lethale, sed leue, & quod facile curari possit,*

possit, acceptum puta in manibus, vel natica, & quòd tale declaratum sit per Medicorum relationes.

2 *Vulnerans eo casu rectè se excusat & eximit à pœna ordinaria homicidij, si alleget mortem secutam fuisse vel imperitia Medicorum, vel negligentia, seu culpa ipsius vulnerati.*

3 *Dum res versatur in dubio, vulnus sit lethale necne, morte secuta plenè probari debet id accidisse Medicorum imperitia, vel culpa vulnerati.*

4 *Talis probatio magnum accipiet adminiculum si post 40. dies à vulnere accepto vulneratus decesserit, qui à Medicis praescribuntur, vltra quos nimirum lethaliter vulneratus viuere non possit.*

5 *Poterit vulnerans eo casu se iuuare ea iuris praesumptione, quae elicitur ex iure sacro, nimirum si vulneratus intra triduum à vulnere accepto surrexerit, & baculo innixus ambulauerit quae communiter recipitur à iuris Interpretibus.*

6 *Relatio vnius Medici, seu chirurgi, sufficit pro qualitate vulneris probanda, si tamen iuramento interposito facta fuerit.*

7 *In magnis ciuitatibus duo adhiberi solent ex stylo curiarum.*

8 *Arbitrio iudicis committitur quanta fides sit adhibenda eiusmodi relationibus, inspecta nimirum facti & personarum qualitate.*

9 *Temporis item ratio est habenda: maior namque fides adhibetur relationi quae fit initio processus informatiui, quàm ea quae fit postea instante reo.*


10 *Ex statuto Auen. seu stylo curiarum eiusdem ciuitatis, chirurgi tenentur statim atque vulneratum prima vice curauerint, eorum relationem penes acta reponere super qualitate vulneris illati.*

11 *Relatio super qualitate vulneris instante reo ad eius defensam facta posteriori tempore vtplurimum fieri solet accepta pecunia in gratiam ipsius rei.*

AVt non est vulnus † lethale, sed leue, & quod facile 1.
curari possit, puta in manu, vel in natica, vel alia simili corporis parte, & tale declaratum per Medicorum relationes, tunc non tenetur de occiso, sed de vulnere tantùm, *l. qui occiderit. §. fin. ff. ad leg. Aquil.* Ita vt eo casu † rectè 2.

se excuset, & eximat à pœna ordinaria, si alleget mortem sequutam fuisse, vel imperitia Medicorum, vel negligentia,
3. seu culpa ipsius vulnerati. Quòd si dubium sit, † an vulnus fuerit lethale, vel non, tunc morte sequuta plenè probandum erit id accidisse vel Medicorum imperitia, vel culpa
4. vulnerati id contigisse, quæ probatio † adminiculata erit si post quadraginta dies decesserit, qui à Medicis præscribuntur, vltra quos lethaliter vulneratus viuere non possit, ita Clar. *in d. §. homicidium, è n. 41. vsque ad n. 44.* signanter *d. n. 44.* Adde text. singularem *in c. significasti, & l. 2. de homic.* & pote-
5. rit † eo casu se iuuare ea iuris præsumptione, quæ elicitur ex iure sacro apud *Exod. c. 21. vers. 19.* relato per Accurs. *in l. vn. verb. depulsa. C. de emend. seruor.* nimirum si intra triduum surrexerit, & baculo innixus ambulauerit, quod communiter receptum firmat Clar. *d. n. 44. in fin.* Et ita ibi declarat Baiard. ad Clar. *n. 158.* & Clarus *ibidem, n. 43.* firmat sufficere
6. relationem † vnius Medici, seu Chirurgi super qualitate
7. vulneris, quæ tamen sit iurata, prærerquam si in magnis † ciuitatibus stylus hoc habeat quòd duo adhibeantur, & quanta fides eorum relationi danda sit, id totum committi arbi-
8. trio iudicis, † inspecta nimirum facti & personarum quali-
9. tate, & habita præterea ratione temporis, † vt scilicet maior fides adhibeatur relationi quæ fit vtplurimum initio
10. processus informatiui, quam facere tenentur † Chirurgi ex statuto Auen. seu stylo Curiarum eiusdem, statim atque vulneratum prima vice curauerint, quàm relationi, quæ postea instante reo ad eius defensam, quia vtplurimum accepta
11. † pecunia in gratiam ipsius rei fieri soleat, vt experientia manifestè docet.

FINIS.



DE VSVFRVCTV.



TRACTATVS iste in quinque capita distribuendus erit, in quorum
I. Definitio siue nominis, siue rei explicabitur.
II. Diuisio.
III. Modi quibus constituitur, & in esse producitur.
IV. Effectus.
V. & postremo, modi quibus finitur, & extinguitur.



CAPVT I.

De definitione siue nominis, siue rei.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus dicitur ab vsu & fructu, vsus tendit ad necessitatem, fructus, cui necessariò vsus inest, omnem includit commoditatem.*


2 *Vsusfructus ex Paulo est ius vtendi fruendi rebus alienis, saluâ earum substantiâ.*

3 *Dicta definitio non potest referri ad vsumfructum improprium, qui causalis dicitur.*

4 *Iuris appellatione veniunt ea omnia, quæ in iure consistunt, intellectu tamen percipiuntur, nec censibus corporeis subiiciuntur, vt dominium, obligatio.*

se excuset, & eximat à pœna ordinaria, si alleget mortem sequutam fuisse, vel imperitia Medicorum, vel negligentia,
3. seu culpa ipsius vulnerati. Quòd si dubium sit, † an vulnus fuerit lethale, vel non, tunc morte sequuta plenè probandum erit id accidisse vel Medicorum imperitia, vel culpa
4. vulnerati id contigisse, quæ probatio † adminiculata erit si post quadraginta dies decesserit, qui à Medicis præscribuntur, vltra quos lethaliter vulneratus viuere non possit, ita Clar. *in d. §. homicidium, è n. 42. vsque ad n. 44.* signanter *d. n. 44.* Adde text. singularem *in c. significasti, & l. 2. de homic.* & pote-
5. rit † eo casu se iuuare ea iuris præsumptione, quæ elicitur ex iure sacro apud *Exod. c. 21. vers. 19.* relato per Accurs. *in l. vn. verb. depulsa. C. de emend. seruor.* nimirum si intra triduum surrexerit, & baculo innixus ambulauerit, quod communiter receptum firmat Clar. *d. n. 44. in fin.* Et ita ibi declarat Baiard. ad Clar. *n. 158.* & Clarus *ibidem, n. 43.* firmat sufficere
6. relationem † vnius Medici, seu Chirurgi super qualitate
7. vulneris, quæ tamen sit iurata, præterquam si in magnis † ciuitatibus stylus hoc habeat quòd duo adhibeantur, & quanta fides eorum relationi danda sit, id totum committi arbi-
8. trio iudicis, † inspecta nimirum facti & personarum quali-
9. tate, & habita præterea ratione temporis, † vt scilicet maior fides adhibeatur relationi quæ fit vtplurimum initio
10. processus informatiui, quam facere tenentur † Chirurgi ex statuto Auen. seu stylo Curiarum eiusdem, statim atque vulneratum prima vice curauerint, quàm relationi, quæ postea instante reo ad eius defensam, quia vtplurimum accepta
11. † pecunia in gratiam ipsius rei fieri soleat, vt experientia manifestè docet.

FINIS.



DE VSVFRVCTV.



TRACTATVS iste in quinque capita distribuendus erit, in quorum

I. Definitio siue nominis, siue rei explicabitur.

II. Diuisio.

III. Modi quibus constituitur, & in esse producitur.

IV. Effectus.

V. & postremo, modi quibus finitur, & extinguitur.



CAPVT I.

De definitione siue nominis, siue rei.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus dicitur ab vsu & fructu, vsus tendit ad necessitatem, fructus, cui necessariò vsus inest, omnem includit commoditatem.*

2 *Vsusfructus ex Paulo est ius vtendi fruendi rebus alienis, saluâ earum substantiâ.*

3 *Dicta definitio non potest referri ad vsumfructum improprium, qui causalis dicitur.*

4 *Iuris appellatione veniunt ea omnia, quae in iure consistunt, intellectu tamen percipiuntur, nec censibus corporeis subiiciuntur, vt dominium, obligatio.*

5 *Dominium est ius liberè disponendi de rebus propriis.*

6 *Obligatio est ius quo quis astringitur ad quid dandum, vel faciendum.*

7 *Actio est ius persequendi in iudicio quod nostrum est, vel nobis debetur.*

Item seruitutes, siue personis, siue rebus debeantur, ibid.

8 *Vsusfructus differt ab vsu in eo quòd qui vsum habet, vtitur ad necessitatem, non vltrà; qui verò vsumfructum habet, etiam citra necessitatis causam vtitur ad commoditatem & lucrum.*

9 *Differt item à reliquis seruitutibus, quia in his certus modus præscriptus est, nec illis vltra eum vtimur; secus in vsufructu, cuius vigore omnino commoditatem fructus percipit.*

10 *Res sua nemini seruit.*

11 *Vsusfructus dicitur pars dominij dum vindicatur, quasi vindicans sit dominus seruitutis, non ipsius rei.*

12 *Non potest mutare formam rei qua vsumfructum debet, etiamsi ex ea mutatione maiorem habiturus esset vtilitatem.*

13 *Facultas liberè disponendi de rebus propriis, etiam mutata forma in deterius, locum habet non solùm in vero domino, sed etiam in vtili, seu emphyteuta.*

14 *Hæres grauatus sub conditione, ea pendente est verè dominus, & alienata per eum sustinentur vsque ad conditionis euentum.*

15 *Superficiarius emphyteuta & vasalli sunt domini vtiles.*

16 *Superficiarius soluendo domino soli salarium, seu pensionem annuam, habet vtilem rei vindicationem si saltem ad decennium solum conduxerit.*

17 *Emphyteuta soluendo canonem annuum, habet etiam vtilem rei vindicationem.*

18 *Feudatarius transmittit vtile dominium sibi competens ad hæredes sanguinis tantùm; emphyteuta verò & superficiarius transmittunt ad quoscunque successores.*

19 *Fructuarij ius personale est, & cum eius persona extinguitur.*

20 *Fructuarius non vtendo amittit ius suum.*

21 *Superficiarius emphyteuta & vasallus possunt mutare formam rei, maximè in melius.*

22 *Conductori qui cœpit vti frui, competit tantùm actio in personam*

ſonam locantis, vt patiatur eum vti frui, non autem ius in re.

23 *Maritus in rebus paraphernalibus neque dominium, neque vſumfructum obtinet.*


24 *Maritus habet plenum dominium in rebus dotalibus, ſi dentur æſtimata ea æſtimatione quæ facit emptionem; ſi verò dentur inæſtimata, habet quidem dominium, ſed iuris interpretatione tantùm, id eſt, exercitium actionum.*

25 *Dos eſt patrimonium mulieris.*

26 *Maritus habet dotem titulo oneroſo.*

27 *Marito à lege interdicitur alienatio bonorum dotalium.*

28 *Maritus rei dotalis formam mutare poteſt, modò non in deterius, nec amittit ius ſuum non vtendo.*



DEFINITIO † nominis ab vſu & fructu deducitur, quorum primus ad neceſſitatem tendit, ſecundus, cui etiam neceſſarius vſus ineſt, commoditatem omnem includit. *l. per ſeruum. §. 1. ff. de vſu & habitatio. l. vſufructu legato. ff. de vſufr.* 1.

Sic autem definitur † ex Paulo *in l. 1. ff. de vſufr.* & Iuſtin. *in §. 1. Inſtit. eod. tit.* vt ſit ius vtendi fruendi rebus alienis, ſaluâ rerum ſubſtantiâ, quæ definitio referenda erit ad proprium, verum & formalem vſumfructum, qui per ſe ſubſiſtit, non ad improprium, † qui cauſalis dicitur, tanquam dominio cohærens, & ab eo cauſatus. *l. 5. ff. ſi vſusfructus petat. l. ſi ita ſtipulatus 126. §. 1. ff. de verbor. obligat.* Ius itaque in ea definitione generis locum obtinet; iuris † namque appellatione omnia quæ in iure cõſiſtunt, & intellectu tantùm percipiuntur, nec ſenſibus corporeis ſubiiciuntur, veniunt, de quibus *in §. 1.* & paſſim *toto tit. Inſtit. de reb. corporal. & incorporal.* & ſic dominium ſub eo includitur, quod † eſt ius liberè diſponendi de rebus propriis, ex notat. *in l. ſi quis vi. §. differentia. ff. de acquir. vel amitten. poſſeſſ.* Item obligatio † quæ eſt ius quo quis adſtringitur ad quid dandum, vel faciendum *§. 1. Inſtit. de obligat.* Actio † etiam quæ eſt ius proſequendi in iudicio quod noſtrum eſt, vel quod nobis debetur. *§. 1. Inſtit. de action.* Veniunt quoque ſeruitutes, ſiue 2. 3. 4. 5. 6. 7.

personis, siue rebus debeantur. §.*fin. Instit. de reb. corpor. & incorpor.* Vnde quidam ex nouioribus generalitatem huiusce dictionis *ius*, restringunt ad ius seruitutis personalis, quo medio excluduntur seruitutes prædiales. Item & alia quæ iurium appellatione veniunt, dicitur vtendi fruendi,
8. ad differentiam vsus, quem † qui habet, vtitur ad necessitatem, non vltrà. *d.l. seruum.* §.1 .*l.*1.2.& 11.*ff. de vsu & habitat.* §.*minus. Instit. eod.* qui vsumfructum etiam ad commoditatem, seu lucrum citra necessitatis causam. *d.l. vsufructu lega-*
9. *to.* Et hinc etiam † distinguitur à cæteris seruitutibus tam personalibus, quàm realibus, in quibus certus modus præscriptus est, intra quem earum iura continentur, nec vltra modum præscriptũ illis vtimur; quod secus est in vsufructu, cuius vigore omnem omnino commoditatẽ fructuarius percipit. *d.l. vsufructu*, dicitur *rebus alienis*, ad differentiã dominij quod in rebus propriis consistit, secus in vsufructu cæte-
10. risque seruitutibus, quia † res sua nemini seruiat. *l. vti frui.*
11. *ff. si vsusfr. petat.* nec obstat *l.*4. *ff. de vsusfr.* quia licèt † vsusfructus in plerisque casibus pars dominij esse dicatur; id tamen non verè, nec semper, sed iuris interpretatione, & in certis tantùm casibus, præsertim dum vindicatur, quasi vindicans sit dominus ipsius seruitutis, non ipsius rei, quæ seruitutem debet. *d.l. vti frui.* Dicitur *salua rerum substantiâ,*
12. quia † non possit mutare formam rei quæ vsumfructum debet, etiamsi ex ea mutatione maiorem habiturus esset vtilitatem. *l. si cuius*, aliàs *l. æquissimum.* §.*fructuarius. ff. de vsufr.* & sic excluditur dominium quod est ius liberè de rebus suis disponendi, ex notat. *in dict. l. si quis vi.* §. *differentia.*
13. Etiam mutata forma in deterius, quod † non solùm obtinet in vero dominio etiã quod nostri *directum* appellant, verùm & in dominio vtili, seu quasi dominio, vnde ea ratione distinguitur fructuarius ab eo, qui grauatur de restituendo re-
14. lictum sub conditione, quia † interim pendente conditione verè dominus sit, & tãquam talis omnem vsumfructum habeat. *l. species, in fin. ff. de aur. & argent. legat.* licèt reuocabiliter, quia existente conditione desinat esse dominus, & per quem interea alienata efficaciter sustineantur vsque ad euentum conditionis. *l. fin.* §. *sin autem. C. commun. de legat.*

Item

Item diſtinguitur à ſuperficiario emphyteuta & vaſallo, quippe qui † habeant vtile dominium rerum ſuperficiariæ 15. emphyteuticæ, & feudalis, & ſic ſuperficiarius † ſoluendo 16. ſolarium domino ſoli, id eſt, penſionem annuam ratione ſoli. *l. etiam. ff qui potio. in pignor. habeantur.* vtilem rei vindicationem ſi ad non modicum tempus, id eſt, ſaltem ad decennium ſolum conduxerit pro ſuperficie ſolo imponenda *l. 1. §. quod ait prætor. ff. de ſuperficieb.* pro ſuperficie vindicanda. *l. ſuperficiario. ff. de rei vindic.* Emphyteuta quoque † ſoluendo canonem annuum, qui penditur in recognitionē dominij directi, habet ſimilem vindicationem. *l. 1. §. 1. cum ſeqq. ff. ſi ager vect. pet.* Idem iuris obtinet in feudatario † qui 18. vtile dominium ſibi competens ad hæredes ſanguinis ſuos deſcendentes maſculos tranſmittit. *§. final. in quib. cauſ. feud. amitt.* inſtar emphyteutæ, qui ad quoſcumque ſucceſſores tranſmittit. *d. l. 1. §. 1.* & ſuperficiarij, ex notat. *in d. §. quod ait prætor.* Et his de cauſis diſtinguuntur à fructuario, cui † ius perſonale competit, quod cum perſona fructuarij ex- 19. tinguitur. *§. finitur. Inſtit. de vſufr.* quod ex dictione *ius*, reſtricta ad ius ſeruitutis perſonalis, deprehenditur, & præterea non vtendo † amittitur. *d. l. ſi ita ſtipulatus 126. §. 1.* 20. nec poteſt mutare formam rei, etiamſi vtilior & fructuoſior ex mutatione res efficiatur. *d. l. ſi cuius. §. fructuarius.* quod tamen † permittitur ſuperficiario emphyteutæ vaſal- 21. lo, præſertim ſi ex mutatione res non deterior fiat, nec ius ſuum non vtendo amittant, quippe qui non ſeruitutem tantùm in re, ſed vtile dominium ipſius rei habeant, & ſic ius potentius. Nec denique conuenit hæc definitio conductori, cui nimirum † etiam poſtquam vti frui cœperit re 22. conducta non competat ius in re, ſed actio tantùm in perſonam ad hæc, vt patiatur eum vti frui re locata durante conductionis tempore. *l. ex conducto. ff. locat.* cum ſimilibus.

A marito etiam diſtinguitur fructuarius, quia † in rebus 23. paraphernalibus neque dominium, neque vſumfructum obtineat, ſed nudam tantùm adminiſtrationem in rebus propriis vxoris per eam non delatis ad domum mariti, ex notat. per Gloſſ. & DD. *in l. fin. C. de pact. conuent.* tam ſuper dote,

24. dote, quàm donatione propter nuptias. In rebus † verò dotalibus, si quidē fuerint æstimatæ ea æstimatione, quæ facit emptionem, plenum & absolutum dominium transit in maritum. *l. quoties, C. de iur. dot.* veluti & dum res dantur in dotem, licèt inæstimatæ, quæ functionem recipiunt in genere suo. *l. res in dotem. ff. de iur. dot.* Dum autem aliæ res inæstimatæ dantur in dotem, tunc dominium iuris ciuilis interpretatione transit in maritum, vnde exercitium actionum vxori competentium solus habet, etiam realium. *l. doce ancillam. C. de rei vindicat.* licèt vxor non propterea minus maneat verè & naturaliter domina, nec propterea veritas maneat confusa, vel deleta. *l. in rebus. C. de iur. dot.* vnde quamuis censeatur esse in bonis mariti, non tamen ex eo admittatur ad munera suscipienda. *l. Lucius. §. idem. ff. ad*
25. *municip.* cùm † verè sit patrimonium mulieris. *l. 3. §. ergo filiamfam. ff. de minor.* & fructus dotis quodammodo in effectu ad vxorem perueniant postquā maritus de illis sustinere debet onera matrimonij *l. pro oneribus. C. de iur. dot.* qua de causa
26. † maritus dicitur dotem consequi ex causa onerosa, non lucratiua, instar emptoris, seu creditoris. *l. ex promissione. ff. de act. & oblig.* Ex eo tamen quòd dominus efficitur quoad plenam administrationem, & plenum vsumfructum iuris ciuilis
27. lis interpretatione, licèt † sibi lege interdicatur alienatio. *§. 1. Inst. quib. alienar. lic. vel non,* potentius ius obtinet, quàm fructuarius, & idcirco liberius de re dotali disponit, quàm
28. fructuarius. Etiam † rei formam immutando, dummodo non in deterius, quod fructuario non permittitur, etiamsi mutatio foret vtilior. *d. l. si cuius. §. fructuarius.* nec amittit ius suum non vtendo vt fructuarius.

CAPVT



CAPVT II.

De Vsusfructûs diuisione.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus diuiditur in conuentionalem, & legalem.*
2 *Vsusfructus conuentionalis sumit initium ab hominis dispositione, testamento nimirum, pacto, vel adiudicatione.*
3 *Iudicis factum censetur factum partis.*
4 *Contractus qui solo consensu perficiuntur, actiones producunt efficaces.*
5 *Stipulatio non aliò tendit, quàm ad firmandas cæteras obligationes.*
6 *Vsusfructus realiter constituitur si post præambulam dispositionem sequatur illius quasi traditio.*
7 *Vsusfructus quasi traditio fit per patientiam domini prædij, cuius vsusfr. relictus, vel promissus erat.*
8 *Seruitutum realium quasi traditio fit etiam per patientiam domini prædij seruientis.*
9 *Fructuarius vsumfructum sibi quæsitum vindicare potest actione confessoria.*
10 *Vsumfructum promittere potest etiam qui fundum non habet, licèt realiter eum constituere non possit.*
11 *Dominus soli potest futuro ædificio seruitutem imponere.*
12 *Seruitus siue personalis, siue realis, efficaciter constituitur per pactum.*



DIuiditur vsusfructus in duas potissimum species, nimirum in eum, qui † hominis dispositione inducitur, quem nostri conuentionalem, licèt minus propriè, appellant, & eum, qui sola legis dispositione, siue hominis facto constituitur, & legalis denominatur. Prior † ille initium sumit vel à dispositione facta in vltima voluntate, puta dum testamento, seu codicillis vni legatur vsusfructus, alteri proprietas, vel alicui 1. 2.

Z z proprie-

proprietas, deducto vsufructu, vel simpliciter vsufructus. *l.3.l.6.ff.de vsufr.§.vsusfructus.Instit.de vsufr.* Vel à dispositione facta inter viuos, puta dũ pactionibus & stipulationibus vsusfructus promittitur. *d.l.3.§.& fine testamẽto,& §.fine testamento. Instit.eod.* quod etiam obtinet in seruitutibus realibus. *§.fin.Instit.de seruitut.vrbanor. & rusticor.prædior.* Vel denique per adiudicationem, dum scilicet arbiter familiæ ercifcundæ, seu communi diuidundo vni proprietatem, alteri vsumfructum adiudicat. *l.6.§.constituitur.l.& puto.§.1. ff.fam.ercifcun.l.si quis putans. §.officio.ff.commun.diuidun.* quæ
3. adiudicatio partium conuentioni adscribitur, quia † iudicis factum censeatur partis factum, ex notatis *in l.ancillam. C.de fideicom.libert.* Sed quia ex nudo pacto non oritur actio. *l.iurisgentium.§.sed cum nulla.ff.de pact.* quod de pactionibus dicitur, id accipiendum erit de contractibus, quorum
4. † plerique solo consensu perficiuntur, & actiones producunt efficaces. *d.l.Iurisgentium, in princ.* vel de pactis nudis, incontinenti adiectis dictis contractibus, per quæ tunc actiones ex eis nascentes informãtur. *d.l.Iurisgentium.§.quinimo.* De stipulatione verò non dubitatur quin actionem
5. producat, quippe quæ † non aliò tendat, quàm ad firmandas cæteras obligationes. *l.5.§.conuentionales.ff.de verbor. obligation.* vnde ex præmissis nascentur actiones personales ad consequendum vsumfructum realiter, & in effectu.
6. Realiter autem † constituitur vsusfructus, si post præambulam dispositionem sequatur illius quasi traditio, quæ
7. † fit per patientiam domini prædij, cuius vsusfructus relictus, vel promissus erat, si inducat fructuarium in illud prædium, cumve patiatur vti frui. *d.l.3.§.dare.ff.de vsufr.*
8. prout in seruitutibus † realibus, fit qua sitraditio si dominus prædij seruientis patiatur dominum prædij dominantis vti seruitute promissa adiudicata, seu relicta. *l.fin.ff.de seruitut. tit.generali.* Cuius quasi traditionis medio vsusfructus formatur, & in esse deducitur, & ius reale quæritur fructuario.
9. Ita vt abinde possit † eam seruitutem vsusfructus sibi iure quasi dominij quæsitam vindicare actione confessoria, qua instar vindicationis rerum corporearum, de qua *in tit.ff.& C.de rei vindicat.* iura nobis quæsita vindicantur.

l.2.

l.2.ff.si seruit. vindic. §. *æquè. Instit. de action.* Inde etiam fit, † vt qui fundum non habet, vsumfructum, vel aliam serui- 10.
tutem promittere possit. *l. hæredes.* §. *contra. ff. fam. ercisc.* quamuis qui fundum non habet, non possit eam realiter constituere. *l.1.*§.*1.ff.commun.prædio.* Futuro tamen ædificio † do- 11.
minus soli seruitutem imponere, vel acquirere potest. *l. si seruitus 22.* §. *fin. ff. de seruitut. vrban. prædior. l. Labeo. ff. de seruitut rustic. prædio* quia solùm habeat cui ædificium futurum superimponetur, & ei cedet. Et dum † res traditur, puta 12.
ex causa venditionis, donationis, permutationis, diuisionis, & his similibus, ad effectum transferendi dominij, ex notat. *in* §. *vendita. Instit. de rer. diuis.* si in traditione lex abiiciatur, seu pactum, vt seruitus personalis, seu realis rei traditæ imponatur, vel acquiratur, seruitus efficaciter reipsa constituitur. *l. ei fundo. ff. de seruitut. & l. cùm essent. ff. de seruit. rustic. præd.*

---

§. I.

SVMMARIVM.

1. *Vsusfructûs legatum duplex est, aliud vindicationis, vel præceptionis, aliud quod fiebat per damnationis, seu sinendi modum.*
2. *Legati per vindicationem dominium recto tramite ipso iure transit in legatarium, etiam à die mortis.*
3. *Legatum per vindicationem non potest fieri, nisi de re propria testatoris.*
4. *Legatum per damnationem olim non transibat in legatarium, nisi ab hærede traderetur, qui eo casu dare damnabatur, seu iubebatur.*
5. *Legatorum differentiæ hodie sunt antiquatæ, & omni casu rei legatæ dominium transit ipso iure in legatarium, si tamen legans fuerit dominus.*
6. *Vsusfructus in vltima voluntate relictus, hodie sine hæredis traditione constituitur.*
7. *Seruitutes reales hodie constituuntur sine traditione.*

SEd an vsusfructus legatus ipso iure sine quasi traditione constituatur, dicendum videtur ex Iustin. *in* §. 1. *Instit. de vsufr.* ipso iure constitui. Contrarium verò ex Caio *in l.* 3. *ff. eod.* vbi modum quasi traditionis faciendæ per hæredem legatario vsusfructus declarat. quæ iura inuicem pu-
1. gnare videntur, sed conciliantur facta distinctione † inter legatum vindicationis, vel præceptionis, & legata quæ fiebant olim per modum damnationis, seu sinendi modum, de quibus *in* §. *sed olim*, & *ibi* Theoph. & post eum cæteri, *Instit. de legat.* per Cai. *in sua Instit. lib.* 2. *sub tit. de legat.* Vlpian. *in fragment. tit.* 24. Paul. *lib.* 3. *receptar. senten. eod. tit. in*
2. §. *vsusfructus*, *& seqq.* & *ibi* Cuiac. Quia † rei legatæ per vindicationem dominium ipso iure recto tramite transit in legatarium, etiam à die mortis, per text. *in l. à Titio. ff. de furt. & in l. legatum* 80. *ff. de legat.* 2. cùm verba legati eo casu ad legatarium dirigantur, quibus testatoris intentio deprehenditur ea fuisse, vt legatarius statim dominus
3. fieret, vnde nonnisi res † propria testatoris eo modo lega-
4. ri potest, ex Vlpian *vbi suprà*; rei † verò per damnationem legatæ non aliter dominus efficiebatur legatarius, quàm si sibi per hæredem tradita fuisset qui dare eo casu damnatur, seu iubetur legatario, qualia referuntur verba *in d. l.* 3. vnde *l.* 6. *ff. de vsufr.* à qua Iustinian. *d.* §. 1. deprompsisse videtur, accipienda erit de legato vindicationis, licèt Iustinian. ita simpliciter *in d.* §. 1. loquutus fuisse videatur alia ratione,
5. quia hodie † ex constitutione eiusdem *in l.* 1. *C. commun. de legat.* sint antiquatæ eiusmodi legatorum differentiæ, & omni casu rei legatæ dominium in legatarium ipso iure
6. transeat si legans dominus fuerit, vnde hodie † vsusfructus semper & omni casu in vltima voluntate relictus ipso iure constituitur sine hæredis traditione, seu quasi, *dict.* §. 1. &
7. idem iuris obtinet † in seruitutibus realibus. *l. fin. ff. de seruit. legat.* cum simil. & ex notat. *in l. corruptionem. ff. de vsufruct.*

§. II.

§. II.

SVMMARIVM.

1 L. 1. ff. si vsusfruct. petat. *qua infertur, vsumfructum non esse constitutum ante traditionem, accipienda est de vsufructu legato per damnationem.*

2 *Rei vindicatio semper & omni casu hodie competit pro consequendis legatis.*

3 L. Papinianus. ff. de seruitut. *accipienda est de legato per damnationem facto.*

4 *Legatum vsusfructus earum rerum, quæ vsu consumuntur, non transit recta via in legatarium.*

5 *Legatarius vsusfructus non potest propria authoritate apprehendere possessionem rei legatæ, sed eam debet accipere à manu hæredis.*

6 *Legatum conditionale non transit ipso iure in legatarium.*

OBstare tamen videtur prædictæ conclusioni text. *in l. 1. ff si vsusfr. petat.* vbi dicitur seruitutes † impositas præ- 1.
dio fructuario cum aliis damnis illatis ante traditionem, seu quasi, valere quidem. Sed fructuario hoc quod interest præstandum esse, & ex eo infertur ius vsusfructus non fuisse constitutum ante dictam traditionem, quia non possit proprietarius nequidem consentiente fructuario seruitutem imponere, nisi quatenus deterior fructuarij conditio non fiat. *l. sed si quid* 15. § *fin. cum l. seq. ff. de vsufr.* Sed respondendum text. *in d. l.* 1. accipiendum iuxta distinctionem suprà relatam ex iure antiquato, videlicet de legato vsusfructus per damnationem facto, quod indicant illa verba, *ex testamento petitus*, quia ibi peteretur vsusfructus actione personali ex testamento quæ in legato damnationis dabatur sola. nam si per vindicationem relictus fuisset, non personalem actionem, sed rei vindicationem tanquam dominium ipso iure consequutus instituisset, quæ † hodie semper 2.
& omni casu competit, sublatis dictis legatorum differentiis, *dict. l.* 1. & dicti iuris antiqui manent adhuc in Pandectis pleraque vestigia; inter cætera † verò *in l. Papinianus* 3.

 notat.

notat. ff. de seruit. quia seruitutes confundebantur aditione hæredis, cuius puta fundo debebatur seruitus per fundum legatum, aut cuius fundus prædio legato seruitutem debebat, vnde priore casu datur doli exceptio aduersùs legatarium, nisi patiatur eas imponi. *d. l. Papinianus*; posteriore verò actio ex testamento superest, nisi per hæredem restituatur seruitus. *l. legatum 116. §. fin. ff. de legat. 1.* quæ iura accipienda de legato damnationis. Aliàs namque, cùm dominium non transeat in hæredem, sed recta via in legatarium *d. l. à Titio*, ea decisio non subsistit. Quamuis autem
4. hodie † dominium omni casu transeat, fallit tamen ex communi in vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur, cuius substantia in cautione consistit. *l. 1. ff. de vsufr. earum rer.*
5. *quæ vsu consum.* Idem fallit † in possessione apprehendenda, quam propria auctoritate accipere prohibetur, sed à manu hæredis accipit. Aliàs namque vel priuatur iure suo, *l. non est dubium. C. de legat.* vel hæreditatis possessionem restituit interdicto Quorum legatorum. *l. 1. §. 2. versic. redigit igitur. ff. quor. legat. l. vnic. C. eod.* Licèt enim dominus fiat, non tamen possessor nisi demum possessione apprehensa instar hæredis, *l. cùm hæredes. ff. de acquir. poss.* Tertia poterit addi
6. fallentia † in legato conditionali, in quo Accurs. & alij, exemplificant casum *in d. l. Papinianus.*

---

§. III.

SVMMARIVM.

1. *Vsusfructus legalis est qui iuris potestate & sola legis dispositione inducitur absque facto & dispositione hominis.*
2. *Authentica* In donatione, *& Authentica* Lucrum. C. de secund. nupt. *non sunt in vsu.*
3. *Lucrorum quæ super dote & donatione propter nuptias contingunt, proprietas pertinet hodie ad filios, etiam superstite non transeunte ad secunda vota.*
4. *Coniugum superstes qui ad secunda non conuolat vota, virilem habet portionem dictorum lucrorum, etiam quoad proprietatem.*

5 *Coniux*

5 *Coniux superstes qui ad secunda conuolat vota, perdit proprietatem eorum, quæ de bonis coniugis prædefuncti habuit titulo lucratiuo, etiam medio successionis filiorum ex eo matrimonio defunctorum, limita vt num. 6.*

7 *Proprietas quæ superstitem coniugem renubentem deseruerat, ad eum reuertitur, & cum vsufructu consolidatur, si filij qui ex eo matrimonio supererant, desierint esse in rerum natura.*

ALtera species vsusfructus ex secundo diuisionis prædictæ membro, denominatur legalis, qui sic describitur, vt sit qui † iuris potestate & sola legis dispositione 1. inducitur, absque aliquo facto, seu dispositione hominis defertur, qualis est vsusfructus lucrorum nuptialium, vel honorum à coniuge prædefuncto prouentorum, coniugi superstiti competens, ex sola legis dispositione, præsertim si ad secunda conuolauerit vota, vel patri in bonis aduentitiis filij in eius potestate positi, siquidem quoad lucra quæ coniux superstes à coniuge prædefuncto habuit, olim pleno iure sibi acquirebantur, sed superstite ad secundas transeunte nuptias, eum proprietas deserebat, quæ filiis ex eo matrimonio lege deferebatur solo vsusfructu penes superstitem remanente. *Auth. in donatione, & Auth. lucrum. C. de secund. nupt.* licèt † postea id fuerit emendatum cum eorum lucrorum, 2. scilicet quæ super dote, vel donatione propter nuptias contingunt, proprietas † filiis delata fuerit lege ita ordi- 3. nante, etiam coniuge superstite non transeunte ad secundas nuptias. *Auth. vxore. C. eod. tit.* sed per nouissimum ius † ei non renubenti defertur virilis portio in proprietatem. 4. *Auth. si tamen. C. eod.* In reliquis verò quæ de bonis prædefuncti coniugis ad superstitem titu'o † lucratiuo peruene- 5. runt, etiam medio successionis filiorum ex eo matrimonio prædefunctorum, ita demum eum deserit proprietas, si renupserit. *l. fœmina, in princ. & §. illud. C. eod.* quod tamen restringitur † *in Authent. in testamento, C. eod.* si iure successio- 6. nis intestatæ ea habuisset, secus si ex testamento filij prædefuncti ea sibi post secundas nuptias contractus obuenissent, quia eo casu ob expressam filij voluntatem non priuatur

7. uatis proprietate: proprietas † autem quæ renubentem ea de causa deseruit, vel filiis ab initio delata fuit, ad eum reuertitur, & cum vsufructu consolidatur, si filij, seu liberi, qui ex eo coniugio supererant, in rerum natura esse desierint. *d.§.illud, in fin.*

---

§. IV.

SVMMARIVM.

1 *Filij familias bona aduentitia olim patri pleno iure acquirebantur, ita vt ne momento quidem acquisitio penes filium remaneret.*

2 L.placet. ff.de acquir.vel omit. hæredit. *reuocatur per* l.1. C.de bon.mater. *per quam in bonis à matre, vel ascendentibus maternis obtentis pater solùm vsumfr. habere cœpit, proprietate penes filium remanente.*

3 *Pater habet vsumfructum in bonis filij, etiamsi ex propria industria parata sint.*

4 *Ex possessione filij ius quæritur patri.*

5 *Vsusfructus legalis differt à conuentionali, & num.6.*

7 *Legalis vsusfructus est instar plenissimi dominij.*

8 *Pater renubendo tenetur præstare cautionem quoad mobilia, in quibus legalem obtinet vsumfr. Item tenetur pati descriptionem bonorum si à filio requiratur.*

9 *Pro conseruatione iurium multa permittuntur quæ aliàs non permitterentur.*

10 *Pater deputatus tutor filij sui emancipati tenetur ad ea omnia ad quæ quilibet tutor tenetur.*

1. QVoad verò bona † filiifam. aduentitia, olim pleno iure patri acquirebantur iure patriæ potestatis, ita vt ne momento quidem acquisitio penes filium maneret. *l.placet.*
2. *ff.de acq. vel omitten.hæred.* postea † ex *l.1. C.de bon. mater.* in bonis matre, seu ascendentibus maternis filio obuentis pater solum vsumfructum habere cœpit loco dominij, proprietate ad filium pertinente, quod extensum fuit ad lucra

nuptia-

nuptialia alterutri coniugum obuenta sub potestate patris existenti, ex *l.1. C. de bon. quæ liber.* Et deinde ad omnia † bona filiifam. vndecunque quæsita, etiamsi proprio labore & industria parta forent; aliunde tamen, quàm ex substantia patris. *l.cùm oportet. C. eod.tit.* qui vsusfructus verè legalis est, quia sine hominis facto realiter acquiritur sola legis dispositione, etiam quoad possessionem, postquam ex possessione † filij patri ius quæratur. *§. non solùm. Instit. per quas person. nob. acquirit.* & in eo † *primum* differt à conuentionali, in quo præter hominis dispositionem præambulam ad transferendam possessionem, seu quasi, ipsius vsusfructus requiritur, quasi traditio. argum. *d.l.cùm hæredes. ff. de acquir. vel amitten. possess.* Differt *secundò*, quia † fructuarij conuentionales cauere tenentur de vtendo fruendo, arbitrio viri boni inuentarium facere, & finito vsufructu rationem reddere, & res ipsas, quarum vsusfructus competebat, restituere. *l.1. in princ. & §. rectè. ff. vsufructuar. quemadm. cau.* quæ omnia cessant in vsufructu legali, qui † instar est plenissimi dominij. *d.l.1. C. de bon. matern. dict. l. cùm oportet. §. non autem.* Vnde parens nedum fructuarius, verùm etiam legitimus administrator efficitur cum plenissima potestate, sed cautionem † quoad mobilia, in quibus legalem obtinet vsumfructum, parens renubendo præstare tenetur, ex Castill. *de vsufruct. cap.3. num.98.* per text. *in l. hac edictali §. his illud. C. de secund. nupt.* quod tamen improbat *ibi* Cusa, dum eum text. censet non extendi de matre ad patrem. Item tenetur pati bona vsusfructus describi semper, & omni casu, si nomine filij requiratur, saltem coram Notario & testibus, quod IC. *in d.l.1. §. rectè ff. vsufructuar. quemadm. cau.* appellat in testatum redigi, & differt ab inuentario hæredis, in quo solemnia præterea adhibentur, de quibus *in l. fin. & ibi* DD. *C. de iur. deliberan.* necnon ab inuentario tutoris, quod etiam sua habet solemnia, de quibus *in l. tutor qui repertorium. ff. de administrat. tutor.* cùm ex ea descriptione bona faciliùs conseruentur, nec in dubium reuocari possit finito vsufructu, quænam & quales res ad fructuarium eo nomine peruenerint, & pro conseruatione iurium † quædam permittantur, non inspecto iuris rigore. *l.1. §. sed etsi*

3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

seruus. ff. de ventr. inspicien. Et quod suprà dictum est, fallit
10. in patre † qui non sit administrator legitimus, sed à Magistratu datus, puta tutor filij impuberis emancipati deputatus, quia tenetur tunc ad ea, ad quæ quilibet tutor. *l. si pupillorum. §. si pater. ff. de reb. eor.*

---

§. V.

SVMMARIVM.

1 *Fructuarius legalis potest alienare mobilia, imò & immobilia onerosa, etiam sine decreto, secus conuentionalis.*

2 *Item pro æris alieni & legatorum dissolutione, quod sine decreto aliis administratoribus non licet.*

3 *Pater non habet vsumfructum in aduentitiis, si à matre, aut alio ita dentur, ne vsufr. ad patrem perueniat.*

4 *Item si patri & filio deferatur hæreditas filij, & respectiuè fratris, in portione namque obuenta filio pater non habet vsumfructum.*

5 *Item perdit vsumfr. in bonis quæ deferuntur liberis natis ex matrimonio à quo sine causa voluit recedere.*

6 *Item si sponte vsumfructum remiserit.*

7 *Pater qui sponte vsumfructum filiis remisit, est tamen legitimus administrator, si per ætatem filij rebus suis superesse non possint.*

8 *Pater qui fuit legitimus administrator bonorum filij, tenetur rationem reddere de exactis finito administrationis tempore.*

TErtiò & vltimò differt, quia simplex fructuarius non
1. potest alienare, vt postea suo loco; fructuarius † verò, idémque legitimus administrator potest mobilia etiam sine decreto, itemque immobilia onerosa alienare. *l. fin. §. ipsum autem. vers. non autem. C. de bonis quæ liberis.* quod etiam potest
2. pro † æris alieni, vel legatorum dissolutione. *dict. l. fin. §. sin autem & alienum.* quod tamen sine decreto non permittitur aliis administratoribus. *l. lex quæ tutores. C. de administ. tutor.*
Tribus

Tribus autem potissimum casibus patri aduentitiorum non datur vsusfructus.

Primò, si quid † à matre, vel aliquo parentum ita datur, ne vsusfructus ad patrem perueniat. *Auth. excipitur. C. de bon. quæ liberis.* quod extenditur ad quemlibet alium, ita dispo- nente Authentica *Item hæreditas, in fin. C. eod.* 3.

Secundò dum hæreditas † fratris vtrinque coniuncti defertur fratri, superstite eius patre, in cuius potestate sit cuilibet pro virili. *Auth. defuncto. C. ad Tertull.* quo casu pater non habet vsumfructum in portione filio delata. *d. Auth. Item hæreditas.* 4.

Tertiò in his † quæ à lege deferuntur liberis, dum parentes præsumunt recedere ab eorum matrimonio sine causis à lege definitis. *Auth. Idem est. C. eod. tit.* 5.

Addi poterit † quartus, si parens sponte remiserit vsumfructum. *d. l. fin. in princ. vers. siue contrario, & §. sin autem in secunda. vers. sin autem patre.* & in casu *d. c. cùm oportet. §. sin autem res.* 6.

Nec in isto vltimo † casu desinit esse legitimus administrator, licèt vsumfructum remiserit, si filius ob ætatem suis rebus superesse non possit, per text. *in d. l. fin. §. sin autem in secunda, vers. nolente.* quod verum firmat Castill. *in d. cap. 3. num. 64.* post Cald. à Pereira, hunc casum à cæteris distinguentem, quòd si filius sit legitimæ ætatis, tunc per se administrat. *d. l. fin. in princ. vers. siue è contrario.* & ita tenet Riminald. iun. *in §. igitur, n. 105. vers. in quas personas.* & Bursat. *cons. 133. num. 25.* Sed in prioribus casibus conflictus est opinionem filio existente in minori ætate dum aliqui voluere patrem non habere legitimam administrationem nisi quatenus per iudicem datus fuerit curator, ex Pinell. *in l. 1. part. 2. num. 27. & 29. C. de bon. mater.* quia liberorum administratio patri à lege deferatur, non tam propter confidentiam, quàm de patre lex habet. *l. fin. ff. de curat. furios.* quam ratione vsusfructus, qui est instar plenissimi dominij. *l. 1. C. de bon. mater.* aliis contrarium sentientibus. Sic itaque conciliantur à Castill. *vbi suprà n. 34.* post Bursat. *d. cons. 133. num. 56* vt si per hominis dispositionem pater vsufructu priuetur, siquidem ex eo quòd patris mores suspectos habeat, patri omnino interdicatur administratio. Sin verò vt filio ple- 7.

niùs consulatur, pater eo casu administrationem habeat, multo magis si à lege ex natura rei priuetur vsufructu, vt in casu d. Authenticæ excipitur; secus tamen erit in casu d. Authenticæ. Idem est vbi in pœnam delicti à parentibus admissi priuantur, quorum mores propterea improbantur, & in Monasterium intruduntur, ex Bursat. *vbi suprà d. num.* 35.

8. Tenebitur † tamen pater eo casu de exactis rationem reddere, finitæ administrationis tempore.



CAPVT III.

De modis, quibus vsusfructus constituitur, & in esse producitur.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus constitui potest ex die sub conditione, ad diem, vel conditionem, instar cæterorum iurium, quæ personæ acquiruntur.*

2 *Dicta conclusio fallit in seruitutibus quæ non personis, sed rebus inhærent, & rerum qualitates dicuntur.*

3 *Prædiorum iura, seu qualitates dum constituuntur, statim inhærent, nec nisi certis modis ipso iure esse desinunt.*

4 *Vsusfructus legati dies non cedit, nisi à die adita hæreditatis, quod secus est in cæteris legatis, quorum dies cedit à die mortis, & ante aditam hæreditatem ad effectum transmittendi.*

5 *Hæres qui dolosè adire distulerit, tenetur legatario vsusfructus, seu vsus, vel eius hæredi, ad interesse.*



Modi quibus vsusfructus constituitur, suprà in præcedenti capite relati, & ferè explicati fuere, quia aut sola legis dispositione, dum in legali versamur, & quoad dominium & quoad possessionem in esse deducitur, vt suprà edoctum fuit, etiam sine cautione *d. l. cùm oportet.* §. *non autem,* aut

aut si de conuentionali agatur, debeat præcedere præambula hominis dispositio, siue in vltima voluntate, siue inter viuos. §.1.*Instit.de vsufr.* & si quidem in vltima voluntate statim adita hæreditate ipso iure quæritur dominium vsusfructus.*dict. l.1. C.commun.de legat.dict.*§.1.cum similib. si inter viuos sequuta demum traditione, seu quasi, *d.l.3. §.dare.ff.de vsufr.& l.fin. ff.de seruitut.* Quoad possessionem verò vsusfructus debet ab hæredis manu recipi. *d.l. non dubium. C.de legat.* arg.*d.l.cùm hæredes.ff.de acq.vel amitten.poss.* Duo itaque pro complemento explicanda supersunt.

Primo, an ex die sub conditione, ad diem, vel conditionem constitui possit vsusfructus, nedum die præsente; & posse deciditur† *in l.4.ff.de vsufr.& l.puto.§.vsusfructus.ff.fam. ercifcund.* instar cæterorum iurium quæ personæ acquiruntur, quales sunt obligationes. *l.quod in diem.ff.de accept.l.sub conditione.ff.de solution.§.pen.Instit.de emptio. §.omnis stipulatio. Instit.de emptio. §.omnis stipulatio.Instit.de verbor.obligat.* fallit 1.
in seruitutibus † quæ non personis, sed rebus inhærent, & 2.
rerum qualitates dicuntur. *l. quid aliud.ff. de verbor. signific.* Personarum itaque iura nil vetat ex tempore, vel ad tempus constitui. *l. vnic. §. item si ex die. ff. quando dies legat. ced.* quod secus † est in iuribus, seu qualitatibus prædio- 3.
rum, quæ dum constituuntur, statim inhærent, nec nisi certis modis ipso iure esse desinunt. *l.4.ff.de seruit.* Dies autem vsusfructus † legati etiam die præsenti non cedit, nisi 4.
à die aditæ hæreditatis, non antè. *d.l.vnic.§.dies autem,& l.2. ff.quando dies legat.ced.* Quamuis secus sit in cæteris legatis, quorum dies cedit à die mortis, & ante aditam hæreditatem, & ad effectum transmittendi, si legatarius ante aditam moreretur. *l.5.ff.eod.* secus autem in vsufructu, qui cum persona extinguitur. *d.l.2. & 3.* quamuis hæres, si dolosè adire † distulerit, teneatur legatario vsusfructus, seu vsus, vel 5.
eius hæredi ad interesse. *l.si vsusfructus 35.ff.de vsufruct.* fac. text. *in l.2.ff.si vsusfr.petat.*

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Fructuarius tenetur cauere in traditione, seu quasi, vsusfructus, & antè.*

2 *Proprietarius non potest cogi ad tradendam rem cuius vsusfructus legatus est, antequam fructuarius cauerit.*

3 *Fructuarius ad quem peruenit possessio, non præstitâ cautione, cogi poterit ad cauendum, implorato iudicis officio nobili.*

4 *Cautio per fructuarium præstanda, duas causas in se continet, nimirum de vtendo fruendo arbitrio boni iuri, & de restituendo res in quibus vsusfructus debetur, eo demum finito.*

5 *Fructuarius rerum quarum non est vsus, sed abusus, vt pecunia, vinum, oleum, & similia, tenetur tantùm cauere de restituenda simili quantitate pecuniæ, vini, olei, vel æstimatione dictarum rerum.*

6 *Fructuarius qui cauet de vtendo fruendo, tenetur inuentarium facere coram Notario & testibus in præsentia Magistratus, & de illius mandato.*

7 *Fructuarius cùm teneatur inuentarium facere, quod est caput rationum reddendarum, tenetur etiam rationem reddere, quòd scilicet res facto suo deterior facta non fuerit, & si quid damni illatum sit, tenetur resarcire.*

8 *Cautiones prædicta fructuario per testatorem remitti non possunt, ne ansa delinquendi præbeatur.*

9 *Dolus futurus de iure remitti non potest.*

10 *Inuentarium etiam fructuario remitti non potest.*

11 *Nemo potest facere quin leges locum habeant in suo testamento.*

12 *Cautio de vtendo in vsufructu aduentitiorum filij, patri à lege remittitur ob reuerentiam paternam.*

13 *Hæres tradendo vsumfructum cautionem remittere potest.*

14 *Iuri in sui fauorem introducto quilibet renuntiare potest.*

15 *Remissio cautionis à testatore facta operatur vt fructuarius non teneatur facere inuentarium in præsentia Magistratus, & de illius mandato, sed simplicem tantùm descriptionem coram Notario & testibus.*

Secundò

SECVNDO, an fructuarius cauere teneatur in traditione, seu quasi, ipsius vsusfructus, ad effectum transferendi dominij, vel possessionis, & quòd † cauere debeat, decidi- 1.
tur *in l.1. §.cauere.ff.vsufructuar.quemadmod. cau. l.fin.ff.si cui plusquam per leg.falc.l.si in us ff.de vsufr.l.1.& 4. C.eod.c.vltim. de pignor.* Et quidem antequam tradere cogatur, † poterit 2.
proprietarius se tueri per exceptionem non præstitæ cautionis. *l.si vsusfructus* 14.*ff.de vsufr.* & agentem excludere quousque cauendo pro parte sua adimpleuerit, arg. *l. Iulianus. §.offerri. ff.de action. empt.* Aut † si fortè non præstita 3.
cautione possessio ad fructuarium peruenerit, cogi poterit ad cauendum, implorato iudicis officio nobili. *d.l.si cuius.*
Hæc autem cautio † quæ pro vero vsufructu præstatur, duas 4.
in se habet causas, nimirum vnam de vtendo & fruendo arbitrio viri boni, id est, non deteriorem causam vsusfructus se facturum, cæteraque facturum, quæ in re sua faceret diligens paterfam. *d. §. cauere.* quæ committitur statim atque aliter fuerit vsus, & sæpiùs committi potest durante vsufructu. Alteram verò de vsufructu restituendo, seu rebus in quibus vsumfructum habet, cùm ad se pertinere desierit, quæ demum eo finito, non antè committitur. *d.l.1.in princip.§.cauere,& §.habet.* Quoad impropriumvero † vsum- 5.
fructum, videlicet earum rerum, quarum non est vsus, sed abusus, dum vtendo consumuntur, qualis est pecunia numerata, vinum, oleum, frumētum, & his similia, cautio, quæ ex Senatusconsulto vtilitatis gratia fuit introducta, pro sustinendo vsufructu iuris interpretatione contra naturalem rationem. *l.1.& 2.ff.de vsufr.ear.rer.quæ vsu consum.* vnam tantùm habet causam, videlicet de restituenda re eiusdem qualitatis, & quantitatis, videlicet pro restituenda simili quantitate pecuniæ, frumenti, vini, olei, & similium, vel æstimatione dictarum rerum. *§.constituitur. Instit. de vsufr.*

Et in consequentiam dictarum cautionum, præsertim verò prioris illius, quæ duas habet causas, tenetur inuentarium † conficere coram Notario, & testibus, in præsentia 6.
Magistratus, & de illius mandato, & sic cum ea solemnitate tantùm, qua conficitur inuentarium tutoris, curatoris, seu

seu alterius administratoris. *l. tutor qui repertorium. ff. de administr. tutor.* remissis cæteris solemnibus, quæ in hæredis inuentario desiderantur, de quibus *in l. fin. C. de iur. deliber.* cùm fieri debeat ad hoc, vt sciatur quænam & quales res initio vsusfructus constituti eo nomine traditæ fuerint. *l. 1. §. rectè. ff. vsufructuar. quemadm. cau.* Vnde cùm inuentarium
7. † sit caput rationum reddendarum. *d. l. tutor.* ex eo etiam tenetur rationem reddere, quòd scilicet facto suo non fuerit reddita deterior causa rei fructuariæ, & si quid damni illatum sit, resarcitur. *d. l. 1. §. cauere.* & reliquum præstet, scilicet finito vsufructu res sibi eo nomine traditas restituat.
8. *d. l. 1. in princ. & §. habet.* Sed neque † dictæ cautiones remitti possunt per testatorem, qui vsumfructum reliquerit. *l. penult. C. vt in possess. legator.* vbi de cautione veri vsusfructus agitur. *l. 1. C. de vsufr. l. si pecuniæ. ff. vt in possess. legat.* vbi de cautione improprij, & abusiui vsusfructus, cuius decisionis ratio ea vulgò reddi solet, ne causa delinquendi præbeatur, cùm per talem remissionem dolus futurus remitti vi-
9. deatur, quod † de iure non permittitur. *l. si vnus. §. illud ff. de pact.* & inde commmuniter tenent *in d. l. 1.* neque inuenta-
10. rium † remitti posse. Alij verò eam rationem esse volunt quòd non fuerit ea mens testatoris, qui non proprietatem, sed vsumfructum legârit, vnde ad eum consequendum cauendo admittitur, quæ vindicatur *in d. l. si pecuniæ.* Alij eam
11. afferunt quòd nemo † possit facere quin leges locum habeant in suo testamento. *l. nemo potest. ff. de legat. 1.* quæ verior est, & magis admittitur in vsufructu improprio, in quo cautio præstatur vtilitatis gratiâ pro eo sustinendo. *d. §. constituitur.*

12. Lege autem † cautio remittitur patri, ob reuerentiam paternam, & ratione patriæ potestatis in vsufructu aduentitiorum. *l. cùm oportet. §. non autem. l. fin. §. sin autem non habeat, circa fin. C. de bon. quæ liber.* Item hæres † tradendo, seu quasi
13. tradendo vsumfructum, cautionem remittere potest, arg. text. *in l. hoc Senatusconsultum. §. 1. ff. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum.* Idem dicendum in proprietario, qui vsumfructum
14. ex conuentione permittit; cùm enim ad eorum, † securitatem & vtilitatem cautio hæc interponatur, possunt iuri in sui

sui fauorem introducto renuntiare. *l. fin. C. de pact.* quod testator ea ratione non potest, quia non ad sui, sed ad futuri proprietarij indemnitatem, & vtilitatem præstari debet, stante legis ordinatione, quam, vt suprà dictum, remittere non potest. Cautionis †autem, vel inuentarij remissio à 15.
testatore facta id operabitur, quod suprà in parte dictum fuit, nimirum vt inuentarium facere non teneatur in præsentia Magistratus, & de illius mandato, ex notatis *in d. l. tutor qui repertorium*; sed simplicem tantùm descriptionem coram Notario & testibus, per quam videlicet non minus proprietario cautum sit.

---

§. II.

SVMMARIVM.

1 *Fructuarius nondum tradito vsufructu, tenetur cautionem offerre & præstare, si velit eo nomine agere, nec antè potest à proprietario condicere fructus perceptos.*

2 *Fructuarius qui est in possessione vsusfr. sibi legitimè traditi, facit fructus suos ante cautionem petitam, si interpellatus de cauendo moram non faciat, nec tenetur offerre.*

3 *Fructuarius qui interpellatus moram facit in cauendo, nedum non facit deinceps fructus suos, sed & perceptos restituere tenetur.*

4 *Fructuarius qui est in mala fide, non facit fructus suos ante cautionem præstitam, imò & ex eo potest priuari vsufructu.*

6 *Fructuarius earum rerum quæ vsu consumuntur, fructus non facit suos ante cautionem, cùm ea sit de substantia dicti vsusfructus.*

6 *Vsusfructus substantia non consistit in cautione.*

7 *Vsusfructus improprij substantia consistit in obligatione de restituenda simili quantitate finito vsufructu.*

8 *Naturalia actus immutari possunt de voluntate contrahentium; substantialia verò mutari non possunt.*

DVm autem quæritur, an fructuarius faciat fructus suos ante cautionem præstitam, distinguendum erit, quia aut versamur in proprio & vero vsufructu. Et si quidem
1. † nondum sibi sit traditus vsusfructus, tenetur cautionem offerre, & præstare, si velit eo nomine agere. *d.l.si vsusfructus* 14.*ff.de vsufr.* arg. text. *in d. l. Iulianus. §.offerri.* nec eo casu fructus à proprietario perceptos ante dictam cautionem præstitam condicere poterit, cùm sibi ante implementum denegetur actio. *d.l.si vsusfructus.* Aut est in possessione, seu quasi vsusfructus sibi legitimè à proprietario
2. traditi, & fructus † suos facit ante cautionē petitam à proprietario:sufficit namque si paratus sit satisdare dum interpellabitur, nec interpellatus moram faciat, nec eo casu tenetur offerre. *l.2. §. quod ait prætor. ff. quor. legat. l.1. §. non exigit. ff.vt in possess.legat.l.si quis filium.§.stipulatio.ff.de collat.*
3. *bonorum.* Item si interpellatus†moram faceret,dicitur constitui in mala fide, & ideo deinceps fructus suos non facit, quinimo ob malam fidem superuenientem antea perceptos restituere tenetur, aut vitiosè reperitur in possessione, puta vi, aut clam, dum propria autoritate contradicente, vel inscio proprietario possessionem apprehendit, contra
4. text.*in l.non est dubium. C.de legat.* & quia † ab initio fuit in mala fide, fructus suos non facit ante cautionem præstitam, maximè cùm ex eo possit legato vsufructu priuari. *d.l. non est dubium*, vel aliàs ex alia causa debito. *l.si quis in tantam. C. vnde vi.* Aut possessio ab eo auocatur interdicto Quorum bonorum. *l.1.§.vnde est quæsitum ff quod legat.* Aut verò versamur in vsufructu improprio & abusiuo, & omnes
5. † tenent indistincti fructus suos non facere ante cautionem præstitam, quia sit de substantia dicti vsusfructus. *l.1.ff. de vsufr.ear.rer.d.§.constituitur.Instit.de vsufr.*sed repugnat text. *in l. hoc Senatusconsultum. §. si pecuniæ. ff. eod. tit.* vbi distinctio in vero vsufructu, suprà relata quodammodo admittitur,dum à fructuario,vel possessio tradita condicitur cautionis habendæ nomine, vel ipsa cautio, aut si non petita cautione finiatur vsusfructus, teneatur fructuarius ad quātitatis, seu æstimationis earum rerum restitutionem: vnde plerique magnæ autoritatis interpretes, inter quos Pinell.

in

in l. 1. 2. part. n. 38. vers. Sed ego prædictam doctrinam. C. de bon. matern. Vasq. *de success. creat. lib. 1. 8. 7. num. 25. & 27.* post Anton. Fabr. Imol. & Dec. recesserunt à dicta communi sententia, & verè, meo iudicio, existimarunt eamdem distinctionem adhibendam fore in hoc vsufructu improprio, quæ suprà fuit adhibita in vero vsufructu. Et inde ex præmissis † rectè infertur substantiam vtriusque vsusfructus non consistere in cautione, postquam verus vsusfructus in plerisque casibus sine cautione subsistit, puta in patre fructuario bonorum filij aduentitiorum. *d. l. cùm oportet. l. final. §. sin autem, in fin. C. de bon. quæ liber.* necnon dum hæres eam cautionem remittit, vel dominus proprietatis constituendo vsumfructum ex conuentione, & denique in casu *l. si vsumfructus 9. §. planè. ff. vsufruct. quemadm. cau.* Item etiam vsusfructus improprius in casu *d. l. hoc Senatusconsultum. §. si pecuniæ,* quia substantia † improprij vsusfructus consistit in obligatione, qua de iure adstringitur fructuarius ad restitutionem similis quantitatis finito vsufructu. *d. §. si pecuniæ.* Cautio autem interponatur siue iuratoria, siue fideiussoria, quo firmior & efficacior reddatur iuris illa obligatio. *l. contrahitur. ff. de pignor.* vnde non mirum si sine cautione subsistat, postquam naturalia † alicuius actus possint de voluntate partium immutari, non substantialia, ex notat. per gloss. magnam, & *ibi* DD. *in l. pacta conuenta. ff. de contrah. emptio.*

6. 7. 8.

---

§. III.

SVMMARIVM.

1 *Pecunia innumerata certam habet & determinatam æstimationem, per quam res omnes æstimantur.*

2 *Pecuniæ numeratæ vsusfructus dum constituitur, sufficit cauere de restituenda simili quantitate.*

3 *Fructuarius vini, olei, frumenti, potest cauere de restituenda simili quantitate, si proprietarius ea cautione contentus sit.*

4 *Pretia rerum tempore variantur.*

5 *Fructuarius earum rerum, quæ functionem in genere suo non recipiunt, sed vsu consumuntur, vel minuuntur, vt vestes & mobilia, quæ supellectili adscribuntur, tenetur cauere de illis restituendis cum præstatione diminutionis, aut de æstimatione facta, dum constituitur vsusfructus, restituenda.*

6 *Balista cæteraque tormenta bellica, licèt non diminuantur nisi per longissimum tempus, debent restitui in eadem æstimatione.*

SEd dum quæritur, an fructuarius in vsufructu abusiuo teneatur præcisè cauere de restituenda æstimatione rerum, quarum vsusfructus conceditur, habita ratione temporis constituti vsusfructus, an verò liberetur, si similem quantitatem restituere caueat, præsertim quoad ea, quæ in genere suo functionem recipiunt, distinguendi erunt tres casus, quia aut pecuniæ numeratæ constituitur vsus-
1. fructus, & cùm † certam habeat æstimationem, per quam res omnes æstimantur. *l. 1. in princ.* cum similib. *ff. de contrah.*
2. *emptio.* sufficit eo casu † cauere de restituenda simili quantitate. *l. si tibi. ff. de vsufr. ear. rer.* Sin verò earum rerum, quæ in genere suo functionem recipiunt, constituatur vsus-
3. fructus, tunc potest fructuarius † cauere de restituenda simili quantitate, puta vini, olei, frumenti, si ea contentus sit proprietarius. *l. si vini. ff. eod. tit.* Sed si petat eas æstimari, prout valent de tempore constituti vsusfructus, tunc ad æstimationem præcisè cogendus. *d. l. si vini, in fin.* in illis verbis, *quod & commodius est*, & per text. *in §. constituitur, Inst.*
4. *de vsufr.* maximè cùm † præsentia earũ rerum tempore varientur. *l. præsentia rerum. §. fin. ff. ad leg. falcid.* Et quamuis plerique senserint posse cauere alternatiuè de restituenda simili quantitate, vel illius æstimatione, per text. *in d. l. si vini*, & finito vsufructu esse ipsius fructuarij electionem, vtrum malit restituere. *l. plerumque. §. fin ff. de iur. dot.* tamen repugnat text. *in d. l. si vini*, per illa verba, *quod commodius est*, & Iustin. præcisè loquens *in d. §. constituitur.* Aut verò conceditur vsusfructus earum rerum, quæ non recipiunt functionem in genere suo, sed vsu consumuntur, vel minuuntur. *l. 1. ff. de vsufr. ear. rer.* quales sunt vestes. *d. §. constituitur*, vel cætera

mobi-

mobilia, quæ supellectili adscribuntur, & earum † rerum 5.
debet fieri æstimatio dum constituitur vsusfructus, vt caueat de illis restituẽdis cum præstatione diminutionis, seu deteriorationis, aut de ipsa æstimatione præstanda, arg. *d.l.* 1. & per text. *in d.* §. *constituitur*, quod procedit etiam † in ba- 6.
listis cæterisque tormentis bellicis, quæ pro munitione arcium haberi solent, quamuis non soleant diminui, nec inueterascere, nisi per longissimum tempus, quia debent finito vsufructu restitui semper in eadem æstimatione. *d.* §. *constituitur*. Nec obstat text. *in l.* 9. §. *si vestes. ff. vsufructuar. quemadm. cau.* quia proprietarius contentus fuit sibi caueri de restituendis vestibus attritis finito vsufructu, nec voluit, aut curauit sibi caueri pro diminutione quæ eo nomine contingeret, vel à principio sub ea lege concessa fuerat vsusfructus: vnde rectè infertur mobilium supellectilis vsufructu legato, vel aliàs concesso, teneri cauere de restituenda æstimatione, seu deterioratione præstanda, quod in viduis quotidie practicatur, quibus in casum viduitatis mobilium vsusfructus competit vtplurimum ex pactis matrimonialibus, vel ex testamento.

---

§. IV.

SVMMARIVM.

1 *Fructuarius tenetur præstare idoneam cautionem datis fideiussoribus, vel pignoribus.*

2 *Fructuarius, qui idoneè cauere non potest, sibi imputet, nec interim facit fructus suos.*

3 *Quòd fructuarius admittatur ad cautionem iuratoriam, si pauper sit, vel aliàs fideiussorem non inueniat, idque iureiurando verum affirmet, non habet locum in vsufructu & tutela.*

4 *Fructuarius probata vita, si fideiussorem non inueniat, admittitur ad iuratoriam cautionem; si verò sit improbata vita, res est committenda sequestro, qui caueat fructuario de fructibus, & proprietario de proprietate.*

5 *Fructuario cauere non valente, res proprietario relinqui potest, qui fructuario caueat de annua solutione fructuum nomine facienda.*

6 *Fructuario cauere non valente iudex arbitrari debet quid faciendum sit, qui tamen non admittet fructuarium ad cautionem iuratoriam, nisi perrarò.*

7 *Ad cautionem iuratoriam deueniendum non est quoties alia superest via.*

QVomodo autem cauere teneatur fructuarius proprietario, an iuratoriè per nudam repromissionem, quæ cautionis nomine intelligitur, *l. sancimus. C. de verbor. signific.* an verò idoneè, hoc est, fideiussoribus, vel pignoribus datis, *l. 1. ff. qui satisdar. cogant.* cum gloss. *in verb. datis fide-*
1. *iussoribus. l. si mandato* 59. *§. fin. ff. mandati.* Dicendum † est teneri ad idoneam cautionem, & sic ad satisdandum, ex *l. 4. C. de vsufr. l. tribus. ff. de vsufr. ear. rer.* &c. per quæ iura declarantur alia iura de cautione à fructuario præstanda simpliciter loquentia, videlicet *l. 1. C. de vsufr. l. 1.* & passim *toto tit.*
2. *ff. vsufruct. quemadm. cau.* Quod adeò verum, vt † si fructuarius cauere non possit idoneè, sibi debeat imputare, nec interim fructus suos facere valeat, quòd hæc cautio sit iuris necessitate inducta, nec propterea fructuarius possit ab ea se eximere, non consentiente proprietario, cuius indemnitati per eam consulitur, arg. *l. filiusfamilias. §. iidem principes. ff. de legat.* 1. cum similibus, relatis per Gail. *obseruat.* 47. *num.* 5. *&* 6. *lib.* 2. Et quamuis hoc in articulo quatuor referantur opiniones, per gloss. & DD. *in d. l. 4. C. de vsufr.*
3. quarum † prima est, vt si sit pauper fructuarius, vel aliàs fideiussorem non inueniat, & ita iureiurando verum esse affirmet, si iuratoriè caueat, admittatur, ex notat. per *gloss. fin. in d. l. 1. ff. qui satisdar. cogantur.* quam gloss. communiter & vsu receptam esse in praxi, testatur Iason *in d. l. 1.* Sed id procedit regulariter, secus in vsufructu, secus etiam in tutela, & aliis casibus specialibus, & sic secunda succedit opinio, ne scilicet eo etiam casu ad iuratoriam admittatur. Bart. autem *in dict. l. 4.* tertiæ fuit opinionis
4. si † fructuarius sit probatæ vitæ, & frugi, nec fideiusso-

rem

rem inueniat, vt eo casu admittatur ad iuratoriam, secus si esset vitæ improbatæ, quia ex eo casu res in omnem euentum penes sequestrum deponenda foret, qui de fructibus præstandis caueret fructuario, & proprietate seruanda ipsi proprietario, ex *l. postquam. §. Imperator. ff. vt legator. nomine cau. & in l. si fideiussor. §. fin. ff. qui satisdar. cogant.* quam opinionem plerique probant, licèt Ruin Bertran. & alij per Caualcan. relati *in tract. de vsufr. mulier. relicto, num.* 150. eam non admittant & si frugi, probatæ & honestæ sit vitæ, cùm velint omni casu sequestro rem committendam esse. Quarta itaque subintrat opinio Salic. authore *in d. l.* 4. vt nimirum † dum fructuarius cauere non potest, res proprietario 5. dimittatur, qui fructuario caueat de annua solutione fructuum nomine facienda, arg. *d. l. filiusfam. §. iidem principes, & d. l. postquam. §. Imperator.* quam æquiorem, benigniorem & tutiorem firmat Gail. *dict. obseru.* 27. *in fin.* & à senatu passim admitti, cùm per eam vtrique parti abundè caueatur, & pro præmissorum † resolutione dicendum, id totum arbitrio 6. iudicis committendum fore, qui æstimabit quid faciendum sit æstimatis personarum qualitatibus, negotij circumstantiis, & quantitate patrimonij ipsius fructuarij. Ita tamen, vt nō admittat fructuarium ad iuratoriam, nisi perrarò, dum ex qualitate rei fructuariæ & personæ fructuarij, quæ nedum frugi, verùm etiam diues esset, proprietario satis per iuratoriam consuleretur, & illius indemnitati prospiceretur, ex Surd. *decis.* 141. *num.* 13. *in fin. & num.* 14. qui concludit ad iuratoriam † non deueniendum, quotiens alia via securiùs consuli potest, *d. §. iidem principes*, cum *ibi* notat. Adde text. *in l. hac edictali. §. his illud. C. de secund. nupt.*

CAPVT



CAPVT IV.

De vsusfructûs effectu.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus in esse deducti & realiter constituti præcipuus effectus est, vt omnis fructus rei fructuariæ ad fructuarium pertineat.*

2 *Fructus appellatione, strictè & propriè loquendo, accipitur tantùm id quod ex re nascitur, & collectum postea renascitur.*

3 *Largè verò & impropriè nedum quod ex re nascitur, veluti fœnum, lac, pilus, lana, sed & quod inde percipitur, seu rei occasione.*

4 *Vsuræ & cæteræ obuentiones quæ à fructibus non separantur, & vicem fructuum obtinere dicuntur, veniunt appellatione fructuum.*

5 *Item redditus & obuentiones quæ ex ædificiis percipiuntur.*

6 *Item seruorum operæ & iumentorum vecturæ.*

7 *Item quælibet commoditas etiam ad solam tendens voluptatem.*

8 *Obuentiones fructus ciuiles denominantur, eo quòd non naturali, sed ciuili ratione percipiantur.*

9 *Fructus alij dicuntur naturales, vt fœnum, pascua: alij industriales, vt vinum, oleum, frumentum: alij ciuiles, vt vsuræ, pensiones ædificiorum, vecturæ iumentorum.*

10 *Fructus in prima mundi origine nulli alij erant, nisi naturales.*

NVnc videndum quos effectus producat vsusfructus in
1. esse deductus, & realiter constitutus. Is autem † potissimum effectus est, vt omnis fructus rei ad fructuarium pertineat. *l. vsufructu legato 7. ff. de vsufruct.* In primis itaque dispiciendum, quid fructus appellatione veniat. Et qui-
2. dem, si strictè † & propriè accipiatur, id tantùm venit quod ex re ipsa nascitur. *l. vsura 121. ff. de verb. significat. l. Item si fundi.*

fundi. ff. de vsufruct. & collectum postea renascitur. *l. diuortio. §. si vir in fundo. ff. solut. matrim.* cum *ibi* notat. per Gloss. & DD. Largè verò, † & impropriè, seu, vt Græci aiunt, 3. ἀναλῶν, nedum quod ex re ipsa nascitur, veluti fœtus, lac, pilus, lana. *l. in pecudum. ff. de vsur. §. in pecudum, Inst. de rer. diuis.* verùm quod inde percipitur, seu ipsius rei occasione. *d. l. item si fundi. l. vsuræ. ff. de vsur.* vbi de vsuris, † & cæteris 4. obuentionibus, quæ à fructibus non separantur, & vicem fructuum obtinere dicuntur. *d. l. vsufructu legato. §. 1.* vbi de redditu & obuentionibus, † quæ ex ædificiis, areis, & cæ- 5. teris ædium partibus, vel illarum occasione percipiuntur. *l. si nauis 62. ff. de rei vindicat.* vbi de vectura nauis. *l. apud Iulianum. §. fructus. ff. de legat. 1.* vbi etiam de operis † seruorum 6. & vecturis iumentorum. *l. de fructibus. ff. de donat. inter vir. & vxor.* vbi vsuras fructibus æquiparat. Et denique quælibet † commoditas includitur etiam ad solam tendens volupta- 7. tem. *l. numismatum. ff. de vsufr. l. vsufructuarium venari. eod. tit.* Et inde ab interpretibus obuentiones † magistraliter 8. fructus ciuiles denominantur, quia non naturali, sed ciuili quadam ratione percipiantur. *d. l. si nauis*, cum similib. Inde etiam fluxit ea diuisio fructuum communiter recepta, vt alij dicantur † naturales, qui potius naturâ, quàm hominis 9. industriâ producantur, veluti, pomum, fœnum, pascua, lignum ex sylua cæsum. Alij industriales, qui potius industriæ hominis, quàm rei naturæ attribuantur, veluti vinum, oleum, frumentum. *l. fructus. ff. de vsur. l. bonæ fidei. ff. de acq. rer. dom.* Alij verò ciuiles, puta vsuræ, pensiones, ædificiorum vecturæ, iumentorum, nauium, & his similia. *d. l. apud Iulianum. §. fructus.* quæ diuisio in bimembre reduci 10. potest, vt alij sint naturales cum prima mundi † origine, non alij, quàm naturales essent. *cap. 1. & 2. Genes.* Alij verò ciuiles, subdiuidendo primam speciem in naturales, & industriales.

CCc §. I.

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Fructuarius omnem rei fructum percipiens, percipiet etiam omnia omnino emolumenta, siue ex re nascantur, seu illius occasione percipiantur.*

2 *In fructu dicitur id esse quod ad vsum hominis dicitur esse.*

3 *Item vsus etiam ad solam voluptatem destinatus à patre familias, qui vsumfructum constituit.*

4 *Vsufructu omnium bonorum constituto, includitur Kalendarium, vt fructuarius percipiat vsuras in Kalendis cuiuslibet mensis solui consuetas.*

5 *Allunionis incrementum fructuario iure dominij non acquiritur, sed illius vsusfructus tantùm.*

6 *Fructuarius dominij directi, non efficitur dominus rei per commissum consolidatæ cum dominio directo, sed illius tantùm vsumfructum acquirit.*

7 *Laudimia pleno iure quæruntur fructuario dominij directi.*

8 *Fructuarius castri & iurisdictionis sibi acquirit exercitium iurisdictionis per officiales à se deputatos, mulctas, condemnationes & confiscationes, item & vsumfructum iurispatronatus, si castro sit annexum.*

9 *Ius præsentandi ad beneficia vacantia dicitur esse in fructu.*

DVm verò deciditur omnem rei fructum ad fructuarium pertinere, *d. l. vsufructu*, an fructuum appellatione veniant etiam obuentiones quæ rei ipsius occasione percipiuntur, nedum fructus, quæ ex re ipsa nascuntur, & renascuntur, & sic largè sumpto fructuum vocabulo,
1. concludendum † puto omnia omnino emolumenta comprehendi, qui ex reipsa nascuntur, siue illius occasione percipiuntur, ἁπλῶς accepto fructuum vocabulo, per text. *in d.l.vsufructu*. §. 7. *l. item si fundi. l. si absente*. §. *syluam*, &
2. *l.arbores*. §. 1. *ff. de vsufr.* In fructu † namque id dicitur esse, quod ad vsum hominis inductum est. *l. in fructu* 42. *ff. de vsu & vsufr. legat.* facit text. *in d.l. numismatum, & d. l. vsufructuarium*

rium venari, vbi etiam † vſus ad ſolam voluptatem deſtinatus dicitur eſſe in fructu; quod tamen ita accipiendum, dummodo eiuſmodi obuentiones, ſeu emolumenta in fructu ſint, ſeu cenſeantur, præſertim à patrefam. qui vſumfructum conſtituit, ſeu loco fructuum habeantur, veluti eorum loco ſubrogata, ſeu vice fungentia. *d.l. vſuræ.ff.de vſur.* 3.

Ex præmiſſis autem infertur † conſtituto vſufructu omnium bonorum Kalendarium ſub eo includi, ſcilicet, vt fructuarius percipiat vſuras nominum ſingulis quibuſque Kalendis, id eſt, prima die cuiuſlibet menſis ſolui cõſuetas. *l. vxori meæ* 37 *ff. de vſu & vſufr. leg.* non autem vt ſortis dominium pleno iure conſequatur, ſed vſumfr. tantummodo, quippe quæ in fructu, nec loco fructuum cenſeatur, ex Barboſ. *in d.l. diuortio.* §. *ſi vir, num.* 38 poſt gloſſ *in l. lecta, verb. ex omni ſumma. ff. ſi cert. petat.* Secundò infertur † incrementum alluuionis, quod in fructu non eſt, ſeu loco fructuum, non acquiri fructuario iure dominij, ſed illius tantùm vſumfructum prætendere poſſe. *d.l. item ſi fundi.* §. *huic vicinus.* & pari † ratione fructuarium dominij directi, non effici dominum rei per commiſſum, ſeu caducitatem conſolidatæ, cum dicto dominio directo, iuxta text. *in l.* 2. *& l.* 3. *C. de iur. emphyteut.* ſed vſumfructum illius rei tantummodo conſequi, veluti partem conſtituentis ipſius directi dominij, inſtar incrementi alluuionis, quod partem conſtituit ipſius fundi, cui latenter accreuit. *d.* §. *huic vicinus.* Laudimia verò † quæ fructuum loco percipiuntur à domino directo pro iure inueſtituræ. *d.l.* 3. fructuario pleno iure quæruntur. Item infertur fructuarium † caſtri & iuriſdictionis & annexæ iure vſusfructus ſibi quærere exercitium dictæ iuriſdictionis per officiales ab eo deputandos, necnon mulctas, condemnationes, confiſcationes à delinquentibus incurſas, quia ea omnia loco fructum habentur. Itidem & iuriſpatronatus ad beneficia Eccleſiaſtica, ſi caſtro ſit annexum, habere vſumfructum, & propterea ius † præſentandi inſtituendos ad beneficia vacantia, quod dicitur eſſe in fructu. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

§ II.

SVMMARIVM.

1 *Lapidicinæ & cateræ fodinæ, si de tempore concessi vsusfructus erant aperta, quod effoditur, vel exciditur, ad fructuarium pertinet.*

2 *Fructuarius qui lapidicinas inuenit, suum facit quod elicitur, si aptum est renasci, & tunc repetit impensas pro apertura factas.*

3 *Si quod elicitur, non est aptum renasci, percipitur quidem à fructuario, sed impensas pro apertura factas non repetit.*

4 *Fructuarius qui lapidicinam aperiendo prædium deterius reddidit, tenetur damnum resarcire proprietario.*

5 *Thesaurus in fundo fructuario inuentus non est in fructu.*

6 *Insula quæ in flumine nascitur iuxta fundum in ripa positum, pertinet ad dominum fundi vicini.*

7 *Insula quæ nascitur, nullo iure quæritur fructuario.*

8 *Thesaurus nihil aliud est, quàm donum Dei, scilicet res mobilis pretiosa, ab antiquo occultata, fortuitò reperta, quæ ad dominum fundi pertinet.*

9 *Thesaurus arte magica, vel alia legibus odiosa, etiam per dominum repertus fisco quæritur.*

Thesaurus à non domino fundi fortuitò inuentus quæritur pro dimidia domino fundi, & pro alia dimidia inuentori, ibid.

10 *Fructuario non licet inscio, vel inuito domino fundum effodere.*

11 *Thesaurus per fructuarium inuentus in fundo cuius vsumfructum obtinet, pertinet pro dimidia parte ad dominum, & pro alia dimidia ad fructuarium.*

SEd dum quæritur, an lapidicinæ, cretæ, arenæ auri, argenti, æris, ferri, sulphuris, & cæterorum fodinæ, ad
1. fructuarium pertineant, sic distinguendum. Quia aut † apertæ erant de tempore concessi vsusfructus. Et si quidem quod effossum, vel excisum renasci aptum erat, sine dubio ad fructuarium pertinet, quia in fructu sit, per text. cum *ibi* notat, *in d. l. diuortio. §. si vir.* Aut verò non est aptum renasci, & nihilominus fructuario quæritur, quia loco fructuum habeatur

beatur, licèt fructus verè non sit, eáque potissimum ratio-
ne, quia proprietarius id fructuario concessisse videatur. *l. si
fundus 9. ff solut. matrim. d. l. item si fundi. § sed si lapidicinas;*
dummodo tamen illis vtatur iuxta modum seruari solitum
à proprietario, *d. l. item si fundi. §. seminarij*, cum *ibi* notat. *&
§. fin. vers. nam et si fundi.* Aut verò de tempore † concessi 2.
vsusfructus non erant apertæ, sed fructuarius eas inuenit,
& siquidem quod elicitur, est aptum renasci, cùm in fru-
ctu sit. *dicto §. si vir*, sine dubio ad fructuarium pertinet. Et
eo casu finito vsufructu impensas pro apertura venæ vtili-
ter, vel necessariò factas, à proprietario repetit. *l. fin. ff. de
fund. dotal.* Aut verò non est aptum † renasci, & quod in- 3.
de excisum, licèt nondum à fructuario sit asportatum, cùm
sit loco fructuum, ad fructuarium pertinet, non tamen im-
pensas eo casu repetit. *dict. §. si vir.* quas cõpensare tene-
tur cum dictis commoditatibus inde perceptis, quæ verè
fructus non sint. Imò si ex ea apertura † fundus forsan 4.
deterior redditus fuerit, tenebitur proprietario damnum
reficere. *l. aquissimum. § inde quæsitum est, cum §. seq. ff. de
vsufruct.* Thesaurus autem inuentus † in fundo fructuario, 5.
neque in fructu est, seu loco fructuum habetur, neque
partem fundi constituit, cùm sit res omnino separata à fun-
do instar insulæ quæ † in flumine nascitur, iuxta fundum 6.
in ripa positum: ipsius namque insulæ dominium pleno iu-
re quæritur ei qui dominium fundi vicini obtinet. *§. insula.
vers. At insula. Institut. de rer. diuis.* Fructuario † verò nullo 7.
iure quæritur, quia neque in fructu censeri possit, neque
partem constituere fundi vicini tanquam ab eo omnino se-
parata. *d. l. item si fundi. §. huic vicinus.* Thesaurus † verò nil 8.
aliud est, quàm donum Dei, videlicet res nobilis, præsertim
pretiosa ab antiquo occultata, cuius dominus propter anti-
quitatem temporis ignoratur, fortuitò, vtplurimum, reperta,
ex *l. nunquam. §. thesaurus. ff. de acquir. rer. dom. & l. vnic.* cum *ibi*
notat. *C. de thesaur. lib.* 10. & propterea res extrà causâ fru-
ctuum posita, & à fundo penitus separata. Vnde à domino
fundi inuentus, siue data opera, siue fortuitò, ad eum per-
tinet in solidum. *d. l. vnic.* prætterquam † si arte magica, vel 9.
alia legibus odiosa vteretur, quo casu fisco acquireretur.

dicta l. vnic. §. 1. *versic. dummodo*; sin verò ab alio, quàm à domino feudi fortuitò inuentus fuerit, cui nimirum
10. † non liceat inuito, vel inscio domino fundum alienum effodere, vel in eo aliquid facere. *d.l.vnic.* §.*in alienis*, dimidia quæritur domino fundi, alia verò dimidia inuentori. *d.l.vnic.* §.*fin.&* §.*thesauros. Instit. de rer. diuis.* Itaque
11. thesaurus † à fructuario inuentus in eo fundo, cuius vsumfructum obtinet, pro dimidia ad eum veluti inuentorem pertinebit, pro alia verò dimidia ad proprietarium. *l. diuortio.* §.*si fundum*, *in fin.l.si is*, §.*quod si seruus.ff.de acquir rer.dom.* & medietatis ad proprietarium spectantis vsumfructum prætendere non poterit, cùm sit res à fundo penitus separata, nec pars illius censeri valeat. *l.* 3. §. *Neratius.ff.de acquir. possess.* instar insulæ in flumine natæ. *d.* §.*huic vicinus*, & ita tenent omnes communiter *in d.* §.*si fundum*, *ibidem*, à Barbos. relati, *num.* 25.

---

§. III.

SVMMARIVM.

1 *Sylua duplex est, alia cadua, alia non cadua: cadua dicitur ea, cuius arbores exscindi consueuerunt, & excisa rursus renascuntur.*

2 *Cadua dicitur etiam si arbores non renascantur, nisi longiori tempore, dummodo cædi à proprietario consueuerit.*

3 *Silua non cadua dicitur ea, cuius arbores cædi non solent, vel cæsa non renascuntur.*

4 *Silua non cadua dicitur etiam silua pascua, quòd pecudum pastui sit destinata, & ideo fructuarius poterit pecus suum & alienum, etiam acceptâ pecuniâ, immittere.*

5 *Fructuarius silua non cadua poterit arbores demortuas, vel ob vetustatem breui perituras excipere: aliis tamen in earum locum subrogatis.*

6 *Fructuarius non tenetur subrogare arbores in locum earum, quæ vi ventorum & tempestatis euulsæ sunt, vel à flumine deiecta.*

7 *Fructua*

7 *Fructuarius arbores euulsas potest in lignum conuertere pro coquenda calce necessaria ad refectionem villa, si aliunde lignum non habeat.*

8 *Lignum dicitur quod ad comburendum destinatum est, & quod ad ædificium dicitur materia.*

9 *Fructuarius arbores frugiferas, præsertim si non sint aptæ renasci, vel cædi non solitæ, excidere non potest, nec grandiores, quas proprietarius in altum crescere voluit ad prospectum, & delectationem.*

10 *Fructuarius qui principaliter habet vsumfructum fundi, cui silua cædua accedit, poterit vti silua iuxta modum quo proprietarius vtebatur, puta pro palis arborum, truncos ad radicem non exscindendo.*

11 *Fructuarius cui palos ex silua cædua excidere licet, illos vendere potest, etiamsi proprietarius iis vteretur tantùm ad agri sui necessitatem.*

12 *Fructuarius qui principaliter ipsius siluæ cæduæ vsumfructum habet, non tenetur obseruare modum à proprietario in cædendo obseruatum, sed ad radices vsque cædere potest, & cæsa vendere.*

13 *Fructuarius cui accessoriè silua non cædua vsusfructus competit, palis tantùm ex ea sumptis, vti potest ad agri principalis necessitatem.*

NVnc videndum sequitur, quid fructuarius siluæ, nomine fructuũ consequatur; pro cuius rei declaratione supponendum est, aliam dici † cæduam, cuius scilicet arbores exscindi consueuerunt, & semel excisæ ex stirpibus, aut radicibus rursus renascuntur. *l. sylua* 30. *in princ. ff. de verbor. significat.* Et quæ propterea de tempore in tempus, puta de quinquennio in quinquennium, cædi solent. *l. si absente. §. fin. ff. de vsufr. l. cùm manu lata. §. sylua ff. de contrah. empt.* nec minus cædua † dicitur, si succisæ arbores non renascantur, nisi longiori tempore, dummodo cædi à proprietario consueuerit, vel eius autoribus: attenditur namque in his potissimum patrisfam. consuetudo. *d. l. item si fundi. §. fin. vers. nam & Trebatius.* Aliam † verò dici non cæduam, cuius scilicet arbores cædi non solent, vel cæsæ non renascun

1.
2.
3.

renascuntur, qualia sunt pineta, id est, sylua pinis consita, cupressi, & similis naturæ, quæ neque semel succisæ non renascuntur, sed ex semine quod in terram cadit, nasci experientia docet, vt notat Guttier. *de tutel. & cur. part. 3. c. 27. num. 6.* post Baium *à decis. 104. num. 2.* quæ dicitur sylua pa-
4. scua, † seu saltus pascuus, quod pecudum pastioni, seu pastui destinata sit. *d. l. sylua. §. fin.* Arbores itaque ex ea regulariter cædere, non fructuario, sed cùm pastio animalium sit in fructu, pecus suum immittere, vel alienum poterit,
5. accepta certa pecunia; arbores † tamen demortuas accipere poterit alias substituendo. *l. agri 18. ff. de vsufr.* Itidem & arbores, ob vetustatem, vel aliàs breui interituras euellere, aliis subrogatis, arg text. *in l. in fraudem. §. conductor. ff. de iur. fisc.* vt communiter sentiunt interpretes, *in d. l. diuortio.*
6. *§. si fundum.* Arbores † autem vi ventorum, vel tempestatis euulsæ, seu impetu fluminis deiectæ, ad proprietarium pertinent, non fructuarium; ideoque fructuarius eo casu alias substituere non tenetur. *l. arboribus, l. arbores. ff. de vsufr.*
7. nisi velit † illis vti ad materiam necessariam pro refectione villæ, vel pro calce coquenda ad dictam refectionem necessaria, & sic pro dicta calce coquenda arbores euulsas in lignum conuertere ad comburendum; si tamen aliunde li-
8. gnum non habeat. *d. l. arboribus.* vbi materia † dicitur lignum quod ædificio applicatur; lignum verò denominatur quod ad comburendum destinatur: arbores autem fru-
9. giferas, † quales sunt glandiferæ, præsertim si non sint aptæ renasci, vel cædi non solitæ, non poterit exscindere. *d. l. æquißimum. §. fructuarius.* Item neque arbores grandiores, quas in altum crescere voluit proprietarius ad prospectum & delectationem. *l. sed si grandes. ff. de vsufr.* Etiamsi pedamenta ad vsum necessarium agri fructuarij inde colligere vellet, quòd licet ex sylua non cædua, *l. ex sylua, in fin. ff. de vsufr.* nec arbores non cæduas permissum erit exscindere sub colore & prætextu alias arbores in earum locum substituendi. Et hæc sufficiant de fructibus, seu compendio syluæ non cæduæ.

In sylua autem cædua dum quæritur, quid fructuarius iure vsusfructus consequi debeat, distinguendum, quia aut

fundi

fundi principaliter constituitur vsusfructus, cui accedit sylua cædua, aut ipsius syluæ principaliter. Priori † casu poterit vti fructuarius, iuxta modum, secundùm quem proprietarius vtebatur, puta pro palis inde excidendis, non autem arborum truncis ad radicem vsque, & quamuis † proprietarius illis tantùm ad sui agri necessitatem vteretur, non autem venderet eam qualitatem, seruare non tenebitur fructuarius, imò vẽdere poterit. *d.l. item si fundi. §. fin. & in verſ. Nam & Trebatius* præsertim verò si simus in posteriori casu, tũc enim neque † modũ à proprietario in cædendo obseruatum tenebitur seruare, sed ad radices vsque cædere, & cæsas vendere poterit. *d. §. fin. verſ. nisi fortè*, &c. fac. text. *in d.l. ex sylua*, cuius prior pars accipi debet de syluæ cæduæ vsufructu iure accessionis competente. Sin verò † accessione syluæ non cæduæ vsusfructus competeret, tunc palis tantummodo vteretur ad principalis agri necessitatem. *d. l. ex sylua*, in sui secunda parte. 10. 11. 12. 13.

---

§. IV.

SVMMARIVM.

1 *Fructuarius quod ex venatione, aucupio & piscatione capit, suum facit, declara vt num. seqq.*

2 *Fructuarius facit suum quod capit ex venatione, aucupio, & piscatione, si quod capitur sit in sua libertate naturali, puta intra montes, vel flumen publicum per fundum defluens.*

3 *Fructuarius potest quidem capere, interficere & in suos vsus conuertere animalia quæ non sunt in sua libertate naturali, sed sunt viuariis & stagnis inclusa, numerum tamen sibi ab initio traditum reddere tenetur.*

FRuctuarius quoque † quod ex venatione, aucupio, & piscatione capit, suum facit. *d.l. item si fundi. §. & si apes. §. aucupiorum. l. vsufructuarium venari. ff. de vsufr.* & quidem si † quod capitur erat in sua libertate naturali, puta intra montes, saltus & nemora fundi fructuarij, vel flumen pu- 1. 2.

blicum per fundum fructuarium defluens, ad fructuarium pertinet, nedum iure ciuili ratione vsusfructus, verùm etiam iure gentium, *d.l. vsufructuarium venari, in fin. princ. §.feræ. §.apum*, cum similibus, *Instit. de rer. diuis.* Sin verò
3. † non fuerint in eorum libertate naturali, sed viuariis, stagnis, vel similibus locis inclusa sint, ea animalia poterit quidem fructuarius capere, & interficere, & in suos vsus conuertere; ita tamen quòd numerum existentem ab initio constituti vsusfructus sibi traditum diminuere non possit, sed integrum reddat proprietario donum finito vsufructu. *d. l.vsufructuarium venari. §. in viuariis.* quod extendi poterit ad columbaria, quibus columbæ cicuratæ includuntur.

---

§. V.

SVMMARIVM.

1 *Fructuarius latifundij, si dominus habet ius prohibendi alios ne venari possint fera animantia libertatem naturalem retinentia, venari potest, & alios prohibere.*

2 *Ancilla partus non est in fructu, pecudum verò fœtus sunt in fructu.*

3 *Seruorum & animalium vsusfructus rectè constituitur.*

4 *Animalium vsusfructus quandoque conceditur, quatenus singula quaque de per se considerantur, & tunc fœtus sunt fructuarij, quandoque quatenus plura vnita gregem constituunt, & tunc fœtus sunt fructuarij.*

5 *Fructuarius gregis fœtus submittere tenetur in locum demortuorum, aliàs à proprietario conueniri potest in id quod interest.*

6 *Fructuarius ex fœtibus natis pleno grege submittere tenetur, si gregis capita incipiant, nec postea fœtus nascantur.*

7 *Animalia quæ fructuarius summittere tenetur, ante submissionem pereunt fructuario.*

8 *Vsusfructus animalium de per se consideratorum, & non gregatim, si detur & pereant, ea pereunt omninò proprietario,* nec

nec summissioni locus est.

9 *Gregis diminutio cedit in damnum legatarij.*

10 *Gregis legatario debentur pulli nati ante moram.*

11 *Legatarius gregis differt ab eo cui relictus est vsusfructus gregis, in eo quod priore casu, etiamsi grex redigatur ad eum numerum, qui gregem non constituit, legatum sustinetur, vsusfructus autem tunc finiretur.*

12 *Gregem quot capita constituant iudicis arbitrio relinquitur, inspecta regionis consuetudine.*

IDem quoque iuris constituendum erit in feris animanti- 1.
bus † libertatem naturalem retinentibus, & minimè inclusis, si dominus fundi, seu latifundij ius prohibendi habeat alios, ne intra fines sui latifundij possint venari, aucupari, piscari, quale ius prohibendi competit ferè in tota Gallia dominis locorum, sine quorum permissu, seu licentia nemo intra eorum territoria venari, aucupari, vel piscari potest, pœnâ confiscationis rerum captarum, & mulctâ, seu pœnâ prӕterea arbitraria.

Hinc occasione data vidēdū, quid fructuarius gregis, nomine fructuum consequatur. Et quidē certum est† ancillӕ par- 2.
tum non esse in fructu. *l. vetus. ff. de vsufr.* Fœtus verò pecudum esse in fructu. *d. l. vetus. §. fœtus. l. in pecudum. ff. de vsur. §. in pecudum. Instit. de rer. diuis.* vbi agni, hædi, vituli, equuli, suculi dicuntur esse in fructu. Et quidem seruorum† & ani- 3.
malium rectè constituitur vsusfructus, quippe quӕ vsu non consumantur. *§. constituitur. Instit. de vsufr.* Quorum quidem † vsusfructus quandoque conceditur quatenus singu- 4.
la quӕque de per se considerantur, & tunc fœtus omnino fiunt fructuarij. *l. quid ergo. §. sed quod dicitur. ff. de vsufr.* quandoque quatenus plura simul vnita gregem constituunt, & tunc fœtus eatenus remanent fructuarij, quatenus ab eo non submittuntur in locum demortuorum, vel inutilium. *d. l. vetus. §. fin. cum l. seq. d. §. in pecudum, in fin.* Eos † autem 5.
submittere tenetur, & si non submiserit, à proprietario conuenitur in id, quod interest. *d. l. quid ergo, in princ.* quòd si pleno grege † nascantur, deinde capita gregis deficere 6.
cœperunt, si fœtus postea non nascantur, ex prioribus

summittere tenebitur. *d.l.quid ergo. §.item si fortè.* tunc enim debet dispertire fœtus priores, & in locum demortuorum, seu inutilium summittere, quorum desinit esse dominus: summissio namque est facti, & nil aliud est, quàm diuisionem quandam facere, cùm summissorum & fœtuum separatorum ea de causa dominium ad proprietarium pertinere incipiat. *d.l.quid ergo. §.fin.* quia nondum separatorum dominium ad fructuarium pertineat. *d.l.quid ergo. §.1.* & ideo
7. ante † summissionem pereunt fructuario, qui de suo postea tenebitur capita demortua supplere, sibique imputatur quòd suo tempore non submiserit. *d.l.quid ergo. §.secundùm*
8. *qua.* Quando verò † singulorum animalium de per se considoratorum, & non gregatim vsusfructus conceditur, tunc pereunt omnino proprietario, nec submissioni locus est. *d. l. quid ergo. §.sed quod dicitur.* Alia quoque est differentia, quia circa gregem cadit augmentum, seu diminutio, cùm sit quædam vniuersitas. *§.si grex. Instit. de legat.* & idcirco † pulli nati ante moram debentur gregis lega-
9. tario. *l.equis* 39. *ff.de vsur.* aliàs secus esset, & quod gre-
10. gis † diminutio cedat etiam in legatarij damnum, text. est *in l. grege, & in l. si grege. ff. de legat.* 1. sed differt legatarius, cui proprietas † gregis legata est, ab eo, cui
11. vsusfructus relinquitur, quia priore casu etiamsi redigatur ad eum numerum, qui gregem non constituit, etiam in vna oue, quæ sola remanserit, legatum sustinetur. *d. l. si grege*; posteriore verò extinguitur vsusfructus. *l.fin. ff.quemadm.vsusfr.amitt.* Decem autem † constituere gregem, non
12. minorem numerum, plerumque existimarunt, ex *l. oues. ff.de abige.* quod tamen arbitrio iudicis committitur. Conanus *comment iur. ciuil. lib. 4. cap.6. num.*10. inspecta scilicet qualitate testatoris ipsius legatoris, vel etiam regionis consuetudine, argument. *l.si seruus plurium. §. fin. ff. de legat.*1.

§.VI.

§. VI.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus effectus censeri potest ius accrescendi.*
2 *Ius accrescendi est ius restituendæ, vel nanciscendæ portionis illius, qui non concurrit, vel concurrere desiit.*
3 *Ius non decrescendi competit ei qui relictum sibi & aliis insolidum agnouit, quod alij postea recusant.*
4 *Ius accrescendi competit etiam in hæreditatis portione repudiata; portio namque repudiantis accrescit acceptanti.*
Item & in vsufructu, etiamsi semel diuisus fuerit, altero namque vti desinente, portio illius accrescit alteri, ibid.

INter effectus † iure censeri potest ius accrescendi, dum vnius fructuarij non concurrentis, seu deficientis portio alteri accrescit. *l. 1. in princ. & §. interdum. ff. de vsufr. accresc.* Sed vt rem totam absolutè intelligamus, sic definitur † ius accrescendi, ex Cuiac. ad African. *tract. 5. in l. 36. §. fin. ff. de vsufr.* scilicet ius retinendæ, vel nanciscendæ partis eius, qui non concurrit, vel qui concurrere desiit, dicitur ius retinendæ partis eius quæ non concurrit, quia toiens ius accrescendi locum habet; quoties inter duos pluresve, quorum cuilibet quod solidum relictum erat, concursu diuisum fuit, vt ex Celsi sententiâ tradit Vlpian. *in l. 3. in princ. ff. de vsufr. accresc.* cuique enim solidum lex, aut sermo testatoris adsignare videtur, ita vt aliis postea concurrentibus relictum agnoscendo, seu acceptando partes abstrahi censeantur, quas concurrendo fecere ab eo qui relictum priore loco agnouerat. Et sic per posteriorem concursum prioris agnoscentis legatum minuitur. *l. vnic. §. sin verò non omnes. C. de caduc. tollen.* Sin verò † post prioris agnitionem, seu acceptationem nemo alius relictum agnouerit, tunc apud eum, qui prior agnouerit, remanet relictum insolidum, quod non dicitur augere ob euacuatas partes deficientium, quæ nullæ ante acceptationem dici potuerunt, sed potiùs non diminui, nullius concursu intercedente, qui partem

1.

2.

3.

 fecerit,

fecerit, & abstraxerit. *d. l. vnic. §. sin verò nemo.* vnde eo casu à Cuiac. *vbi suprà*, rectè denominatur ius non decrescendi, quia ob non sequutum concursum non decrescat, seu diminuatur quod priori relictũ acceptãti in solidũ fuerat quæsitum, licèt reuocabiliter: quamdiu enim qui nondum partem fecit, concurrere potest, pendet à futuro euentu, vtrùm qui prior agnouit, sit totum effectiuè habiturus. *l. 2. §. pro qua quisque parte ff. de bonor. possess. secund. tab.* vbi de portione cohæredis deliberantis, quæ interim, qui iam bonorum possessionem agnouit, & in effectu non defertur, vt verba finalia d. §. apertè demonstrant. Dicitur præterea ius nanciscendæ partis eius, qui concurrere desiit, dum scilicet ab initio partes adscripti fuere, puta in hæreditate; tunc
4. enim pars † repudiantis dicitur accrescere portioni adeuntis, cui antè non fuit delata. *d. §. pro qua quisque parte, in fin.* vel in vsufructu, qui diuisus semel fuit per concursum, & eo postea cessante, partis deficientis, seu concurrere desinentis, de nouo alteri quæritur, seu accrescit. *d. l. 1. §. interdum.* quo casu verè dicitur ius accrescendi.

---

§. VII.

SVMMARIVM.

1. *Ius accrescendi in portionibus deficientium competit acceptantibus, etiam inuitis, & ignorantibus.*
2. *In iure non decrescendi non est opus noua aditione, seu agnitione.*
3. *Hæreditatis portio si sub conditione relicta sit, & per alium, puta seruum, acquirenda, noua aditione opus est.*
4. *Hæreditas delata semel acquisita non accrescit, secus in vsufructu.*
5. *Cohæres etiam qui semel adiuit hæreditatis portionem, potest eam respuere, si portio cohæredis sub conditione relicta sibi deferatur per ius accrescendi.*
6. *Ius accrescendi in hæreditate locum obtinet, siue ab intestato, & tunc sola legis coniunctio consideratur, siue ex testamento,*

quo

quo casu præter legis coniunctionem plerumque concurrit etiam hominis coniunctio.

7 *Ius accrescendi adeò locum habet in hæreditate, vt nulla hominis requiratur coniunctio, imò deferatur, etiamsi hæredes sint verbis separati, etiam portionibus cuilibet assignatis.*

8 *Hæres cogitur vel totam hæreditatem agnoscere, vel totam repudiare, ne quis pro parte testatus, & pro parte intestatus decedat.*

9 *Ius accrescendi locum habet in legatis, seu fideicommissis, si legatarij sint saltem re coniuncti, coniunctio namque triplex est, alia enim fit re tantùm, alia verbis tantùm, alia re & verbis.*

10 *Coniunctio re & verbis fit quando pluribus vna eademque res relinquitur partibus non adscriptis, sub vna eademque oratione.*

11 *Item si adsit dictio copulatiua &c, vt Titio & Mauio, seu Titio Mauioque, vel Titio cum Mauio fundum do lego.*

12 *Item si sic legetur, Lucio Titio, Publio Mauio fundum lego, virgula namque loco copulatiuæ habetur, & sufficit vt ab vno eodemque verbo oratio regatur.*

13 *Item si fundus legatus est Titio pro dimidia, & Seio ex ea parte, qua Titio relictus est; Sempronio verò pro dimidia, duo priores dimidiam inter se diuident.*

14 *Coniuncti re tantùm dicuntur illi, quibus eadem res separata oratione relinquitur, & plerumque disiuncti vocantur.*

15 *Coniuncti verbis tantùm dicuntur illi, quibus eadem res relinquitur oratione coniuncta; certis tamen partibus cuilibet assignatis, vt, Titio & Mauio fundum lego pro æquis partibus.*

16 *Ius accrescendi non habet locum inter coniunctos verbis tantùm.*

EX præmissis infertur, accrescere † portiones deficientium, etiam inuitis, & ignorantibus, qui priore loco 1.
relictũ agnouerũt. *l. is qui hæres institutus. l. qui ex duabus. §. vlt. de acq. hæred. l. unic. §. his ita definitis. C. de caduc. tollen.* adeò
† vt non sit opus noua aditione, seu cognitione, quia reli- 2.
ctum non tam augetur per ius non decrescendi, quàm non
dimi

diminuitur. *d.l.vnic.§.sin verò nemo.* In iure verò accrescendi sit absurdum partem agnoscere, partem respuere. *dict. §.his ita*, nec obstat text. *in l.si solus. §.vlt. ff. de acq. hæred.*
3. quia † ibi noua aditione opus est pro quærenda parte hæreditatis sub conditione relicta, ne aliàs ea omissa accresceret etiam alteri cohæredi. Nec item obstat text. *in l. si minor. ff. eod. tit.* quia ibi minor adeundo portionem sibi delatam
4. quæsiuit, quæ † semel quæsita non accrescit, præterquam in vsufructu. *d.l.1.§.interdum.ff.de vsufr.accresc.* Ideo non mirum si minor eam semel quæsitam iure speciali in beneficio restitutionis à se abdicauerit, non accrescat, seu acquiratur alteri cohæredi, nisi volenti. Nec denique obstat text.
5. *in l.cum hæreditate. ff. de acq. hæred.* quia ita demum † accrescit portio deficientis etiam inuito, si voluerit portionem sibi quæsitam retinere. Aliàs namque datur facultas, & offertur conditio, vel totum retinendi, vel totum respuendi, ob causam quæ de nouo superuenit post acquisitionem à se factam, vt nominatim deciditur *in d.l.cum hæreditate.*
Et quidem ius accrescendi circa duo potissimum consideratur, nimirum hæreditatem & legata, seu fideicommissa.
6. Et in hæreditate † locum obtinet siue plures ad eam vocentur, siue ab intestato. *l. si ex pluribus. ff. de suis & legit. hæred.* quo casu sola legis coniunctio attenditur, quæ cuilibet assem hæreditarium defert, nisi quatenus per concursum partes sibi faciunt, siue ex testamento, *l.qui ex duabus. §.vlt. ff. de acq.hæred.* quo casu præter legis coniunctionem plerumque concurrit etiam hominis coniunctio, quod locum habet nedum quando iure ciuili, verùm etiam quando iure prætorio successio defertur. *§.cùm igitur, Instit.de bonor. possess.l.3.§.vlt.l.4.& 5.ff.eod.l.vnic. C. quand. non peten. part.* Et quia sola legis coniunctio, de qua suprà, sufficit pro iure
7. accrescendi, ideo † in hæreditate non requiritur aliqua hominis coniunctio, imò licèt verbis separati sint hæredes scripti, etiam portionibus cuilibet adscriptis, non propterea minus habebit locum ius accrescendi, inspecta scilicet legis coniunctione, ne scilicet vnius hominis hæreditas scindatur. *d.l.vnic.§. his ita definitis*, cùm sit absurdum partem hæreditatis agnoscere, partem verò respuere. Imò
totam

totam habere, † vel totam repudiare cogitur. *d. l. cum hereditate.* etsi ageretur de successione ex testamento. Alia præterea ratione non posset quis partem agnoscere, aliam verò repudiare, ne quis pro parte testatus, & pro parte intestatus decederet. *l. ius nostrum. ff. de regul. iur.* In legatis† verò, 9.
seu fideicommissis locum habet ius accrescendi, si sint coniuncti saltem re: alij namque sunt coniuncti re, & verbis, quæ est potior & potentior coniunctio, quando scilicet pluribus † vna eademque res relinquitur, partibus non ad- 10.
scriptis sub vna eademque oratione, qualia sunt exempla quæ referuntur à Paulo *in l. triplici. ff. de verb. signific.* siue dictio copulatiua, † quales sunt *&*, *que*, cùm posita sit; vel- 11.
uti Titio, & Mæuio, seu Titio Mæuioque, vel Titio cum Mæuio, fundum Sempronianum do lego. Illa namque dictio *cum*, perinde copulat, vt superiores. *l. si quis Attio. ff. de vsufr. ac. resc. l. Titia. §. nihil. ff. de legat.* 1. siue nulla dictio † co- 12.
pulatiua sit posita, veluti Lucio Titio, Publ. Mæuio fundum Sempronianum do lego, tunc enim virgula loco copulatiuè habetur. *d. l. triplici, vers. videamus autem.* sufficit namque ab vno eodemque verbo orationem regi, vt inde coniungere volentis intentionem deprehendamus. *l. alienationis. §. vlt. ff. de verbor. signific.* Et quod in toto fundo † dictum fuit, idem in eius quoque parte obtinebit, puta si 13.
Titio ex parte dimidia fundus legatus est, Seio ex ea parte, qua Titio relictus est, Sempronio ex parte dimidia, tunc enim duo priores in eundem semissem coacti & coniuncti esse videntur. *d. l. triplici. §. fin. l. Iulianus. ff. de hered. instit.* quippe qui vnius personæ potestate fungantur. *l. planè 34. in princip. circa fin. ff. de legat.* 1. Re autem coniuncti † di- 14.
cuntur illi, quibus eadem res separata oratione relinquitur, ita vt licèt verbis disiuncti, qua ratione in iure plerumque disiuncti appellantur, re tamen ipsa sint coniuncti. *§. si eadem res, Instit. de legat.* & quia re coniuncti ἀπλῶς, seu generaliter accepto coniunctionis vocabulo rectè coniuncti denominantur. *l. coniunctim 80. l. re coniuncti. ff. de legat. 3. d. l. triplici, in princ.* Verbis† autem tantùm coniuncti dicuntur il- 15.
li, quibus eadem res relinquitur oratione coniuncta, & sub vna periodo, certis tamen partibus cuilibet assignatis, vel-

uti fundum Sempronianum Titio & Mæuio æquis partibus do lego, *d.l.re coniuncti*; tunc enim non tam eos coniunxisse censetur testator, quàm celeriùs dixisse videtur. *l. si ita quis 66. ff. de hæred. instit.* cùm enim partes sibi assignatas habeant ab initio etiam citra concursum. *l. 1. §. fin.* aliàs *l. 2. cum seq. & l. pen. ff. de vsufr. accresc.* Ideo solidum ab initio cuilibet per testatorem assignatum fuisse censeri nō potest, quemadmodum sine partium assignatione cuilibet res eadem relinquitur. *d. l. vnic. §. sin verò non omnes. C. de caduc. tollen.* & propterea meritò re separati omnino dicuntur, ita
16. † vt inter eos ius accrescendi locum non habeat. *d. l. 1. §. fin. l. 2. l. pen. & fin. ff. de vsufr. accrescen.* dum quisque scilicet ab hæredibus partem sibi adsignatam separatim vindicat.

§. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Ius accrescendi, seu non decrescendi, locum habet inter re tantùm coniunctos, puta si collegatarius vnus agnoscit, alij verò respuunt.*

2 *Item inter coniunctos re & verbis.*

3 *Inter coniunctos verbis tantùm non habet locum, cùm re sint omnino separati, nisi deprehendatur contraria fuisse testatoris voluntas.*

4 *Coniecturata coniunctio re & verbis elicitur, ex quo vnus collegatariorum, quibus partes erant assignatæ, nondum natus, vel conceptus erat.*

5 *Fundus sic legatus, Primo & secundo fundum Sempronianum lego: tertio eundem fundum, oratione tamen separata: quarto eundem fundum: quinto & sexto eundem fundum lego, in quatuor partes diuidendus erit, quarum primam habebunt primus & secundus; tertius secundam; tertiam quartus; quintus & sextus quartam partem habebunt, & quomodo inter eos ius accrescendi locum habeat.*

Dum

DVm autem quæritur, an inter coniunctos ius accrescendi locum habeat; distinguendum, aut omnes collegatarij, seu confideicommissarij sunt re tantùm coniuncti, & inter † eos ius accrescendi, seu non decrescendi, locum obtinet, dum scilicet vnus puta agnoscit, alij verò respuunt, & sic cessante concursu partes relicti non abstrahunt. *d. §. si verò non omnes, cum §. seq. d. l. coniunctim, §. si eadem. d. l. 1. in princ. & l. idem Neratius, in princ. ff. de vsufr.* Sin verò † sint coniuncti re & verbis, id multo magis obtinebit *dict. §. si eadem, d. l. re coniuncti, d. l. triplici.* Sin autem verbis † tantùm coniunguntur, dum re omnino separati existunt, cessat inter eos ius accrescendi. *d. l. penult.* nisi contraria deprehendatur fuisse testatoris voluntas, quos scilicet eos coniungere verbis affectarit, vt ipsa re etiam coniungeret, qualis est casus *in l. si duobus. §. fin. ff. de legat.* 1. & voluntatis coniectura † ex eo elicitur quòd vnus collegatariorum, quibus partes erant assignatæ, nondum esset natus, vel forsan nondum conceptus, & sic nondum in rerum natura. 1. 2. 3. 4.

Sed tota difficultas versatur, quid nam iuris sit dum plures concurrunt in vno eodemque relicto, quorum aliqui re & verbis coniuncti sunt, aliqui re tantùm, alij verò verbis tantùm, quæ videtur esse quæstio, de qua *in d. l. re coniuncti*, puta si primo & secundo legauerit fundum Sempronianum, tertio legauerit eundem fundum, quarto itidem eundem fundum, oratione tamen separata, legauerit, quinto & sexto eundẽ fundũ æquis tantùm partibus legauerit. Primò quæritur, si omnes concurrãt agnoscendo relictũ, in quot partes fundus relictus sit diuidendus, & in quatuor partes † æquales diuidendum fore constat, quarum vna assignabitur primo & secundo, secunda tertio, tertia quarto, quarta verò restans quinto & sexto legatariis, ea nimirum ratione, quia si coniuncti, puta re & verbis, aut verbis tantùm sint commixti, cùm re tantùm coniunctis, qui disiuncti plerumque appellantur, vnius personæ potestate funguntur. *d. l. planè, circa finem principij.* Secundò verò quæritur, si vnus eorum deficiat, nec concurrat, quibus portio deficientis accrescat, & quis inter eos præferatur, & siquidem deficiat vnus ex cõiunctis re tantùm, puta tertius, 5.

 tunc

tunc omnibus accrescit, videlicet primo, & secundo pro vna virili, quarto pro alia virili, quinto & sexto pro reliqua virili, & sic in tres partes æquales portio deficientis distribuitur, neque enim quartus, qui re tantùm coniunctus, aliis potior est, qui similiter cum tertio deficiente re quoque coniuncti erant. *d.l.re coniuncti, vers. quòd si re tantùm*; sed si primus deficiat, tunc soli secundo cum quo re & verbis coniunctus erat, eius deficiẽtis portio accrescit. *d.l.re coniuncti, vers. præfertur igitur*, &c. Et id quidem indubitatum; sed Paulus *in d.l.re coniuncti, vers. si verò verbis*, &c. ait quæstionis esse, an si quintus defecerit, qui tantùm verbis coniunctus erat sexto, ipsius deficientis portio soli sexto accrescat, quod magis verum esse respondet, quia hæc coniunctio verbalis inter quintum & sextum affectata fuisse videtur per testatorem, vt eos coniungeret, non tantùm verbis, verùm etiam reipsa partes exprimendo, potiùs animo demonstrandi partes, quas per concursum facerent, quàm animo diuidendi rem legatam inter eos ab initio, præsertim cùm in dicta facti species quintus & sextus, licèt verbis tantùm coniuncti, vnius personæ vice fungerentur. *d.l.planè.*

---

§. IX.

SVMMARIVM.

1 *Legatorum portio recusata non accrescit aliis inuitis, si sint re, & verbis coniuncti, sed remanent penes eos, à quibus ea præstari debebant.*

2 *Hæreditas est successio in vniuersum ius defuncti.*

3 *Legatarius re tantùm coniunctus, qui prior agnoscit, solidum consequitur, si alij deficiant, aut non concurrant, & onus sibi à testatore, & non aliis iniunctum agnoscit.*

4 *Antinomia circa ius accrescendi conciliantur, &* l.& Proculo.ff.de legat.2. *explicatur.*

5 *Legatum factum seruo duobus dominis communi, qui agnouit legatum, acquiritur totum vni, altero recusante.*

6 Ius

6 *Ius accrescendi locum habet in vsufructu, etiamsi semel quæ-*
4 *situs postea amittatur, cùm singulis momentis vsusfructus legari, acquiri & constitui censeatur.*

VErùm legatariis, † seu fideicommissariis si sint coniuncti re & verbis, qui priores relictum agnouerunt, 1.
non accrescit deficientium portio inuitis, sed volentibus tantùm, & cum onere deficientibus iniuncto, quod subire, & adimplere tenentur; & casu quo nolint, remanet relictum pro deficientium portione apud eos, à quibus præstari testator voluerat. *d.l.vnic.§.vbi autem legatarij.C.de caduc. tollend.* cessat namque ratio in legatis, seu fideicommissis, quæ contrarium induxit in hæreditate, eo quòd scilicet
† hæreditas sit successio in vniuersum ius. *l.nil aliud.ff. de* 2.
verbor.signific. l.hæreditas. ff. de reg.iur. & hæres repræsentet personam defuncti. §.1. *Auth.de iureiur.à morient.præstito.* nec propterea scindi possit pro parte acceptando, & pro parte repudiando. *dict.l.cum hæreditate.* Secus autem est in legatis, fideicommissis, & aliis particularibus relictis: sin autem
sint † re tantùm coniuncti, tunc qui prior agnouit, solidum 3.
consequitur, ita vt si alij deficiant, seu non concurrant, solidum legatum penes priorem remaneat, sine diminutione, quo casu onus sibi à testatore iniunctum tantùm agnoscit, non autem aliis, qui defecerunt, cùm non ex aliorum persona, sed ex propria legatum consequatur. *dict.l.vnic.§.sin verò.* Et hæc est differentia inter hæredes, & legatarios, seu fideicommissarios, ratione iuris accrescendi, quia scilicet hæredibus inuitis, & nolentibus deficientium portio cum suo onere semper accrescat: legatariis verò, seu fideicommissariis, si sint coniuncti, accrescat cum suo onere, eo quòd sic coniuncti vnius personæ potestate fungantur. *d. l.planè, in princ.circa fin.ff. de legat.* 1. quasi in vnum corpus redacti. *d.l.vnic.§.hoc ita tam variè.* Sin verò disiunctus fuerit deficiens, tunc qui totum retinet, licèt inuitus, onus deficientis tanquam à se alienum non agnoscat. §. *si verò non omnes, cum §.seq.* Et in hoc differt etiam ab hærede, qui omni casu cum onere deficienti iniuncto eius portionem inuitus & nolens suscipit. *d.l.vnic.§.sin verò quidam,& §.seq.*

Reliquum est vt videamus, quánam ratione apertè iuris antinomiæ circa ius accrescendi conciliari debeant. Et pri-
4. mò quidem† quoad *l. & Proculo. ff. de legat. 2.* quæ ex diametro pugnat cum *l. 1. §. 1. ff. de vsufr. accresc.* respondendum *in l. & Proculo*, Celsum non admisisse ius accrescendi ex Proculi sententia, cuius sectator erat, quia dominorum personas attenderat, inter quos ab initio legatum diuidebatur pro partibus dominicis, & sic inæqualibus; Vlpianum verò ex Iuliani sententia, qui Sabini sectator erat, admittere ius accrescendi inter duos dominos serui communis, cui legatum relictum erat, quod ipsius serui communis & legatarij personam attenderet, non dominorum, quibus ex persona serui legatum quæritur, vt disertè *in d. l. 1. §. 1.* cu-
5. ius sententia propterea præualuit, vt si vnus † dominorum proprietatem quærere noluerit seruo communi legatam, sed eam acquisitionem omiserit, totum quæratur alteri domino, legatum ex persona serui agnoscente, qualis casus proponitur *in d. l. & Proculo*, & idem iuris erit, si vnus dominorũ amiserit vsumfructum sibi ex persona serui communis pro parte dominica quæsitum, vt deciditur *in dict. l. 1. §. 1.*
6. Ius † namque accrescendi locum habet in vsufructu, etiam si semel quæsitus postea amittatur, eo quòd singulis temporum momentis legari, acquiri & constitui censetur: vnde quandocunque deficit concursus vnius ex collegatariis, totus remanet penes alium, secus in proprietatem, quæ eo solo tempore acquiritur, quo vindicatur, vt disertè distinguit Vlpian. *in d. l. 1. §. interdum.*

---

§. X.

SVMMARIVM.

1 L. si duobus, in princ. cum §. fin. ff. de legat. 1. *explicatur, & num. 5.*

2 *Item* l. planè. §. si coniunctim, & l. huiusmodi. §. si Titio. ff. de legat. 1. *explicantur, & conciliantur* cum §. si duobus, d. l. planè. l. 1. §. idem ait, & §. seq. ff. de vsufr. accresc.

cresc. & d. l. coniunctim, ff de legat. 3.

3 *Item* l. vlt. §. Seio. ff. de legat. 2. *explicatur*, *& conciliatur cum* l. si seruo sub conditione, §. 1. ff. de statulib.

4 *Item* l. legatum. §. 1. ff. de legat. 1. *explicatur*, *& conciliatur cum* l. 7. ff. de legat. 2.

PVgnat secũdò † *l. si duobus, in princ. cum §. fin. eiusdem l. ff. de legat.* 1. vbi duobus legatum relinquitur, quorum vnus in rerum natura non erat, & *in princ. d. l.* vult ei, qui solus est, dimidiam tantùm partem rei legatæ deberi, sic excludendo ius accrescendi. *in d.* verò *§. fin.* vult Titium posthumi collegatariũ totum vindicare legatum, non nato posthumo, & sic iure accrescendi, seu non decrescendi. Tertiò eadem † deprehenditur antinomia *in l planè* 34. *§. si coniunctim*, quæ conuenit cum *l huiusmodi. §. si Titio. ff. de legat.* 1. Et pugnat apertè dum excludit ius accrescendi, partem tantùm capaci deferendo, scilicet cum *§. si duobus, in d. l. planè, dict. l.* 1. *§. idem ait, in fin. & §. seq. ff. de vsufr. accresc. & d. l. coniunctim. ff. de legat.* 3. vbi ius accrescendi inter similes collegatarios admittitur. Quartò pugnat † *l. vlt. §. Seio. ff. de legat.* 2. dum vnum collegatarium excludit defectu conditionis, alterum verò ad dimidiam partem rei legatæ admittit, videlicet cum *l. si seruo sub conditione. §. 1. ff. de statulib.* vbi qui conditionem implet, totum consequitur, & sic partem habet, quam alter per concursum fecisset, si conditionem impleuisset. Quintò & postremò † pugnat *l. legatum. §. 1. ff. de legat.* 1. vbi partem deficientis legatarij à seipso cohærede pro semisse legari non potuit, collegatarij vindicant, scilicet cum *l. 7. ff. de legat.* 2. vbi hæres qui duobus dare damnatur, quorum vnus capere non possit dimidiam tantùm summæ legatis consequitur. Quorum iurium conciliatio † petenda erit ex differentia legatorum damnationis, & vindicationis, de qua apud Vlpian. *in fragmentis, sub tit. de legat.* Paulum *lib. 3. receptar. sentent. sub eodem tit.* Et vtrobique Cuiac. quia in vindicationis legato, per quod testator ad legatarios orationem, seu verba directi dirigebat, siue re tantùm coniuncti, siue etiam verbis, ius accrescendi locum habebat; quisque enim solidum prætendere & vindicare poterat,

Marginal numbers: 1. 2. 3. 4. 5.

poterat, nec partes fiebant, nisi demum sequuto concursu. *d.l.idem Neratius.* §.1. *ff. de vsufr. accresc. l.coniunctim. ff. de legat.* 3. *d.l.vn.* §. *sin verò non omnes, cum* §. *seq. C.de caduc.tollend.* In legato verò damnationis, per quod testator ad hæredem verba dirigebat, dum eum aliquid dare iubebat, seu damnabat, ius accrescendi locum obtinere non poterat, quia si pluribus coniunctim dare damnabatur, quisque partem tantùm ab initio petere poterat, non solidum, apud Vlp. *vbi suprà*, legitur, præsertim ex Cuiac. emendatione, quo casu ius accrescendi cessat. *d.l.1. in princ. l.2. & l.penult. ff. de vsufruct. accresc.* Sin verò separata oratione cuique rem eandem dare damnabatur, tunc vnus rem agendo consequebatur, alter verò rei æstimationem, vt apud Vlp. *vbi suprà*, quod corrigendo apertè indicat Iustinian. *in d. l. vnic.* §. *sin autem disiunctim.* Et sic iura superiùs allegata, quæ cuique legatario partem concedunt, etiam collegatario deficiente, de legato per damnationem facto accipi debent, vt apertè deprehenditur ex *d.l.7. ff. de legat.* 2. Contraria verò de legato vindicationis, vt colligitur ex verbo *vindicabit*, quo vtitur IC. *in d.l. si duobus.* §. *fin. & in d. l. legatum.* §. 1. & ex *d. l. si seruo.* §. 1. vbi refertur species legati per modum vindicationis, puta illi & illi dicto, & ita conciliantur per Cuiac. *d. tr. 5. ad African. in d.l. qui vsumfructum area.* §. *fin. ff. de vsufr. in d.l. si duobus. ff. de legat.* 1. *& in d.l. triplici.* licèt notet Tribonianum, & alios iuris nostri compilatores incuriæ & indiligentiæ, dum reliquerunt nobis vestigia dictæ legatorum differentiæ, quæ à Iustinian. fuerat antiquata *in l. fin. C. communia de legat. & in d.l. vnic.*

---

§. XI.

SVMMARIVM.

1 *Ius accrescendi locum habet inter collegitimarios, licèt re & verbis sint à testatore disiuncti & separati.*

2 *Triens, vel semis qui à lege liberis assignatur pro legitima, æqualiter inter omnes distribuitur, si omnes concurrant, & partem*

partem faciant; deficientium verò, vel non concurrentium portio cæteris accrescit.

3 *Actio pro legitima, seu ad illius supplementum, successit in locum querelæ.*

4 *Triens, vel semis, qui pro legitima aßignatur, defertur iis tantùm filiis, qui faciunt numerum & partem, cæteris, qui pro mortuis habeantur, exclusis.*

5 *Filius ingressus Religionem in communi capacem bonorum facit numerum & partem, & eius portio accrescit aliis collegitimariis, limita vt num. seq.*

6 *Filius professus Religionem in communi bonorum capacem, potest renunciare legitima in fauorem patris, fratris, vel alterius personæ sibi bene visæ.*

INter collegitimarios † ius accrescendi locum habet, 1.
quantumuis re & verbis à testatore sint disiuncti & separati, quia inter eos attenditur legalis coniunctio. §. 1. *Auth. de trien. & semiss.* si quidem † triens, vel semis à lege as- 2.
signatur liberis, puta pro diuersitate numeri, & si omnes concurrant, & partem faciant, inter omnes æqualiter distribuitur, vt *in d.* §. 1. deciditur; sin verò aliqui deficiant, quia fortè repudiant, eorum portio cæteris accrescit, vt in querela decisum ex *l. qui repudiantis. l. si proponas*, §. *fin. ff. de inoffic. testam.* in cuius locum † successit actio pro legitima, 3.
seu in illius supplementum. *l. omnimodo.* §. 1. *in fin. C. de inoffic. testam.* prout etiam in successione intestati. *l. non pro numero. C. ad SC. Orfic.* cuius pars quota legitima est. *l. Papinianus.* §. *quoniam quarta. ff. de inoffi. testam.* quod verum firmat Gomes. *tom.* 1. *cap.* 10. *n.* 37. & Grass. *in* §. *ius accrescendi, q.* 23. & *in* §. *legitima q.* 7. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 86. *n.* 4. & 9. Et id sine scrupulo procedit quando omnes ad legitimam vocati faciunt numerum, quia admittuntur ad eam petendam, licèt partem non faciant, dum eam petere omittunt, vel apertè repudiant. *d. l. qui repudiantis.* Sed si aliqui pro mortuis † habeantur, quales sunt ritè exhæredati *l.* 1. §. *sed & si* 4.
patruus. ff. de coniungen. cum emanc. lib. item deportati. *l. si necem.* §. *si deportatus. ff. de bon. libert. l. Gallus.* §. *& quid si tantùm*, vbi DD. *ff. de liber. & posthum.* vel Religionem ingressi, quæ bo-

norum in communi sit incapax, quales sunt Franciscani, præsertim verò Capuccini, vulgò nuncupati. *Clem. Exiui à Paradiso. §. capientes, de verbor. signif.* tunc neque admittuntur ad petitionem legitimæ, quippe qui pro mortuis reputentur, & sic neque numerum, neque partem faciunt: vnde si quinque sint numero liberi, quorum vnus D. Franciscus Religionem professus sit, tunc cùm non faciat numerum, reliquis quatuor numero remanentibus triens dumtaxat deferetur. *d. §. 1.* secus † si numerum faceret puta quia
5. Religionem professus sit, tunc cùm non faciat numerum, reliquis quatuor numero remanentibus triens duntaxat deferetur. *d. §. 1.* secus si numerum faceret, puta quia Religionem ingressus, quæ in communi bonorum capax esset, semissem inter se diuiderent cum incremento portionum deficientium: Monasterium namque eo casu filij religiosè personam repræsentat, & actionem nomine suo intentat. *Auth. Ingressi. C. de sacros. Eccles. l. Deo nobis. §. hoc etiam cognitum. C. de Episcop. & Cleric.* & ita distinguendo tenet Cucc. *in Auth. nouissima, cap. si quatuor sint, vel pauciores, n. 13. & 14. C. de in-*
6. *offic. testam.* vbi de communi fallit † si ingrediendo renuntiârit legitimæ, puta in fauorem patris, tunc enim legitimariis non accrescit, sed patri hæredi quæritur, vel alteri in cuius fauorem renuntiârit. Ita Bald. *in d. l. planè, §. si duobus.* Guid. Pap. *decis. 295. num. 1.* quos cum aliis refert Crassus *in dict. §. legitima, quæst. 7. in fin.* & *ibi* de communi testatur.



CAPVT V. & VLT.

De modis quibus vsusfructus finitur, & extinguitur.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus finitur morte fructuarij, non proprietarij, & num. 3.*

2 *Vsusfru*

2 *Vsusfructus cohaeret personae, & ideo non transit ad haeredes.*
4 *Vsusfructus vnitur ipso iure cum proprietate morte fructuarij, vel amisso vsufructu quocunque alio modo.*
5 *Proprietarius effectus possessor rei fructuariae potest aut horitate propria fructus percipere absque incursu poena.*
6 *Vsufructu extincto cessat onus fructuario iniunctum.*
7 *Vsusfructus non potest relinqui, seu per stipulationem concedi cùm quis morietur.*
8 *Seruitutes reales transeunt ad haeredes.*
9 *Fructuarius non potest legare vsumfructum quem habet.*



Xtinguitur vsusfructus septem modis, morte, tempore, capitis diminutione, non vtendo rei mutatione, cessione in iure, & consolidatione. *§.finitur.Instit.de vsufr.l.corruptionem. C.eod.tit.* licèt Paul.*lib.3.sentent.tit.6.vers.vsusfructus*, velit finiri vsumfructum morte & tempore; caeteris verò modis amitti, quam differentiam non seruat Iustin.*in d. §.finitur*, sed rectè dicitur extingui, siue finiatur, siue amittatur.

Morte itaque fructuarij † finitur vsusfructus.*l. 3. §.fin. ff.quib.mod.vsusfruct.amitt.l.5.ff.de vsu, & vsufr.legat.*duplici 1.
potissimum ratione, primò, quia personae † cohaeret.*l. 1.* 2.
ff.de seruit.d.l.3.§.fin. Et quod personae cohaeret, non transit ad haeredes, minus verò in aliam personam. *l. quia tale. ff.solut.matr.l.in omnibus 69.ff.de regul. iur. l.non solùm. §. tale. ff.de liber. leg.* vbi exemplificat in personali seruitute. Secundò ne inutiles sint proprietates perpetuò abscedente vsufructu in certis modis extingueretur, quae ratio ad omnes modos, suprà relatos, applicatur. *l. 3. §. ne tamen. ff. de vsufr. §. 1. in fin. Instit. eod.* quae ratio dubitationem mouebat ad casum decisum *in l.antiquitas. C. de vsufr.* Sed si moriatur
proprietarius, † non extinguitur vsusfructus, imò durat 3.
quandiu superfuerit fructuarius. *l.5. C. eod. tit.* Quod adeò
verum, vt mortuo † fructuario, vel aliis modis amisso vsu- 4.
fructu, ipso iure & sine aliquo hominis facto, puta restitutione vniatur vsusfructus cum ipsa proprietate, & ad proprietarium recurrat possessio quasi naturalis, quae penes fructuarium erat. *l.naturaliter, in princ. ff. de acquir. vel amit-*

5. *ten.possess.* Ita vt vigore † suæ possessionis, siue ciuilis tantùm, siue vtriusque, possit propria autoritate fructus percipere absque incursu pœnæ. *l. si quis in tantam. C. vnde vi.* Et
6. dum † extinguitur vsusfructus, cessat quoque onus fructuario iniunctum, per text. *in l. Titia. ff. de annu. legat. & in l. Stichus. §. Titia. ff. de alimentis legat.*
7. Et ex prima ratione infertur non posse † vsumfructum relinqui, seu per stipulationem concedi, cùm aliquis morietur. *l. 5. ff. de vsufr. legat. l. hæres meus. §. quamuis. ff. de condit. & demonstr.* quia in id tempus collatus quo à persona fructuarij
8. discedere incipit; quamuis secus † sit in seruitute reali, quæ ad hæredes transit. *d. l. 1. ff. de seruitut.* & inde etiam infer-
9. tur fructuarium † non posse legare vsumfructum quem habet. *l. quod in rerum. §. 1. ff. de legat. 1.* quia in id tempus collatum quo finem accipit, nec sustinebitur legatum si rem legauerit, cuius vsumfructum habet, quia referatur ad ius vsusfructus, quod in ea re obtinebat. *l. vxor patrui. C. de legat.* text. *in l. serui electione. §. fin. ff. de legat. 1.* & sic rei alienæ legatum non sustinetur defectu voluntatis, iuris verò sui quod censetur voluisse legare, defectu potestatis, per text. *in d. l. vxor.* cum *ibi* notat. per gloss. & DD. facit text. *in l. in ambiguo. ff. de reb. dubiis.*

---

§. I.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus ciuitati, Ecclesiæ, aut corpori, quod numquam moritur, relictus, circunscribitur spatio centum annorum.*

2 *Ciuitas, aut simile corpus, si ante metam centum annorum extinguatur, finitur vsusfructus.*

3 *Legatum annuum ciuitati relictum semper durat.*

4 *Vsusfructus fisco relictus habetur loco annui legati, & semper durat.*

5 *Vsusfructus Titio & eius hæredi relictus restringitur ad primum hæredem.*

6 L. si debitorem 4. ff. de nouat. & delegat. *vbi non debitoris delegan*

delegantis mors attenditur pro finiendo vsufructu, sed creditoris delegatarij, explicatur. Limita vt n. 9.

7 *Ad vsumfructum simpliciter debitum obtinendum competit tantùm actio in personam; si verò realiter sit in esse deductus, competit actio in rem.*

8 L. necessariò. §. fin. ff. de peric. & commod. rei vend. *explicatur.*

9 *Vsusfructus debitori fructuarij delegari potest, si dominus proprietatis consentiat.*

EX secunda ratione infertur, si vsusfructus concedatur †ciuitati, municipio, Ecclesiæ, collegio, vel alicui corpori relictus fuerit, cùm eiusmodi corpora non moriantur, circumscribi spatio centum annorum *l. si vsusfructus municipibus. ff. de vsufr. legat. l. an vsusfructus. ff. de vsufr.* quippe quòd sit meta longissimæ hominis vitæ. *l. fin. C. de sacros. Eccl.* ea nimirum ratione, ne semper, aut vlteriùs abscedente vsufructu inutilis maneat proprietas. *d. l. 3. vers. ne tamen.* Si verò † ante eam metam ciuitas, aut simile corpus extinguere- 1. tur, puta per desertionem, dum neque tribus constaret. *l. Neratius. ff. de verb. signific* aut ciuitate solo adæquata aratrum induceretur, quod legimus passas fuisse Carthaginem, Numatiam, & Faguntam. Et de Carthagine text. est *in l. si vsusfructus. ff. quib. mod. vsusfr. amitt.* tunc finitur vsusfructus etiam ante decursum spatium centum annorum; sin verò † an- 3. nuum legatum ciuitati, &c. relictum fuerit, tunc semper durabit, nec eo temporis spatio finietur, quia censeatur cum proprietate relictum. *l. 6. l. 23. l. 24. ff. de ann. legat.* cùm & aliæ sint differētiæ inter annuum legatum & vsumfructum. *l. in annos ff. de eod. tit.* Idem iuris † erit si fisco vsusfructus re- 4. linqueretur, perpetuò namque duraret instar annui legati, arg. text. *in l. 2. C. de requirend. reis.*

Et in ea secunda ratione fundatur decisio Iustiniani *in l. antiquitas. C. de vsufr.* vbi relictus † vsusfructus Titio, & 5. eius hæredi, restringitur ad primum hæredem, licèt aliàs hæredis appellatione veniant omnes in infinitum. *l. hæredis appellatio, cum simil. ff. de verb. signific.*

Præmissis opponitur † primò text. *in l. si debitorem 4. ff. de* 6.

 nouat.

nouat. & delegat. vbi pro finiendo vsufructu non attenditur mors delegantis, qui verè fructuarius erat, sed creditoris, cui delegauerat debitorem vsusfructus, quæ decisio ex diametro pugnat cum dicto §. *finitur*, in illis verbis, *nam cedendo extraneo*, &c. *Instit. de vsufruct.* signanter cum *l. necessariò. §. fin. ff. de peric. & commod. rei vendit.* Quidam pro con-
7. ciliatione distinguunt vsumfructũ simpliciter † debitum, & pro quo tantùm competit actio in personam. *l. 3. in princ. & §. & sine testamento. ff. de vsufr.* ab vsufructu realiter in esse deducto per traditionem, seu quasi illius fructuario factam, *d. l. 3. §. dare*, pro quo competit actio in rem. *l.* 1. & passim *toto tit. ff si vsusfr. petat.* vt priori casu procedat decisio *in d. l.* 4. posteriore verò decisio *in d. l. necessariò. §. fin.* Sed exploditur ea distinctio præsertim pro finiendo iure ipsius vsusfructus. *in l. Sempronius Attalus*, *in princ. circa fin. ff. de vsu & vsufr. legat. & in l. corruptionem. C. de vsufr.* vbi quòd eodem modo,
8. seu tempore vtrumque tollatur, vnde dicendum † casum *in d. l. necessariò*, versari in simplici cessione, quæ fit sine consensu debitoris cessi; *in d.* verò *l.* 4. agi de delegatione,
9. quæ demum fit, † si consentiat dominus proprietatis, qui vsumfructum debet, quo casu ob voluntatem suam, quam debitor accommodauit, transfertur vsusfructus de vna persona in alium, ita vt morte delegatarij, non delegantis finiatur, prout *in d. l. Sempronius*, ex sententia testatoris de vna in alium transfertur personam. Et hæc differentia inter simplicem cessionem, & delegationem probatur *in l. 1. C. de nouat. & deleg.*

---

§. II.

SVMMARIVM.

1 L. fin. C. de vsufruct. *vbi vsusfructus patri per filium quæsitus patre mortuo manet in filio, explicatur.*

2 *Vsusfructus filiofamilias concessus patri competit, & non sola illius commoditas.*

3 *Vsusfructus si patri denegatur à lege, adhuc ei competit commoditas*

commoditas, secus si ex hominis dispositione.

4 *Commoditas vsusfructus patri competens consistit in eo vt pater omnes fructus percipiat vsque ad finem vsusfructus, quos eo finito, seu eorum æstimationem restituere teneatur, & sic pro illis cauere.*

5 *Commoditas vsusfructus patri concessa in bonis filiifamilias, consistit tantùm in eo vt parens possit simul cum filio viuere de dictis fructibus.*

OPponitur secundò text. † *in l.fin. C.de vsufr.* vbi patre mortuo, cui per filium quæritur, vsusfructus in filio manet, si patri superfuerit Idem si pater mediam, seu maximam patiatur capitis diminutionem, cùm tamen instar domini, qui per seruum sibi quæsiuit vsumfructum, deberet finiri in persona patris, per text. *in d. §. finitur, & in d. l.necessariò.§.fin.* Rationem dicti decisionis Bartol. *in d. l fin.* eam esse vult quòd à futuro euentu pendeat, cuius contemplatione relictus sit vsusfructus, nimirum patris si filio superfuerit, quo casu in persona patris finem accipit; sin verò pater filio prædecesserit, contemplatione filij, ita vt eo casu in personam filij finem habeat; sed non subsistit ea Bart. distinctio, cùm dicat Imperator *in d.l.fin.in fin. plerumque,* id est, regulariter verisimile esse testatorẽ contemplatione magis patris, quàm filij vsumfructum reliquisse; dictio enim *plerumque* denotat quod regulariter obtinet. *l.si vt certò. §.nunc autem. ff. commodat. cum simil.* & quòd filij contemplatione, cui honos per testatorem habitus sit, infertur ex *l.*3. *§.hoc autem. ff.de legat. præstan.* quippe qui à testatore sit nominatus. *l.qui liberis.§.hac verba. ff. de vulgar. & pupillar.* & quòd legatum consistat ex persona serui, seu filiifam. *l.debitor* 82. *§.seruo alieno. ff.de legat.* 2. Itaque Cuiac. aliam affert rationem ad African. *in l.*17.*ff.de vsu & habitat.* quòd patris & filij sit vna eademque persona. *§. ei verò qui. Instit.de inutil. stipulat. l. fin. C.de impuber. & aliis substit.* Sed non placet ea ratio: itaque censeo cum Castill. *de vsufr. quæst.*63.*num.* 14. fundari decisionem *d. l. fin.* in iure nouo, quod Iustinian. paulo antè constituerat *in l. cùm oportet, & in l.fin.C.de bon.quæ liber.* quo in aduentitiis filio proprietas, 1.

patri

patri verò plenissimus vsusfructus. Et sic quod relinquitur in persona vtriusque, scilicet patris & filij, radicatur in illo ratione vsusfructus, in hoc verò ratione proprietatis; dum verò solus relinquitur filiofam. vsusfructus, fit radicari in persona vtriusque, vt ad patrem pertineat quamdiu subsistit; eo verò deficiente, in persona filij maneat, prout expressè declarando deciditur *in d.l.fin.*

Infert autem Gloss.magna *in fin.in Auth.Idem est C.de bon. quæ liber.* quam plerique sequuntur, hoc casu patri non competere vsumfructum, quia scilicet seruitus seruitutis consistere non possit.*l.1.ff.de vsufr.legat.* sed commoditatem
2. tantùm ipsius vsusfructus: quod tamen falsum † ex præmissis deprehenditur, dum *in d l.fin.* expressè deciditur vsumfructum patri acquiri, qui filiofam. concessus fuerit, & ex persona patris finiri, si filius prædecesserit, quod sustineri non posset, si in persona filij resideret vsusfructus, cõmoditate tantùm ad patrem spectante, *d.l.necessariò. §.fin.* quæ nimirum cum persona filij extingueretur.

3. Item ex eo inferunt interpretes in bonis † filiifam.quorũ vsusfructus patri denegatur, *Auth.Excipitur, Auth.Item hæreditas, & d. Auth.idem est.C.de bon.quæ liber.* cum aliis casibus numero decẽ in dicta gloss magna recensitis, ei cõmoditatem competere, quod plerique restringunt ad casus in quibus à lege patri denegatur vsusfructus, cum qua scilicet mitiùs agatur. *l. Celsus. ff.de arbitr.* secus si ex hominis dispositione prohibeatur, vt in dicta Authentica excipitur, ex Molin. *lib.1.§.19.num.33.* Mastrill. *decis.86. num.6.part.1.* Pascal.
4. *de patr.potest.par.1.cap.3.* Item inferunt commoditatem † in hoc consistere, vt fructus omnes percipiat parens, iisque fruatur vsque ad finem vsusfructus, quos eo finito, seu eorum æstimationem restituere teneatur, & sic pro illis cauere, ex Caualcan. *de vsufr. mulier. relict. num.180. & 181.* qui communem firmat post Castrens. & alios *ibi* per eum al-
5. legatos. Sed si veritas attendatur, commoditas † ea consistet tantùm vt possit parens simul cum filio viuere de dictis fructibus, per text.in vsibus feudor. *tit.de duob. fratr. de nou.benef.inuestit.* in quo fundatur prædicta opinio communiter approbata, à qua in iudicando saltem sub ea distin-
ctione

ctione recedere religiosum foret: in feudalibus namque patri denegatur vsusfructus ex Vincent. de Franch. *num.9. & seqq.* licèt dicta commoditas sibi concedatur; quod tamen restringitur per Gabr. *cons.162. è num.40. ad num. 49. lib.2.* ad bona feudalia, pro quibus debetur seruitium personale, cùm generaliter verum esse firmet in cæteris casibus, quibus patri bonorum filij non datur vsusfructus, neque ei commoditatem aliquam deberi, præterquam in casu per eum proposito *ibid.num.41.*

---

§. III.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus tempore finitur.*

2 *Seruitutes reales post certum tempus ipso iure tolli non possunt.*

3 *Maioratus possessor dum viuit verè dominus est: vsusfructus autem ab eo constitutus ipso moriente finitur cum dominio.*

4 *Feudum ex prouidentia obtinens per successionem, illud non dicitur obtinere ab vltimo possessore, sed à primo concessionario.*

5 *Vsusfructus extinguitur etiam per capitis diminutionem, olim per omnem, hodie verò per minimam tantùm, qua contingit per emancipationem, dationem in adoptionem, seu arrogationem.*

SEcundò finitur † tempore, quia nedum purè possit constitui, verùm etiam ex die, seu conditione, vel ad certam vsque diem, seu conditionem, *l.4.* cum *ibi* notat. *ff. de vsufr.* Quamuis † secus sit in seruitutibus realibus, cùm per 1. 2.
eas rei character imprimatur, qui in suspenso manere non potest, neque post certum tempus ipso iure tolli, sed ope tantùm exceptionis. *l. 4. ff. de seruitut.* vsusfructus autem personæ cohæreat, quæ voluntatem habeat suspensiuam, etiam certo tempore duraturam, & finitur propterea vsusfructus ipso iure temporis lapsu, adhuc viuente fructuario,

3. vt exemplificat Molin. *d. cap.* 19. *num.* 22. in possessore† maioratus qui dum viuit verè dominus est, & inde vsusfructus ab eo constitutus eius morte cum dominio finitur, non morte fructuarij; & idem iuris erit in possessore feudi ex
4. pacto & prouidentia, cuius dominium† vtile eius morte finitur, nec successor ab eo ius habet, sed à primo concedente, seu primo concessionario, ex Isern. *de inuestit. de re alien. fact.* §. *quid ergo, num.* 8. & post eum nouissimè Petr. Gregor. *de concess. feud. part.* 4. *quaest.* 14. *num.* 22. *vers. si verò erat emancipatus.* Vnde licèt possit seruitutem, & sic vsumfructum in re feudali constituere, ex Gabr. *d. cons.* 162. *num.* 47. & per text. *in d.* §. *quid ergo*; non tamen durabit vltra eius vitam, cùm resoluto iure datoris resoluatur ius accceptoris. *l. lex vectigali. ff. de pignor.*

5. Tertiò extinguitur † per capitis diminutionem, & quidem ante Iustinianum, per omnem, quòd per eam status mutaretur. *l.* 1. 3. *& fin. de cap. diminut.* sed per Iustinian. *in l. corruptionem. C. de vsufr.* id emendatum fuit quoad minimam capitis diminutionem, quæ per emancipationem, dationem in adoptionem, seu arrogationem contingere solet. *d. l.* 3. *& d. l. final.* §. *minima. Instit. de cap. diminut.*

FINIS.

SYLLOGE



SYLLOGE

Iurium quæ in hoc libro explicantur, vel conciliantur.

Ex Digestis.

De acquir.& amittend.hæred.

L. Placet *reuocatur per* l.1. C. de bon.matern. *per quam in bonis à matre, vel ascendentibus maternis pater solum vsumfructum habere cœpit, proprietate penes filium remanente.* 368.2

De legat. 1.

L.legatum. §.1.*explicatur.* 407.4
Conciliatur cum l.7. ff.de legat 2. ibid.
L.planè. §.si coniunctim, & l.huiusmodi. §.si Titio, *explicantur, & conciliantur cum* §.si duobus, d.l.planè, l.1. §.idem ait, & §.seq. ff.de vsufr.accresc. & d.l.si coniunctim. ff.de legat.3. 407.2
L.si duobus, in princ.cum §.fin.*explicatur.* ibid.1. & 5

De legat. 2.

L.& Proculo, *explicatur.* 406.4
Eadem lex, & l.1.§.1.de vsufr.accresc.*conciliantur.* ibid.
L.vlt.§.Seio,*explicatur.* 407.3
Conciliatur cum l.si seruo sub conditione. §.de statulib.

INDEX



INDEX

Rerum, & verborum notabilium.

Prior numerus paginam notat, posterior est marginalis.

finitæ sunt, reum prout de iure poterat non repetierit. 293.7. accusator non cogitur accusationem semel intermissam propter abolitionem generaliter à Principe concessam reassumere. ibid.8. eximitur à pœna desertoris, seu tergiuersatoris propter abolitionem à lege datam, nimirum ob mortem accusatoris superuenientem, aut si iusta causa fuerit impeditus quo minus suam peragat accusationem.ibid.9.eximitur à pœna desertoris si causam suam suorumque tantùm peragat, non autem publicam, pro qua interuenit promotor fisci, seu alius qui ex incumbenti officio ad vindictam reum de crimine delatum prosequitur. ibid.10

Actio.

Actio quæ à lege scripta introducta est, dicitur Condictio ex lege, & ad illius exemplum hæc denominatur Condictio ex moribus. 34. 6. actio empti de sui natura competit pro euictione.35.19. si pacto conuentum sit ne venditor teneatur de euictione; ea tamen sequuta, tantùm competet actio empti à tali pacto informata ad pretium repetendum, non autem ad id quod interest. ibid. 20. actionum ciuilium aliæ sunt priuatorum, populares aliæ.257.1. dum viæ publicæ nocetur, competit actio popularis. ibid.2.actionum aliæ stricti iuris, aliæ bonæ fidei, arbitrariæ aliæ. 258. 9. actio de moribus dabatur olim præcipuè ad vindictam contra alterum ex coniugibus qui per suos malos mores causam dederat diuortio.284. 1.non datur hæredi, nec contra hæredem.285.9. actio iniuriarum ciuiliter ad mulctam pecuniariam pro vindicta intentata criminalem, & è conuerso, criminalis ciuilem absorbet.ibid.11.in actione de moribus ciuiliter intentata paria delicta inter coniuges mutua compensatione tolluntur.ibid.13.actio de moribus prout & retentiones quæ ob mores, res amotas & his similes causas olim vsurpabantur, omnino abolitæ fuerunt per Iustinian.ibid. 15. in locum successit hodie actio ciuilis, qua maritus, vel vxor signanter inspecto iure Pontificio agit ex causa adulterij, vel sæuitiæ ad separationem thori iudicio Ecclesiæ faciendam. 286. 17. actio ciuiliter intentata ad separationem thori subrogata in locum iudicij de moribus, non datur hæredi, nec in hæredem, & qui semel egerit iudicio ciuili, non poterit intentare criminale,& è conuerso. ibid. 24. quandoque criminalem absumit & absorbet, & è conuerso, dum vtraque tendit ad vindictam,vel priuatam,vel publicam.298.1. intentata iniuriarum nomine ad mulctam, vel adulterij causa ad thori separationem & pœnas in se consequentes absumit, & absorbet criminalem, quæ eo nomine fieri potuisset.ibid.2.vna actio quandoque præiudicat alteri circa ordinem cognitionis, itaut de vna priùs cognosci debeat, altera interim in suspenso manente.298.5. actiones ciuiles quæ non ad rei persecutionem, sed ad vindictam priuatam dantur,non possunt concurrere cum publico iudicio ea de causa à lege concesso, quia vna aliam absorbeat.299.15.actio est ius persequendi in iudicio quod nostrum est, vel nobis debetur. 357.7. item seruitutes, siue personis,siue rebus debeantur, ibid.actio pro legitima,seu ad illius supplementum, successit in locum querelæ. 408.3

Actor sequitur forum rei. 251.27

Actu-

Cliens.

Cogitatio.

Collaterales

D

Damnatio.

tio quòd ea pœna fuisset abolita per Constantinum. 331.10. hodie ab aula recessit damnatio ad bestias. ibid. 11.
Datoris resoluto iure resoluitur ius acceptoris. 89.19
Defunctus non potest hæredi instituto quoad ea in quibus necessariò ei succedere debet, præiudicare, qui nihilominus poterit ipsius defuncti pactum circa eam rem impugnare. 102. 18

Delictum.

Delicta ratione feudi, siue in omittendo, siue in committendo admissa, & propter quæ vasalli feudo priuantur, veniunt feloniæ appellatione tam quoad vasallum, quàm quoad dominum. 163. 2. Delicta quædam à vasallis committuntur extra causam feudi, quæ cæteris feuda non obtinentibus communia sunt. ibid. 3. delicta feudalia remissiuè recensentur. 164. 9. in delictis communibus ius commune seruatur & attenditur, non autem ius feudale. 198. 86. delinquentes in casibus exceptis abstrahuntur inuiti ab Ecclesia per curiam sæcularem, præsente Rectore, seu ministris Ecclesiæ, cum quanta fieri potest modestia. 228. 1. per Bullam Gregorij XIV. Episcopus, seu eius Vicarius, in cuius diœcesi sita est Ecclesia, aut si nullius sit diœcesis, vicinior Episcopus eum debet ab Ecclesia abstrahere, & ad suos carceres duci facere. ibid. 2. Episcopus qui ab Ecclesia delinquentem abstraxerit, & ad carceres suos duci fecerit, iuxta tenorem dictæ Bullæ, sibi summariè constito quòd delictum admissum sit de exceptuatis, tenetur delinquentem tradere curiæ sæculari. ibid. 3. delictum intra Ecclesias commissum admixtum habet sacrilegium ob violatas Ecclesias. 229. 12. pro vno eodemque delicto, signanter iniuriarum, & adulterij, duplicem vindictam quis consequi non potest, nec per consequens duplex pœna imponi. 298. 4. sufficit semel pro vno eodemque delicto vindictam cœpisse, siue ciuiliter, siue criminaliter. 299. 16
Depopulator nocturnus agrorum & homicida, qui per insidias & proditoriè proximum interfecerit, item qui appensatè occiderit, & veneno necauerit, non gaudent immunitate Ecclesiarum. 226. 18

Deportatio.

Deportati extorres, & sine ciuitate nominantur, vel peregrini. 264. 4. deportatio fit cum publicatione bonorum, quorum incapaces efficiuntur. ibid. 5

Descendens.

Descendentes masculi per lineam masculinam à primo inuestito dicuntur hæredes sanguinis. 38. 9. à primo recipiente vocantur hæredes sanguinis, quod sanguinem ab ascendente accipiant, & quodammodo iure hæreditario transmissam habeant. 88. 12

Desertor.

Desertor verè dicitur, qui causam expressè deseruerit ab accusatione desistendo, affectum & animum accusandi deponendo, præsertim si prius cum aduersario tractauerit de compositione criminis, de quo eum accusauerat. 290. 5. item dicitur qui intra tempus sibi à iudice præfinitum accusationem suam non peregit, vel qui ad causam agendam euocatus non adfuerit, vel qui expresè ab accusatione se discedere profitetur. ib. 6. incurrit pœnas à lege definitas, & inter alias, vt accusationem semel omissam repetere non possit, etiam abolitione interueniente, nisi hoc

Dominus.

Dominus.

Dominus feudum concedens, similes personas non censentur in sua inuestitura comprehendere noluisse, quæ de iure sint inhabiles ad seruitia militaria, vel ad secretum & fidele consilium. 19. 8. qui concessit feudum pretio interueniente, feudo ex sui natura ad se reuerso, pretium restituere non tenetur. 41. 7. qui mediante pecunia feudum concessit, tenetur tantum ad pretij restitutionem, si sine culpa possit vasallum deuestire, nec propterea feudi natura alteratur in cæteris. ibid. 10. domino rei per fiscum alienatæ, seu creditori in ea hypothecam habenti cōceditur actio contra Principem. 50. 7, 8, 9, 10, 11. dominus concedens feudum ex pacto & prouidentia, feudum dat primo recipienti, & illius occasione, seu contemplatione eius posteris. 93. 5. directus feudum amittit, si contra vasallum feloniam commiserit, ob quam vasallus feudo priuaretur, si contra eum illam exercuisset. 127. 7. dominus directus feudi & feudatarius ad paria indicantur. 128. 8. dominus superior iure proprio à quocunque possessore feudum, seu res feudales vindicare potest, omnino deficientibus comprehensis in prima inuestitura. 131. 28. ad dominum feudum ob lineam finitam reuertitur, & ipsi domino sic apertum manet sub eius libera dispositione. ibid 30. dominus superior feudum ob lineam finitam sibi semel apertum & quæsitum, si velit reinfeudare, non tenetur præferre consanguineos vltimi vasalli, in cuius persona feudum finem accepit, sed potest illud de nouo concedere personis sibi bene visis. ibid. 31. dominus sic legitimè requisitus debet assignare locum tutum, & tempus certum, & commodum, pro concedenda renouatione inuestituræ petita. 145. 26. absens à loco suæ solitæ residentiæ, si non sit longè remotus, requirendus erit à vasallo in loco vbi repetitur pro renouatione inuestituræ. 148. 47. interest domini sororem innuptam non stuprari, dum eam semel corruptam non tam facile, nec cum mediocri dote nuptui tradere valeat. 166. 29. dominus permittens eius vxorem, filiam, nurum, sororem, & alias, turpiter & inhonestè viuere, earum adulterium, aut malos mores non vindicare, dum facere potest, tacitè pati dictos malos mores, & illis consentire videtur. ibid. 35. ob domini tacitam voluntatem & consensum vasallus dictas mulieres carnaliter cognoscens, feudo non priuatur. ibid. 36. dominus sine iusta causa vasallum aggrediens, feudi proprietate priuatur, quæ ipsi vasallo acquiritur. 170. 65. antiquior dominus licèt supremus non sit, iuris interpretatione censetur pariter exceptus in dicto iuramento fidelitatis. 173. 92. dominus ob vltionem iniuriæ sibi per vasallum illatæ, qui in dominum feudaliter deliquerit, sibi quærit feudum ea de causa deuolutum, ipsius vasalli filiis & descendentibus semper & omni casu exclusis, ex communi opinione. 205. 6. dominus soli potest futuro ædificio seruitutem imponere. 363. 11

Domus.

Accipitur pro domicilio patris, seu mariti, & extenditur ad domum patris, licèt in ea non habitet. 273. 4. domus sua cuique debet esse tutissimum refugium pro bonorum vitæ & honoris conseruatione. 275. 22

Donatio pluribus successiuè facta, puta per viam substitutionis, parit actionem

non autem ad fœminas; nec ab eis descendentes.ibid.7. feudorum diuisio ad quatuor capita redacta. 62. 1. causa efficiens duabus personis constat.ibid. 2. feudum habito respectu ad personam concedentis duplex est. ib. 3. nobile feudum est quod annexam habet nobilitatem, eo ipso accipientem nobilitans: ignobile verò quod dignitatem non habet annexam, nec recipientem nobilitat.ibid. 4. quamuis pacto cautum sit, vt fœminæ in feudo succedant, & in eo fuerit alterata natura feudi. ibid. 6. feudum censetur nobile si concedens talis sit, qui si velit, possit nobilitatem concedere.63 8. inferiores, quibus ea potestas nobilitandi per feudi concessionem communicata fuit, feudum concedendo, si velint, recipientem nobilitare possunt.ibid.9. voluntas nobilitandi per concessionem feudi deprehenditur ex verbis inuestituræ.ibid. 10. feudum nobile deprehenditur etiam ex variis notis. ibid. 11 feuda, seu subfeuda noblitant, quæ in quaternis curiæ supremi Principis descripta reperiuntur, quæ Quaternata ex eo à Feudistis propterea appellantur.ibid.12. inter Nobiles item reputantur feudatarij, seu subfeudatarij, qui cum aliis ad comitia feudatariorum, seu subfeudatariorum vocati fuerint. ibid.13. ignobile feudum quod. ibid. 17. feudum concessum ab eo, qui nobilitandi authoritatem habet, erit ignobile, si feudum nobile concedere noluerit. 64.20. feudum nobile aliud est regale, aliud non regale. ibid. 21. regale feudum, quod Titulatum vulgò appellatur, eum præsertim producit effectum, vt obtinens illud cæteros omnes præcedat, tam in sedendo votum emittendo, quàm aliis actionibus publicis, Regique proximè semper adsistat.ibid. 25. feudum nobile eximitur à contributione onerum, seu impositionum, attento præsertim seruitij militaris onere, cui subiacet, secus in feudo ignobili. ibid.28. feudum ratione personæ recipientis, aliud est masculinum, aliud fœmininum.66. 1. feudum masculinum quid, & quid fœmininum.ibid. 2,3. feudum ab initio masculo concessum inspecta feudorum origine, & iure feudali, dicendum erit masculinum, siue à masculo, siue à fœmina concessum sit.ibid. 4. feudi natura ea est, vt ad solos masculos peruenire possit. ibid.5. in feudo siue sit fœmininum, siue masculinum, pacto tamen alteratum, ita demum fœminæ ad illius successionem admittuntur, si nulli supersint masculi per virilem sexum à primo inuestito descendentes.ibid. 9. non admittuntur ad feudum per verba tam masculos, quàm fœminas comprehendentia. ibid. 6. feudum dicitur fœmininum, quando fœminæ ab initio concessum fuit. 67. 7. distinguitur feudum ab initio fœminæ concessum ab eo quod masculo cum eo pacto conceditur. ibid. 8. ad feudi Ecclesiastici seruitia non tam armis, quàm lachrymis & orationibus opus est.70. 6. quod tamen restringitur, si feudum de nouo concedatur per inferiores Ecclesiasticos à Summo Pontifice, quod sibi antea à Principe sæculari iure feudi sub onere solito concessum non fuerat. 71.7. feudum recipiens à Summo Pontifice, vel ab inferiore, cui antea per Principem sæcularem iure feudi sub onere solito concessum fuerat, tenetur ad belli munia. ibid. 8. feudum recipiens à Summo Pontifice, qui in tempora-

de

hæreditarium redactum patrimoniorum instar, finitur si possessor illius quandocunque sine hærede decesserit. ibid. 21. ex pacto & prouidentia, seu mixtum finitur per finitam lineam comprehensorum in prima inuestitura, nemine ex illis superexistente, qui possit in feudo succedere. ibid. 26. finita omnino linea comprehensorum in prima inuestitura, feudi concessio, quæ ad certos vsque limites, quamdiu scilicet aliquis superesset de comprehensis in prima concessione, facta fuit, finem habet & expirat. ibid. 27. finitur item feudum si possessor illius steterit per 30. annos in libertatate non exhibendi seruitia quæ ratione feudi deberi possunt. 131. 32. feudi præscriptio 30. annorum computatur à die qua vasallus requisitus per dominum superiorem denegauerit seruitia præstare, credens rem à se possessam ad se pleno iure pertinere. ibid. 33. qua ratione per præscriptionem 30. annorum acquiritur, & in esse deducitur qualitas feudalis, eadem quoque, imò maiori fauore libertatis medio dictæ præscriptionis res de feudali efficitur libera, qualitate feudali extincta. ib. 34. feudum item extinguitur contrario vtriusque consensu simpliciter interueniente, si res sit integra: re autem non integra per retraditionem, seu retractationem rei gestæ pro contractus executione ad instar emptionis & venditionis. ibid. 35. vt feudi contractus solo & simplici consensu perficitur, si in puris terminis dicti simplicis consensus steterit; ita quoque solo contrario consensu interueniente dissoluitur. 132. 36 si contractus non steterit in terminis simplicis consensus, sed res feudi nomine concessa tradita fuerit, finitur per refutationem feudi à vasallo in manibus domini superioris factam, illud desamparando, & domino remittendo. ibid. 37. feudum paternum per refutationem vasalli non extinguitur, nisi quatenus sit de comprehensis in inuestitura, aut si qui supersint, eorum accedente consensu. ibid. 39. refutatio feudi paterni facta per vasallum non consentientibus cæteris, qui supersunt, in dicta inuestitura comprehensis, valebit quandiu vasallus refutatus vixerit; eo verò mortuo, agnati, qui non consenserunt, feudum sic refutatum auocabunt à domino, eiusque hæredibus. ibid. 40. feudum ex quorumdam signanter Canonistarum sententia & opinione nolente domino refutari non potest. ibid. 42. ita demum refutari potest nolente domino, si teneatur vasallus ad incertum seruitium, secus si certum sit seruitium quod præstare tenetur. 133. 43. ex tertia aliorum opinione, siue ex eo certum, siue incertum debeatur seruitium, nolente domino refutari potest. ibid. 45. semel concessum dominus reuocare non potest inuito vasallo, in cuius fauorem concessum fuit principaliter. ibid. 50. demum refutari potest, nolente domino, si tempestiuè fiat, secus si intempestiuè. 134. 52. refutatio feudi dicitur intempestiuè facta, si eam fecerit vasallus postquam sibi iniunctum fuerit de præstando seruitium personale domino ad bellum proficiscenti, & in procinctu existenti. ibid. 53. feudum quandoque dum amittitur, per consequentias necessarias extinguitur, & finem accipit. 142. 1. ob culpam à vasallo commissam amissum, & eodem tramite domino superiori quæsitum, & ad ipsam deuolutum, pleno iure penes dominum tanquam

Fidelis.

rer.

plorato iudicis officio nobili. 375. 3. fructuarius rerum quarum non est vsus, sed abusus, vt pecunia, vinum, oleum, & similia tenetur tantùm cauere de restituenda simili quantitate pecuniæ, vini, olei, vel æstimatione dictarum rerum. ibid 5. fructuarius qui cauet de vtendo fruendo, tenetur inuentarium facere coram Notario & testibus in præsentia Magistratus, & de illius mandato. ibid. 6. cùm teneatur inuentarium facere, quod est caput rationum reddendarum, tenetur etiam rationem reddere, quòd scilicet res facto suo deterior facta non fuerit, & si quid damni illatum sit, tenetur resarcire. 396. 7. nondum tradito vsufructu, tenetur cautionem offerre & præstare, si velit eo nomine agere, nec antè potest à proprietario conducere fructus perceptos. 378. 1. qui est in possessione vsufr. sibi legitimè traditi, facit fructus suos ante cautionem petitam, si interpellatus de cauendo moram non faciat, nec tenetur offerre. ibid. 2. qui interpellatus moram facit in cauẽdo, nedum non facit deinceps fructus suos, sed & perceptos restituere tenetur. ibid. 3. qui est in mala fide, non facit fructus suos ante cautionẽ præstitam, imò & ex eo potest priuari vsufructu. ibid. 4. earum rerum quæ vsu consumuntur, fructus non facit suos ante cautionum, cùm ea sit de substantia dicti vsusfructus. ibid. 5. vini, olei, frumenti potest cauere de restituenda simili quantitate, si proprietarius ea cautione contentus sit. 380. 3. earum rerum, quæ functionem in genere suo non recipiunt, sed vsu consumuntur, vel minuuntur, vt vestes & mobilia, quæ supellectili adscribuntur, tenetur cauere de illis restituendis cum præstatione diminutionis, aut de æstimatione facta, dum constituitur vsusfructus, restituenda. 381. 5. tenetur præstare idoneam cautionem datis fideiussoribus, vel pignoribus. 382. 1. fructuarius, qui idoneè cauere non potest, sibi imputet, nec interim facit fructus suos. ibid. 2. quòd fructuarius admittatur ad cautionem iuratoriam, si pauper sit, vel aliàs fideiussorem non inueniat, idque iureiurando verum affirmet, non habet locum in vsufructu & tutela. ibid. 3. fructuarius probatæ vitæ, si fideiussorem non inueniat, admittitur ad iuratoriam cautionem; si verò sit improbatæ vitæ, res est committenda sequestro, qui caueat fructuario de fructibus, & proprietario de proprietate. ibid. 4. Fructuario cauere non valente, res proprietario relinqui potest, qui fructuario caueat de annua solutione fructuum nomine facienda. 383. 5. iudex arbitrari debet quid faciendum sit: qui tamen non admittet fructuarium ad cautionem iuratoriam, nisi perraro. ibid. 6. fructuarius omnem rei fructum percipiens, percipiet etiam omnia omnino emolumenta, siue ex re nascantur, seu illius occasione percipiantur. 386. 1. fructuarius dominij directi, non efficitur dominus rei per commissum consolidatæ cum dominio directo, sed illius tantùm vsumfructum acquirit. 387. 6. castri & iurisdictionis sibi acquirit exercitium iurisdictionis per officiales à se deputatos, mulctas, condemnationes & confiscationes, item & vsumfructum iurispatronatus, si castro sit annexum. ibid. 8. fructuarius qui lapidicinas inuenit, suum facit quod elicitur, si aptum est renasci, & tunc repetit impensas pro apertura factas. 389. 2. si quod elicitur, non est

Iuramentum.

lum domino præstatur, semper iuris interpretatione excipitur Rex, seu Imperator, vel aliàs is, penes quem suprema maiestas residet. 173.90

Iurisdictio.

Iurisdictionum omnium fons perpetuus & indesinens est penes Imperatorem, seu Principem. 24. 1. iurisdictio quandoque conceditur in officium & administrationem. ib. 3. iurisdictio dum in titulum conceditur, seu proprietatem, seu dominium, priuatiuè concessa censetur à Principe. 25. 4. iurisdictio inhæret territorio instar nebulæ super paludem, & quidem passiuè semper. ib. 7. iurisdictio actiuè dicitur inhærere territorio, si per officiales actu residentes intra locum, eiusve districtum exerceatur. ib. 9. dicitur tantùm passiuè inhærere, si extra locum eiusve territorium, exerceatur. ibid. 10. actiuè inhærens territorio, seu castro in feudum concesso, censetur etiam accessoriè in feudum concessa fuisse. ibid. 11. territorio passiuè tantùm inhærens, non includitur accessoriè sub illius concessione, nisi æquè principaliter concedatur. 26. 12. iurisdictio territorio cohærens dicitur accessoria ad castrum principaliter concessum, cuius tanquam sui principalis naturam sequitur. 77. 2. iurisdictio de per se concessa fine castro, eiusque tenemento, vel ius percipiendi quid annuum, aut ius habitationis, vel his similia, dicuntur incorporea. 77. 4. iurisdictio circa spiritualia ore proprio Christi commissa fuit Apostolis, eorumque successoribus. 248. 1. iurisdictionem in spiritualibus exercuit ab ipso initio nascentis Ecclesiæ diuus Petrus in Ananiam, & Saphiram eius vxorem. 249. 2. Diuus Petrus cæterique Apostoli, & seniores Ecclesiarum constituentes Hierosolymis existentes definierunt controuersiam ex Spiritus sancti dictamine, quæ exorta fuerat inter Hebræos & Gentiles ad Christi fidem nouiter conuersos. ibid. 3

Ius.

Iuris ciuilis compilatio. 4. 10. iura, seu vsus feudorum ligant nedum personas sæculares, verùm etiam Ecclesiasticas, quæ feudum obtinent. 7. 3. ius feudorum, quia diuersum est, nec vniforme, iuris habet authoritatem apud eos tantùm, per quos vsu receptum est instar legis Rhodiæ. ibid. 4. ius feudale consuetudinarium contraria consuetudine tollitur. 70. 3. ius Pontificium omnino sequendum est in omni foro, dum agitur de animæ salute. 167. 45. ius domini superioris antiquius est, & potiùs iure agnatorum. 206. 12. ius protimeseos, seu prælationis in allodialibus iure sanguinis inducitur, in feudalibus verò inductum fuit non tam iure sanguinis, quàm ex quadam societate contracta inter omnes comprehensos in prima feudi concessione. 209. 28. ius reuocandi feudi alienationem præscribitur quandoque per lapsum anni, quandoque per lapsum 30. annorum. 211. 44. ius reuocandi feudum alienatum iure protimeseos, seu prælationis refuso pretio perimitur, & extinguitur per anni lapsum; iure verò successionis, nullo refuso pretio per lapsum 30. annorum. ibid. 46. anni lapsus computatur à die celebrati contractus alienationis, si filius, vel agnatus, qui reuocare prætendit, illud resciuerit. ibid. 47. ius diuinum propriè dictum quod. 241. 6. iure Pôtificio, si Clericus contra Clericum, vel laicus contra Clericum, cuius forum tanquam rei sequi tenetur, omnino debet eum vocare coram

L

Lex.

ad

M

Magistratus.

Mora

la

Poculum

Q

R

tuunt

tuunt feudum de cauena, sic à barbaris dicta, cella, seu penus Principis. ibid.5. qui pro custodia domini, vel domus dominicæ tales redditus iure feudi assignatos à fisco recipiunt, dicũtur obtinere feudũ guardiæ; qui verò pro cura domus tanquã actores vulgò guastaldi, feudũ guastaldiæ habere dicuntur. 31.7. redditus perpetui, licèt redimibiles, super immobilibus assignati, vice immobilium funguntur. ib.9. tales redditus respectu emptoris, qui venditorem ad redimendum nunquam cogere potest, sunt omnino perpetui. ibid.10. perpetuitas dictorum redditum quodammodo inducitur, si conuentio fiat de conuertendo pretio redemptionis nomine liberando ad libitum emptoris in emptionem aliorum redditum, vel bonorum immobilium. ibid.11. feudum in dictis redditibus ea lege, seu conuentione creatis consistens erit in effectu perpetuum. ibid. 12. feudum constitui non potest in illis redditibus annuis & perpetuis, qui sola actione personali sustinentur. ibid.13

Regalia.

Regalia siue minora, siue maiora, de per se considerata in feudum dari consueuerunt. 27.2. non continentur sub concessione in feudum, nisi de illis nominatim fiat mentio saltem in genere quoad minora. ib.3. regalia maiora non includitur sub generali concessione in feudum. ibid.4. recensentur ius indicendi bellum, dignitates regales, seu titulata feuda erigendi ius cognoscendi de crimine læsæ Maiestatis, ius cudendi monetam, leges condendi, & alia his similia. ibid.5. specialiter affecta sunt supremæ potestatis. ibid.6. regalia maiora in Gallia concedi non possunt in feudum, vti de domanio existentia, & à dominatu coronæ Franciæ inseparabilia. 29. 9. regalia maiora omnino concessa fuere Ducibus, Principibus, cæterisque Italiæ Potentatibus, per Imperatorem, & respectiuè per summum Pontificem maiora, nimirum cognitio trium instantiarum, ius legis condendæ, & cudendæ monetæ, & his similia. 307. 1. Ducibus Sabaudiæ, Mantuæ, Mutinæ, & Rhegij, olim Ferrariæ, item Vrbini, Placentiæ, Parmæ, & Magno Duci Hetruriæ, qui respectiuè dependent à suprema Imperij, vel summi Pontificis authoritate. ibid.2. suprema potestas penes Imperium, vel Romanam Ecclesiam residens, perquam ratò ad effectum deducitur, nisi in casum reuersionis dictorum feudorum regalium, videlicet ob lineam finitimam. ibid.3

Regula legis *cùm à matre*, locum habet in hærede simplici, secus in beneficiario. 211.39

Relegatio dicitur impropriè exilium. 265.7

Renouatio.

Renouatio inuestituræ cum fidelitatis iuramento petenda est in signum reuerentiæ, quam vasallus domino suo exhibere debet. 144.13. renouatio inuestituræ est primæ confirmatio, & redintegratio. 144.18. simpliciter petens renouationem inuestituræ, censetur id fecisse cum ablatione præstandorum. 145. 24. renouatio inuestituræ fieri debet coram testibus, licèt non sint pares, & coram Notario curiæ ipsius domini. 145.27. renouationis petendæ tempus currit à die quo ventri curator datus est. 147.40

Res.

Rei in feudum concessæ proprietas. 8.9. res Ecclesiæ dicitur solita infeudari, si constet de prima concessione legitimè

S

licita inuestitura, necnon legitimè requisitus de præstando seruitio, si recusauerit culpam, incurrit non tam in omittendo, quàm in committendo. ibid. 75. feudo priuatur si dominum in bello existentem, & in vitæ discrimine cõstitutum deseruerit, quem ad bellum proficiscentem, & in conflictu existentem comitari tenetur. ibid. 77. dominum præliantem lethaliter vulneratum, multomagis mortuum, comitari vlteriùs non tenetur, imò eo casu eum impunè deserere potest. 152. 78. vasalli præsentia in bello non sufficit, nisi cum domino pugnet, si potuerit. ibid. 80. vasallus ex forma fidelitatis tenetur domino nedum consilium, verùm etiam auxilium præstare. ibid. 81. domino de vita periclitanti, licèt extra bellum, seu aciem, etiam non requisitus auxilium ferre tenetur, si periculum sciat & iuuare possit, aliàs feudo priuatur. ibid. 82. si dominum à morte liberare possit, nec faciat, feudo priuatur. ibid. 83. seruitium quod debet ratione feudi, exhibere non tenetur, nisi à domino requisitus fuerit. ibid. 84. feudo priuandus est ob culpam omissionis. ibid. 86. sciens prudensque dum periculum domino imminens declinare potest, id dolo, vel fraude, seu negligentia domino celauerit, feudo priuatur. ibid. 87. si teneatur præter homagium quid annuatim soluere ex pacto in prima feudi concessione apposito, & lex caducitatis adsit, si in termino canonem non soluat, feudo priuatur. 153. 92. feudo priuatur, si dominum cucurbitauerit. 164. 10 priuatur nedum si adulterium consummauerit, vxorem domini carnaliter cognoscendo, verùm etiam, si id facere attentauerit. ibid. 11. dicitur attentare adulterium, si vxorem domini comprimere conatur, ad proximum actum deueniendo. ibid. 12. dicitur turpiter cum vxore domini ludere, per manuum immissionem in sinum, vel ad pectus, vel ad loca inferiora, vel etiam per osculum signanter luxuriosum. ibid. 13. apud Italos turpis ille luxus exactè & rigorosè punitur, licèt apud Gallos Auenioni, & in patria Comitatus Venaissini rigor ille sit valde temperatus, ob licentiam tales luxus exercendi, quam iuuenes vsurparunt cum mulieribus etiam virginibus familiariter conuersantes. ibid. 14. iudex pro sua prudentia æstimare debet circunstantias eiusmodi luxum, & quo animo & intentione id factum fuerit, si palàm iuxta regionis consuetudines, vel in occulto. ibid. 16. vasallus feudo non priuatur si verbis turpibus fuerit allocutus vxorẽ domini. 16. 417. feudo priuatur si litteris amatoriis munerum illecebris pudicitiam vxoris domini sui sollicitet, custodes & familiam corrumpendo, aliisque artibus ad expugnandam eius pudicitiam vtendo. 165. 19. dans consilium vxori domini sui, de se prostituendo, vel eam alteri adulterandam tradens, puta domum suæ habitationis, vel alicuius amici accommodando, quo se inuicem viserent & colloquerentur, & inde ad ipsum actum deuenirent, feudo priuatur, ibid. 20. ob adulterium commissum, seu attentatum in persona vxoris domini, pœna priuationis feudi locum habet, si in sponsa domini etiam nondum ad domum traducta, commissum, vel attentatum fuerit. ibid. 21. stuprum committens, vel attentans in persona viduæ ipsius domini sub eius nomine vitam vidualem agentis, ex quorumdam sententia priuatur feudo, licèt

ea propalatione dominus reuera dãnum senserit, vel graue dispendium sustinuerit.ibid. 73. secreta sibi à domino commissa scienter animo nocendi reuelans, licèt dominus damnum non senserit, feudo priuatur. 171. 74. qui secretum sibi à domino confidenter commissum scienter animo nocendi reuelar, dicitur esse in maiori perfidia, & quodammodo in proditione constitutus, & delinquit contra expressum tenorem iuramenti fidelitatis sub verbo tuto. ibid. 75. vtroque casu, siue secretum sibi confidenter commissum, siue aliter sciens reuelauerit, eo nomine iudicialiter à domino interpellatus etiam, dicens se non malitiosè reuelasse, non eximitur à pœna, nisi quatenus probauerit abfuisse dolum, fraudem, seu animum damnificandi, cùm versemur in prohibitis.ibid.76. feudo priuatur, si dominum detulerit in causa criminali, eum accusando, vel denunciando, vel ipsius crimen occultum propalando, in iudicium criminale detruserit. ibid. 77. si in causa ciuili non modica, sed magni momenti ipsi domino scienter, & dolo malo litem suscitauerit. ibid. 78. si in causa criminali, vel ciuili magni momenti testimonium dixerit contra dominum, vnde honoris, vel in bonis, seu eorum maiori parte dispendium sustinuerit.ibid. 79. vasallus dictis de causis feudo priuatur. 172. 82. dominum criminaliter accusando feudo non priuatur, si suam suorumque iniuriam prosequeretur. ibid. 83. itidem feudo non priuatur, si ciuiliter pro suo interesse agat contra dominum, quamuis per sententiam notam infamiæ incurrere debeat. ib. 84. dominum criminaliter accusando feudo non priuatur, si id faciat ex necessitate officij sibi incumbentis. ibid. 85. prudentiùs faciet si in officio existens abstineat se à tali accusatione, alium loco sui subrogando. ibid. 86. item excusatur, si præcisè absque conclusionis suspicione à iudice, vel magistratu cogatur ad patrocinandum, vel testimonium ferendum contra dominum, etiam in causa criminali.ibid. 88. excusatur, si dominum accusauerit, vel contra eum testimonium dixerit pro crimine læsæ maiestatis contra Principem, seu Rempublicam per dominum admisso. 173. 89. feudo priuatur, si iudex existens contra dominum sententiam iniquam dolo, vel lata culpa tulerit, vel aliàs iustitiam desuper legitimè requisitus domino reddere noluerit. ibid. 93. si à domino interpellatus pro recognitione feudi negauerit esse feudum in totum, vel pro parte, vel ipsius feudi conditionem scienter, & dolo malo, vel sciens dubitanter responderit. 94. dubitanter respondens super feudi conditione excusatur si eam probabiliter ignoret. ibid. 95. liberatur à pœna per negationem incursa si pœnitentia ductus domino se submittat, paratus feudum ab ipso recognoscere, iuxta petitionem domini, refundendo litis impensas, & resarciendo damnum quod dominus per inficiationem passus fuerit. ib. 76. moram per inficiationem, seu dubiam responsionem ab eo incursam purgare potest ex communi Feudistarum opinione, etiam post litis contestationem, siue generaliter, siue specialiter, negando litem contestatus fuerit, dummodo ante sententiam. 174. 97. domini ius interuertendo, alterum puta in dominum recognoscens, eique fidelitatem sponte iurans, feudum omnino amittit. ib. 98.

 grauius

uitatem amittit.ibid.25.seruus pœnæ effectus,vel peregrinus & extorris factus,stare non potest inter honoratas personas,& inter eas admitti in curte domini,& idcirco feudo priuatur.ib. 26.feudo non priuatur ob delicta per quæ eius opinio non multum grauatur, quod iudicis arbitrio committitur,quominus stare possit inter honoratas personas in curte domini.ib.27. feudo non priuatur,si deierauerit extra causam feudalem.ib.28.feudum, vel res a feudo dependentes alienans, feudo priuatur.187. 1. stante necessitate, feudum pro dimidia parte vendere poterat. 188.5. iuxta vsum in quibusdam curiis receptum,totum feudum vendere,id est,libellario nomine dare poterat. ib.6. stante causa necessitatis poterat feudum pro medietate libellario nomine alienare,vel pignori obligare. ibid.7. feudum libellario nomine alienans,vel pignori obligans,infra medietatem stante necessitate, nullam eo nomine pœnam incurrebat. ibid.8. vltra medietatem feudum alienans, vel pignori obligans,signanter si transactum, id est, pignoris distractionem permittebat, feudo priuabatur. ib.9. feudum alienans inscio, vel inuito domino, licet sub titulo colorato, & iure feudali permisso, feudo priuatur semper & omni casu.191.35. emptor & venditor tali casu feudum amittunt,& pretium fisco applicatur,si emptor scienter feudum contra legis prohibitionem emerit. ibid.36. vasallus vigore dictæ consuetudinis,siue particularis, siue generalis,per quam feuda redacta sunt patrimoniorum instar,censetur licentiam habere alienandi,inscio &.irrequisito domino,& idcirco alienando pœnam priuationis non incurrit. 192. 40. feudum alienans ex sui prima concessione, vel vigore consuetudinis, & illud respectiuè acquirens, ita demum à priuationis pœna eximitur, si acquisitor illius realem possessionem non apprehendat, nisi priùs habita inuestitura.solutis iuribus laudimij, & præstito homagio cum iuramento fidelitatis.ibid.41.feudum alienando inscio & irrequisito domino contra dictarum constitutionum prohibitionem dicitur dominum contemnere, & in pœnam contemptus ipso iure feudum amittit.195.71. dum feudo priuatur ipso iure,siue ob culpam in omittendo commissam, sufficit sententia declaratoria delicti commissi,& pœnæ propterea incursę. 196.74. priuatur ob non petitam renouationem inuestiturę,intra annum, & diem ob feudum alienatum sine consensu domini, ob crimen læsæ maiestatis,ob lineam finitam, ob statuta edita contra libertates Ecclesiæ per vasallum ipsius Ecclesiæ,ob inhabilitatem superuenientem in persona vasalli,& denique, si ita pacto in prima concessione posito caueatur.ib.75. si ob culpam ab ipso commissam ipso iure feudo non ceciderit, sed feudo priuandus sit,requiritur sententia quę feudo priuetur. 197. 77. regulariter, certis casibus exceptis,ob culpam ipso iure feudo non priuatur, vnde in dubio opus erit sententia declaratoria. ib.78.vtroque casu potest allegare & probare culpam, vel ingratitudinem expressè,vel tacitè à domino sibi remissã fuisse,& sic vtroque casu causę cognitio necessaria est. 197. 80. non potest dici conuictus de culpa, propter quam incidat in pœnam priuationis feudi, nisi probetur per quinque testes idoneos summæ & integrę opinionis concludenter & manifestè probantes.ibid.82.interuentus dicto-

uitatem amittit.ibid.25.seruus pœnæ effectus, vel peregrinus & extortis factus, stare non potest inter honoratas personas, & inter eas admitti in curte domini, & idcirco feudo priuatur.ib. 26.feudo non priuatur ob delicta per quæ eius opinio non multum grauatur, quod iudicis arbitrio committitur, quominus stare possit inter honoratas personas in curte domini.ib.27. feudo non priuatur, si deierauerit extra causam feudalem.ib.28.feudum, vel res a feudo dependentes alienans, feudo priuatur.187. 1. stante necessitate, feudum pro dimidia parte vendere poterat. 188.5. iuxta vsum in quibusdam curiis receptum, totum feudum vendere, id est, libellario nomine dare poterat. ib.6. stante causa necessitatis poterat feudum pro medietate libellario nomine alienare, vel pignori obligare. ibid.7. feudum libellario nomine alienans, vel pignori obligans, infra medietatem stante necessitate, nullam eo nomine pœnam incurrebat. ibid.8. vltra medietatem feudum alienans, vel pignori obligans, signanter si transactum, id est, pignoris distractionem permittebat, feudo priuabatur. ib.9. feudum alienans inscio, vel inuito domino, licet sub titulo colorato, & iure feudali permisso, feudo priuatur semper & omni casu.191.35. emptor & venditor tali casu feudum amittunt, & pretium fisco applicatur, si emptor scienter feudum contra legis prohibitionem emerit. ibid.36. vasallus vigore dictæ consuetudinis, siue particularis, siue generalis, per quam feuda redacta sunt patrimoniorum instar, censetur licentiam habere alienandi, inscio & irrequisito domino, & idcirco alienando pœnam priuationis non incurrit. 192. 40. feudum alienans ex sui prima concessione, vel vigore consuetudinis, & illud respectiuè acquirens, ita demum à priuationis pœna eximitur, si acquisitor illius realem possessionem non apprehendat, nisi priùs habita inuestitura, solutis iuribus laudimij, & præstito homagio cum iuramento fidelitatis.ibid.41.feudum alienando inscio & irrequisito domino contra dictarum constitutionum prohibitionem dicitur dominum contemnere, & in pœnam contemptus ipso iure feudum amittit.195.71. dum feudo priuatur ipso iure, siue ob culpam in omittendo commissam, sufficit sententia declaratoria delicti commissi, & pœnæ propterea incursæ. 196.74. priuatur ob non petitam renouationem inuestituræ, intra annum, & diem ob feudum alienatum sine consensu domini, ob crimen læsæ maiestatis, ob lineam finitam, ob statuta edita contra libertates Ecclesiæ per vasallum ipsius Ecclesiæ, ob inhabilitatem superuenientem in persona vasalli, & denique, si ita pacto in prima concessione posito caueatur.ib.75. si ob culpam ab ipso commissam ipso iure feudo non ceciderit, sed feudo priuandus sit, requiritur sententia quę feudo priuetur. 197. 77. regulariter, certis casibus exceptis, ob culpam ipso iure feudo non priuatur, vnde in dubio opus erit sententia declaratoria. ib.78.vtroque casu potest allegare & probare culpam, vel ingratitudinem expresse, vel tacitè à domino sibi remissã fuisse, & sic vtroque casu causę cognitio necessaria est. 197. 80. non potest dici conuictus de culpa, propter quam incidat in pœnam priuationis feudi, nisi probetur per quinque testes idoneos summæ & integrę opinionis concludenter & manifestè probantes.ibid.82.interuentus dicto-

ctus effectus censeri potest ius accrescendi. 397. 1. finitur morte fructuarij, non proprietarij. 411. 1. & 3. cohæret personæ, & ideo non transit ad hæredes. ibid. 2. vnitur ipso iure cum proprietate morte fructuarij, vel amisso vsufructu quocunque alio modo. ib. 4. vsufructu extincto cessat onus fructuario iniunctum. 412. 6. vsusfructus non potest relinqui, seu per stipulationem concedi cùm quis morietur. ib. 7. vsusfructus ciuitati, Ecclesiæ, aut corpori, quod numquam moritur, relictus, circunscribitur spatio centum annorum. 413. 1. vsusfructus fisco relictus habetur loco annui legati, & semper durat. 413. 4. vsusfructus Titio & eius hæredi relictus restringitur ad primum hæredem. ib. 5. ad vsumfructum simpliciter debitum obtinendum competit tantùm actio in personam; si verò realiter sit in esse deductus, competit actio in rem. 414. 7. vsusfructuctus debitori fructuarij delegari potest, si dominus proprietatis consentiat. ibid. 9. filiofamilias concessus patri competit, & non sola illius commoditas. 416. 2. si patri denegatur à lege, adhuc ei competit commoditas, secus si ex hominis dispositione. ibid. 3. commoditas vsusfructus patri competens consistit in eo vt pater omnes fructus percipiat vsque ad finem vsusfructus, quos eo finito, seu eorum æstimationem restituere teneatur, & sic pro illis cauere. ib. 4. patri concessa in bonis filiifamilias, consistit tantùm in eo vt parens possit simul cum filio viuere de dictis fructibus. ib. 5. vsusfructus tempore finitur. 417. 1. extinguitur etiam per capitis diminutionem, olim per omnem, hodie verò per minimam tantùm, quæ contingit per emancipationem, dationem in adoptionem, seu arrogationem. 417. 5

Vulnerans, Vulneratus, Vulnus.

Vulnerans absoluitur à pœna homicidij, quamuis ex vulnere illato absque animo occidendi quis interierit. 338. 11. vulnerans animo occidendi, si mors non sequatur, de consuetudine totius mundi, quæ iuri in hoc derogauit, tenetur tantùm de vulnere illato. ibid. 15. vulnerans tenetur de occiso, si fuerit illatum vulnus lethale, ex quo vulneratus post 30. aut 40. dies decesserit. 352. 6. idem iuris obtinet si post longum interuallum vulneratus decesserit, dummodo id non occiderit Medici imperitia, seu vulnerati culpa, aut negligentia. ibid. 7. non tenetur de occiso, sed de vulnere tantùm, si vulnus non fuerit lethale, sed leue, & quod facile curari possit, acceptum puta in manibus, vel natica, & quòd tale declaratum sit per Medicorum relationes. 353. 1. eo casu rectè se excusat & eximit à pœna ordinaria homicidij, si alleget mortem secutam fuisse vel imperitia Medicorum, vel negligentia, seu culpa ipsius vulnerati. ibid. 2. dum res versatur in dubio, vulnus sit lethale necne, morte secuta plenè probari debet id accidisse Medicorum imperitia, vel culpa vulnerati. 354. 3. talis probatio magnum accipiet adminiculum si post 40. dies à vulnere accepto vulneratus decesserit, qui à Medicis præscribuntur, vltra quos nimirum lethaliter vulneratus viuere non possit. ib. 4. poterit vulnerans eo casu se iuuare ea iuris præsumptione, quæ elicitur ex iure sacro, nimirum si vulneratus intra triduum à vulnere accepto surrexerit, & baculo innixus ambulauerit, quæ communiter recipitur à iuris Interpretibus. ib. 5. relatio vnius Medici, seu chirurgi, sufficit pro qualitate vulneris probanda,

FINIS.



